
L I B
P H

E X L V
Philoſophi P

Recenti ba



Coll.

APVD

1.

EXPLANATIO
LIBRI PRIMI PHYSICORVM ARISTOTELIS.

EX LVDOVICI BVCCAFERREI,
Philoſophi Præſtantiſsimi, Lectionibus Excerpta.

Recenti hac noſtra editione quam potuit diligentiſsime expolita, atque elaborata.



Coll. Romani Soc. Jesu Cat. inscr.

VENETIIS,
APVD HIERONYMVM SCOTVM.
M D LXX.

B 1.

LODOVICI BVCCAFERREI

BONONIENSIS,

PHILOSOPHI ÆTATE SVA CLARISSIMI,

Prælectiones in primum librum Phyſices Ariſtotelis.

SOCRATES, Apollinis oraculo mortaliũ omnium ſapientiſsimus iudicatus, à Dijs immortalibus tria, Platonis Phædro referente, præ ceteris expetebat: Primum quidem, vt pulchrior eorum munere interius redderetur: Deinde, vt exteriora internis probè reſponderent, hoc eſt, vt ſenſus, & ij qui ſenſui parent appetitus rationi obtemperarent: Tertio, vt nemo ſibi diues eſſe videretur, quin idem & ſapiens, & eo eſſet contentus, quod ad vitam tranſigendam ſatis faceret.

Quibus rebus quidnam aliud diuinum illum hominem ſignificaſſe credimus, quàm vt Deorum beneficio philoſophus efficeretur?

Quod quidem ita eſſe, vobis, tyrones ſtudioſiſsimi, qui ſacris philoſophiæ me auſpice optatis initiari, apertius explicabo, ſi varias philoſophiæ definitiones, à ſapiẽtibus traditas, in medium afferam.

Prima igitur definitio hæc eſt: Philoſophia eſt rerum, vt ſunt, cognitio.

Plerique autem alij (inter quos fuit diuinus Plato) diuinis & interitus expertibus corruptioni obnoxia permiſcentes, eam definitionem aſsignarunt, philoſophiam ſcilicet eſſe diuinarum humanarumq́ue rerum ſcientiam.

Nonnulli à fine eam definiuerunt: qui cum ſit & proximus, & remotus, Plato eam primum à proximo definies, ſcribit eſſe mortis meditationem, non eo quidem ſenſu, quo ille dixit, Eſto memor lethi, ſed per mortem rationis à corporeis perturbationibus ſeparationem intellexit, ſiquidem ex naturali philoſophia virtutes omnes veluti ex fonte quodam manare vidẽtur. qui quidem fons ex appetituũ cum ratione concordia dubio procul ſcaturit.

Hac fortaſſe de cauſa Simplicius in hoc proœmio (quod tamen Themiſtio adſcribitur) philoſophiam dixit eſſe animorum medicinam: quippe animos liberat ab inſcitia: quę quidem medicina tanto ea eſt prę̄ſtantior, quæ corporeis affectibus ſuccurrit, quanto animus corpore ipſo nobilior.

Ab hoc fonte Apollo fortaſſe oraculum illud deprompſit γνῶθι σεαυτὸν, ideſt Noſce te ipſum. quo quidem oraculo admouemur, vt non ſolum nos ipſos exiſtimemus non eſſe doctiores ac meliores, quàm ſumus, verum etiam vt altiora, eorumq́; cauſas ſedulo contemplemur.

Sane à fine remoto, digniori tamen, definiuit eam Plato, aſſerens philoſophiã eſſe ſimilitudinem Dei, quoad eius ab homine fieri poteſt. ea etiã homines reddit plane diuinos, quippe vt deus opt. Max. omnia contemplatur, ita ſapiens cuncta ſpeculatur. quamobrem idem in Timœo ſcribit, philoſophiam eſſe donum Dei, non hominum inuentum.

Pythagoras, philoſophus antiquiſsimus, ab etymologia eam definiens, philoſophiam appellauit, hoc eſt (vt Marcus Tullius interpretatur) ſtudium ſapientiæ, à qua ſapientes philoſophos, hoc eſt ſapientiæ ſtudioſos, honeſtiore vocabulo nuncupari voluit, ſiquidem vnus Deus vere ſapiens dici poteſt. Ex his omnibus liquido cuiuis apparet, maximo philoſophiam homini eſſe ornamento, diuinumq́; illũ planè efficere, qui veluti ex alta ſpecula rerum cauſas intueatur, qui appetitus alioqui rebelles rationi conciliet, vt inde moralibus editis virtutibus vita cõſequatur beata, qui vnus vere ſit diues, cùm illa tantum homini bona eſſe videri debeant, quæ nullo fortunæ impetu ſurripi poſſunt, cuius temeritati cetera ſubijciuntur.

Nemo igitur (ſi modo penitus rem inſpiciat) dubitet Socratem nihil aliud à Dijs immortalibus (vt initio diximus) expetiſſe, cum internam pulchritudinem peteret, ceteraq́;, quæ retulimus, quàm ſapientiã; ad quã omni ſtudio capeſſendam, tyrones præſtantiſsimi, ſummaq́ue diligentia me duce vt elaboretis, vos etiam atque etiam hortor. neque illa Apoſtoli ſententia vos deterreat, qua monet Chriſtianos vt nolint ſapere pluſquam ſapere oporteat. non enim philoſophos illud reijcit, ſed diuinatores, qui futura, ſoli Deo cognita atque perſpecta, prædicere conantur.

Ergo vt rem propoſitam dilucide tractemus, operæpretium erit philoſophiam in ſua membra partiri. Quæ ſi vniuerſa intelligatur, in ſpeculatiuã ſecatur, & actiuam. porro hæc in ethicam, œconomicã, & politicam diſtribuitur, quarum prima ſui ipſius mores docet, ſecunda rei familiaris curam, tertia reip. admiſtrationem oſtendit.

Speculatiua autem in naturalem, mathematicam, & diuinam diuiditur. quarum prima eorum cauſas inquirit, quę ſunt immerſa materiæ & quo ad eſſe, & quo ad ration. m. altera vero eorum demõſtrationes, quæ ſecundũ eſſe materiæ inhærent, eamq́ue, cõcernunt, ratione tamen ſunt ſeiuncta. tertia eas res ſpeculatur, quæ & ratione, & re ipſa ab omni materia ſunt penitus remotæ. id quod aſſerit Ariſtoteles 6. Metaphyſices. Ex hac rationali diuiſione omnes philoſophiæ partes poſſumus conſiderare.

At dubitabit hoc loco aliquis diuiſionem hanc eſſe mãcam, propterea quòd non videatur omnes ſcientias continere. nam neque rationales, grammatica ſcilicet, rhetorica & logica; neque practicæ, quales artes mechanicæ, vt medicina, & architectura, in ea diuiſione ſunt comprehenſæ, cũ tamen omnes artes ſunt quodam modo ſcientiæ, quippe cũ ratione factæ.

Quamobrem rectior fortefortuna Boetij diuiſio videri poſſet, qui philoſophiam in ſeptem partes ſecuit, in tres ſcilicet rationales, & quatuor mathematicas.

Ad hæc, videtur ſcientiarũ ordo in hac diuiſione prętermiſſus, aut non recte examinatus, ſi quidẽ Simplicius eam, quæ ad mores pertinet, ceteris anteponit: cũ tamen ſcientiæ naturalis pars quædam ſit, ac quodam modo illi ſubalterna.

Præterea non leuis eſt de ſpeculatiuarum inter ſe, necnõ & mathematicarum ordine dubitatio. nam Geometria recta ratione Arithmeticam præcedere videtur, quando ea continuum, hæc vero numerum conſiderat, qui ex continui oritur diuiſione. Ex altera tamẽ parte videtur Arithmetica primum locum occupare; quippe vnitatem vt principium abſolutum accipit: cum Geometria punctum vt ſui ipſius principium conſideret. Atqui puncto vnitas natura prior eſt vtpote quæ ſimplicior. vnitas enim omni caret diuiſione ac ſitu: punctum vero etſi eſt indiuiſibile, poſitura tamen ac ſitu minime caret.

Nec mediocrem habet dubitationem naturalis partium ordo. quas dubitationes ita facilè paucisque ſoluemus, ac primo quidem loco primã, qua obijcitur, Simplicij diuiſionem eſſe mancam. quia ſcientias omnes minime complectatur. ad quam reſpondeo negari totũ argumentum, neq; enim recte colligitur, omiſit rationales, ergo manca & imperfecta, ſcientiæ nanque rationales non ſunt vere ſcientiæ ſed ſcientiarum inſtrumenta. ac ſicut artium inſtrumenta non ſunt artes, ita ſcientiarum inſtrumenta non ſunt ſcientiæ. porro quòd practicas omiſerit, quas diuinus Plato paſsim fere ſcientias appellat, quippe ars omnis ſciẽtia eſt ratione ſola diſtincta, id non eſt factum abſq; ratione, comprehenduntur enim ſub alijs practicæ. nã Medicina ſcientiæ naturali ſubalternatur, Arithmetica Geometriæ, reliquæ vero ſcientiæ decimo Euclidis ſubalternantur.

At dices, ſi hac ratione omiſit Ariſtoteles practicas ſcientias, debuit itidem morales prætermittere, quando à naturali comprehenduntur, cui ſunt ſubalernæ ac veluti ancillæ quædam, aut certe ſubalternas omnes recenſere.

Ad hoc meo iudicio ſic videtur eſſe reſpondendũ, Ariſtotelem morales explicuiſſe, ceteras ſubalternas tacuiſſe, non quòd moralis à ſuperioribus partibus ſcientię non cõprehendatur, ſed quoniam ad aliam animi partem pertinet ad facultatem ſcilicet rationis expertem, appetitumque, ſenſitiuum. Etenim moralis ſcientia firmum quoddam eſt ſenſitiui appetitus, reliquæ vero ſcientiæ primarijs ſubalternæ, cum eidem animæ parti hæreant, cui & ipſę ſubalternantes, quæ rationalem animæ partem occupant. ob eam cauſam practicas neglexit, morales addidit, quatenus (vt antea diximus) aliam animæ partem poſsident.

Quæ cauſa eſt fortaſſe, cur ſeiunctæ dicantur, liberaleſque, ſcientiæ vocentur, quippe quæ homine libero ſunt dignæ, quibusque, liberi homines vtuntur. ij autem ſunt, qui ſui ipſorum cauſa ſunt.

Reliquæ neceſſariæ appellantur: quoniam ad vſus humanos ſunt accommodatæ.

Vocantur etiam mechanicæ non quidem vt Pariſienſes philoſophi interpretantur, quod faciunt intellectũ mœchari, hoc eſt rebus externis commiſceri, à proprioque ſui munere alienari.

Ex his colligitur, perfectam eſſe Simplici diuiſionem, Boetij vero mancam, quæ naturalem ac diuinam philoſophiæ partem prætermiſit.

Niſi forte velimus hominis auctoritatem ita defendere, ꝙ eas tantũ ſciẽtias nominauerit, quę inſtituuntur ad primarias. præparant enim hæ, ac quodam modo intellectum diſponunt ad ſcientias ſupremas, naturalem, ac diuinam.

De eo quod dicis Simplicium prępoſuiſſe ſcientias morales alijs ſcientijs: Dico, quod non eſt verum, tantum dicit Simplicius quod puer, qui eſt iturus ad alias ſcientias, prius eſt imbuendus bonis moribus, quoniam per virtutes morales animus à perturbationibus, & vitijs ſeiungitur. Quod dicebas, non dat ordinem ſcientiarum ſpeculatiuarum, ergo imperfecta diuiſio: Dico, quod de hoc eſt maxima lis Latinorum, maxime Diui Thomæ, quem multi inſequuntur. Dicunt enim quod ordine naturæ prima eſt metaphyſica, ſecunda naturalis, tertia mathematica. ratio eſt, ꝙ prima ſit metaphyſica, quia probat principia aliarũ ſcientiarum, vt ait Ariſt. 4. metaphyſices, principia, & viam habens ad alias ſcientias. ideo aliæ ſcientiæ ipſi metaphyſicæ ſubalternantur, quia probat earum principia: atq; etiam ordine doctrinæ, quia illa notiora, quæ priora & communiora (vt ait hic Ariſt.) metaphyſica eſt de cõmuniſsimis, eſt enim de paſsionibus entis. ergo prior minus communibus. Quod autem ſcientia naturalis præcedat mathematicam, probatur, inquit diuus Thomas, quia quinto metaphyſicæ: faciliora etiam natura priora ſunt, ſed res naturales faciliores, ergo natura priores, quod ita ſit probatur, quia res naturales percipiuntur intellectu, imaginatione, & ſenſu. illæ vero ſola ratione, intellectu, & imaginatione, non ſenſu, quia non ſunt in materia merſæ. præterea naturalis probat principia ſcientiæ mathematicæ, ſexto Phyſicorũ, vt quod omne continuum eſt diuiſibile in infinitũ. ergo. tum etiam quia naturalis probat cauſas omnes, at mathematicus formalem accipit. ergo.

Hæ ſunt rationes diui Thomæ. Sed obijcitur, quia non eſt verum, quod ait, quod metaphyſica debeat naturalem præcedere, quia hi libri inſcribuntur μετὰ τὰ φυσικά quaſi poſt naturalia, vt dicit Alexander, tum quia metaphyſicus ſumit ſubiectũ ſuum à naturali, vt ex octauo phyſicorum ſumit ſubſtantiam ſeparatam eſſe, ex æternitate enim motus probauit Ariſtot. æternitatem motoris. tum etiam quia metaphyſica nõ ſolum accipit ſubiectum ſuum à naturali, ſed & conditiones ſubiecti. ex libro enim de anima ſumit metaphyſicus, quod ſubſtantia ſeparata eſt intellectus quia nobilior intellectu humano, ergo intelligit perfectius intellectu humano. ille. n. ſine diſcurſu & ſine errore intelligit, ſcientia autem animæ noſtræ accidens eſt, ſuperiorum vero ſicut ſubſtantia. ergo falſum quod metaphyſica naturalem præcedat. Quæ tamen ſoluunt alij & dicunt, vt Alb. Alam. quod prima eſt ſcientia naturalis, ſecunda mathematica, tertia metaphyſica, ſed contra principium doctrinę debet eſſe ex facilioribus cognitu, quinto metaphyſices, principia autem mathematices faciliora naturalibus, quia ſola doctrina præceptores ſciuntur ex ſola notitia terminorum, principia autem naturalia minime, ſed maxima perſcrutatione indigent, ergo ab ipſis mathematicis inchoandum eſt, non à naturalibus, quia indigent nulla inueſtigatione & experientia, vt quod omne agens agat propter finem, & quod natura ſit principium motus & quietis, ideo ſexto Ethicorum ait Ariſt. puer poteſt eſſe mathematicus, naturalis nõ: quia res certior eſt mathematica, quàm naturalis: ergo & prior: quia principium doctrinæ ex facilioribus eſſe debet. Ideo eſt tertius modus dicendi rectus, meo iudicio, quod primo loco eſſe debet ſciẽtia mathematica 2. naturalis 3. metaphy. quia mathematica nobis faciliora naturalibus ipſis, ideo priora. ideo ſumpſit exempla naturalis ab ea. & quia metaphyſica ſumit ſubiectum & conditiones ſubiecti à naturali, ideo hæc naturalis metaphyſicam præcederet, quia prima mathematica, ſecunda naturalis, tertia metaphyſica. Ad obiectiones in cõtrarium reſpondendũ eſt; & primo quod dicebat ꝙ ſciẽtia metaphyſica eſt principalior, quia ſubalternat ſibi alias ſcientias, eſt enim de cõmuniori-

munioribus,& probat ſubiecta aliarum ſcientiarum: dico, quod illa non eſt vera ſubalternatio ex conditionibus ſcientiæ ſubalternantis & ſubalternatæ, quas poſuit in primo poſteriorum, quod ſcilicet ſubalternata capiat ſubiectũ ſubalternantis,& ei addat conditionem accidentalem. ſecundo debet ſubalternans demonſtrare principia, & cauſas ſubalternatæ, quare non præcedit metaphyſica quia aliæ ſibi ſubalternantur, vere enim & proprie ei non ſubalternantur. Quod ſecundo dicis, hæc probat principia aliarum. At quonam modo declarat principia mathematica, cum ipſa ex ſe notiſsima ſint, vt omne totum eſt maius ſua parte? nec eſt ceteris prior, quia aliorum principia probet. Similiter ad id quod dicis, quod ideo alijs prior, quia eſt ex communioribus, communiora autem præcedere debent, vt ens ſubſtantiam, ſubſtantia corpus, corpus corpus animatum præcedit: Dico quod duplex eſt in propoſito ordo, vnus inter partes eiuſdẽ ſcientiæ particularis, verbi gratia philoſophię naturalis,& hic ordo non eſt ad libitum noſtrum, ſed habet ordinem & modum ex ordine ipſarum rerum, quod ſcilicet vt ſe habent res in natura, ita tractari debent ille igitur ordo ſcientiæ ſequitur ordinem ipſius naturæ. & quia communiora ordine naturæ priora ſunt, quæ enim ſimpliciora ſunt, & communiora ordine naturæ illa & priora: & quia (vt dixi) in ſcientia vna particulari res debent ordinari & deſcribi in illa ſcientia vt ordinata in natura: ideo ordo partiũ talis ſcientiæ ſequitur ordinem naturæ,& vt natura à cõmunioribus incipit, ita etiam partes ſcientiæ cõmunioris præcedunt, & ſic ex communioribus inchoandum eſt, ideo prius Ariſt. de materia cõmuni tractare debuit, quam de remota,& prius de remota, quam de proxima. ſed talis ordo inter ſcientias totales non ſeruatur: quoniam in ipſis non ſumimus ordinem ex rebus ipſis, ſed iſte ordo ſumitur ex facilioribus nobis, quare in ſcientijs particularibus non ſequitur, communiora ordine naturæ ſunt priora, ergo etiam ordine doctrinæ. in ſcientijs totalibus illa ſcientia quæ eſt de cõmunioribus debet alijs pręponi,& ceteris eſt prior, vt metaphyſica. Eſt aliud argumentum. primo probat Diuus Thomas quod naturalis ſit prior mathematica, quia illa priora quę notiora, ſed res naturales notiores quia intellectu & ſenſu percipi poſſunt, mathematica ſolo intellectu, ac imaginatione, ſenſu minime: ergo. Dico quod eſt falſum quod res mathematicæ ſolo intellectu ac imaginatione, nõ ſenſu. quia eadem eſt quantitas naturalis,& mathematica. ſenſibilia enim communia eodem modo à naturali & mathematico percipiuntur, tantum ratione differunt: quia naturalis conſiderat ea, vt termini corporis naturalis quanti, mathematicus vt quantus ſimpliciter. at tu dices, ſaltem nõ euades quin certius à naturali apprehendantur ſenſibilia particularium, quàm à mathematico cõmunia. Dico quod ſenſibile cõmune licet apprehendatur obſcurius à ſingulo ſenſu particulariter, quàm proprium ſenſibile, tamen ab homine ipſo certius apprehenditur ſenſibile cõmune quam proprium, quia ſenſibile commune pluribus ſenſibus percipitur. ideo Ariſt. ſecundo de Anima quærens cur natura ordinauerit quod ſenſibile commune à pluribus ſenſibus perciperetur, reſpõdet, vt certius apprehenderetur quam ſenſibile proprium, quia mathematica accipit principia probata à naturali, nam habet mathematicus pro principio, quod omne cõtinuũ eſt diuiſibile in infinitum, naturalis autem id probat. ergo prior eſt naturalis & ab ipſa ſumit principia, ſimpliciter tamen minimę, & ita naturalis ſcientia non ſimpliciter eſt prior ipſa mathematica, ſed econtra, quia præcedit ipſam naturalem, vt etiam pars philoſophiæ de Iride ſubalternatur ſciẽtiæ perſpectiuæ non tamẽ ſimpliciter. quamobrem igitur arguit, quod a iqua pars alicuius ſcientiæ prioris accipiat aliquid à ſcientia poſteriori,& ſecundum illam partem illi ſubalternetur, non tamen ſimpliciter,& ſic iſte eſt ordo verus quẽ poſuit Simplicius de partibus ſcientiarum, ſcilicet vt prima ſit mathematica, ſecunda naturalis, tertia metaphyſica. Sed vos dicetis, nonne hæ ſcientiæ omnes ſunt per ſe totales, vt, ſcilicet vnam per ſe ſine alia poſsimus addiſcere? quorſum ergo ponitur iſte ordo ſcientiarum inuicem? Dico quod reuera iſte ordo non eſt neceſſarius, non enim eſt neceſſarium vnam harum ſcientiarum prius addiſcere quam aliam, quia ſunt ſcientiæ totales,& quælibet illarum poteſt addiſci ſine alia, ſed iſte ordo eſt commoditatis, vt ſcilicet ex vna in aliam faciliter peruenire poſsimus.

LECTIO SECVNDA.

DECLARAVIMVS in heſterna lectione ordinem partium ſciẽtiæ ſpeculatiuę, ſcilicet mathematicæ, naturalis, & diuinæ, & elegi modũ Simplicij quod prima mathematica, ſecunda naturalis, tertia metaphyſica. poſui circa ipſum tria dubia, quorũ tertium remãſit, quod erat de ordine partium huius ſcientiæ naturalis, quemnam ad inuicem habeant,& quæ philoſophię naturalis ſint partes. Dico breuiter (hæc enim alias diffuſius declarare conati ſumus) quod quinque ſunt partes huius ſcientiæ principales. Prima eſt de principijs communibus, & accidentibus cõmunibus rerum naturalium, & hæc habetur in his libris, ſcilicet de phyſico auditu. Secũda eſt de corporibus ſimplicibus, tum ęternis, vt cęleſtibus, tum generabilibus & corruptibilibus, ſcilicet de quatuor elementis, & hæc habetur, tum in libro de cœlo, tum in eis, qui de generatione & corruptione. pars enim, quæ eſt de corporibus, habetur in libro de cœlo, quæ vero de elementis, incipit in libro de cœlo,& completur in libro de Generatione, & Corruptione. Tertia pars huius ſcientię eſt de mixtis imperfectis, quæ fiunt à calido & humido, frigido & ſicco, & de ijs, quæ fiunt in ſublimi, quæ ex ſecundo habitu fiunt, ſcilicet ex ſicco, ſecundo de mixtis perfectis & inanimatis, vt mineralibus & hęc pars habetur in libro metbeororum. Quarta pars principalis eſt de animalibus. Quinta & vltima eſt de plantis. eſt.n. vltima ordine doctrinæ. Iſte eſt ordo partium principaliũ ſcientiæ naturalis ſecundũ græcos expoſitores. Duabus partibus principalibus vltimis, ſcilicet quartæ & quintę, annectuntur alię partes non principales. quartæ enim annectitur tum liber de Anima, tum parua naturalia omnia, & de Hiſtoria Animaliũ, de partibus animalium, de inceſſu, de longitudine,& breuitate vitæ, de morte,& vita. & hinc patet, quod non eſt verum quod ait Ioannes Grammaticus de hoc ordine, ſcilicet quod liber de Anima ſequatur parua naturalia. immo libri paruorũ naturalium ſequuntur illum de anima. & refero me ad ea, quæ ſæpius dixi. & ſic patet, quod quinque ſunt partes ſcientię naturalis in cõmuni. his omiſsis deſcendo ad expoſitionem procemi Auerrois, cum adhuc ſit conſuetudo exponẽdi ipſum, quod tamen eſt Simplicij ad verbum, licet aliqui Themiſtio adſcribant, ſed nõ eſt Themiſtij. & reuera ſi conſideremus conditiones procemij, non eſt procemium, inquit enim Ariſtoteles primo rhetoricorum, quod duæ ſunt conditiones procemij, vna eſſentialis, vt ea declaret breniter, quæ in toto opere dicenda ſunt: alia accidentalis, vt reddat auditorem docilem, beneuolum, & attentum. neutra iſtarum ineſt procemio Auerrois. ergo improprie Auerr. vtitur nomine procemij. Sed dicitur procemium

mium, quaſi præulum. ad hanc doctrinam capeſſendam incipit igitur Auerroes ſic.

Intentio mea in hoc opere eſt gloſare librũ Ariſtotelis. Intentio apud nos eſt idem, quod apud græcos ſcopus. ſed non intelligatis in hoc ſolo procœmio, ſed in toto phyſico auditu dicit gloſare, id eſt exponere textum Ariſtot. At quo modo exponemus librum Ariſt. ſecundũ morem (inquit) expoſitorum dicẽtium in principio lib. quem exponere intendunt, 8. capita. expoſitorum ſcilicet græcorum. quod ſi dicas cur inquit græcorum? dico, vt ſe excuſet à ſuperfluitate. quia reuera talis ordo non eſt neceſſarius, quia multa horum capitum ſuperflua ſunt. illa enim ſuperflua ſunt, quæ etiam Ariſtot. in ſuo procœmio narrat; quæ tria ſunt. narrat enim intentionem, ordinem doctrinæ, & modum ſeu viam doctrinæ, quoniam ordo doctrinæ debet eſſe ordo naturæ, vt ſcilicet à cõmunioribus & prioribus incipiendum ſit. facit igitur Auerroes hanc obiectionem ſibi, & ipſam ſoluit hoc modo, ꝙ ſcilicet aliqua horum capitum ſunt ſuperflua, quę tamen declarare voluit, vt ſeruaret conſuetudinem expoſitorum græcorum, deinde incipit explicare hæc capita, & primo incipit ab intentione declarans, quænam ſit intentio Ariſtotelis generalis, ſcilicet totius philoſophiæ naturalis, ſecundo quæ ſit intentio ſpecialis in hoc libro, ſcilicet de phyſico auditu. tum etiam docet qui ſit finis totius philoſophiæ naturalis. inquit ergo quod intentio ſcientiæ naturalis in genere eſt circa duo, primo circa cauſas ſpecierum ſenſibilium, id eſt rerum naturalium, qua ſenſibiles ſunt, quæ conſtant ex materia & forma, quæ ſunt quatuor, elementa, & mixta tum perfecta, tum imperfecta, & mixta perfecta tum animata vt plantæ, & animata imperfecta atque adeo & cœli, cœlum enim conſtat ex materia & forma, ſcilicet motore, & corpore motui ſubiecto. intentio igitur, inquit, generalis totius philoſophiæ naturalis eſt circa duo, primũ inuenire cauſas omnium rerum naturalium conſtantiũ ex materia & forma, ſecundo eſt inuenire cauſas accidentium in ipſis rebus naturalibus. ſcientia. n. eſt vnius generi ſubiecti conſiderans ipſum, & paſsiones, & accidentia propria, ipſas etiam cauſas accidentium, & reddit cauſam Auer. cur ſit intentio philoſophiæ naturalis cõſiderare cauſas rerum, & accidẽtia in ipſis. Cauſa eſt quia res ſenſibiles, id eſt corpora naturalia, ſunt ſubiectum philoſophiæ naturalis, quia ſcilicet prout habent in ſe principium motus & quietis, talia naturalia ſunt, ergo corpora ſenſibilia pro vt habẽt principium motus & quietis ſunt naturalia, ideo ſubiectum ſunt philoſophiæ naturalis. ergo etiam intentio ipſius philoſophi naturalis eſt, vt perſcrutetur cauſas rerum naturalium, & cauſas accidentium in ipſis. quia quælibet ſcientia habet vnum finem in genere, ſcilicet generare perfectã notitiam ſui ſubiecti. ſ. corporum naturalium. non poteſt autem haberi notitia cauſati perfecta niſi ex cauſis; cauſę igitur prius inueniendæ ſunt. ergo naturalis rationabiliter circa ipſas verſari debet diximus nos quod vnus eſt generalis finis cuiuſlibet ſcientiæ. nam practica nõ contenta eſt ſolo illo fine qui ſcilicet eſt cognitio rei, quæ conſideratur, ordinatæ, ſed in alium tranſeunt finem vlteriorem, quoniam tranſeunt vltra illum finem in opus vt ſcientia iuſtitiæ, non contenta ſola cognitione iuſtitiæ, ſed migrat in opus, ſcilicet in exercitatione iuſtitiæ. Auerroes addit illam particulam, quod ſubiectum ſcientiæ naturalis ſunt res naturales, pro vt motui ac quieti obnoxiæ ſunt, & addit hanc particulam, Quoniam duplex eſt ſubiectum, tum materiale, tum formale. materiale ſunt res, quæ conſiderant ſubiectum. formale eſt modus conſiderandi. ſed ſubiectũ materiale idem eſt commune plurium ſcientiarum. eadem enim res à diuerſis artibus conſideratur. ſubiectum formale diuerſum eſt, ſcilicet ſecundum diuerſum modum conſiderãdi. ideo dixit Auer. quod res naturales ſunt ſubiectum ſcientiæ naturalis, quatenus in ſe ipſis habent principiũ motus & quietis, ſcilicet quatenus naturalia ſunt, quoniam ſic ſunt ſubiectum formale. & per hoc ſcientia naturalis ab alijs diſtincta eſt. Sed dubitatur cur Auerroes dixerit, Scientiæ naturalis intentio eſt cognoſcere cauſas ſpecierum ſenſibiliũ, & non dixerit, generum ſenſibilium: cum tamen eius ſit cognoſcere non tantum cauſas ſpecierum, verum etiam generum. Dico, quod ideo dixit hoc, quia conſideratio philoſophi naturalis non tranſit ſpecies ſpecialiſsimas. conatur quidem percipere ſpecies omnes ſpecialiſsimas, licet non poſsit omnes cognoſcere, nec vltra ſpecies ſpecialiſsimas tranſcendit, quę omnes ſciri non poſſunt. quamplurimæ enim nobis ſunt ignotę. ergo quia ſtatus philoſophi naturalis eſt vſq; ad ſpecies ſpecialiſsimas, vt ipſas cõprehendat quoad eius fieri poteſt, licet aliquando impediatur; ideo Auer. dixit ſpecierũ, non autem, generũ, non quod non cõſideret etiã cauſas generum. Deinde dicit, non credas, quod aliæ ſint cauſæ corporum, aliæ accidentium, qm̃ hoc falſum eſt, eædem. n. ſunt cauſę corporũ, & accidentiũ: & eædem cauſæ ſunt ſubiecti, & paſsionis, ſola diſtinctæ ratione quatenus ordine quodã ſunt cauſæ. primo enim ſunt corporum cauſæ, ſecundo accidentium. proximæ ſunt corporum, remotæ accidentium, quoniam ſubiectum eſt in potentia. Dico quod habent cauſas dictas, ex quibus fluat & ſubſtantia & paſsio, quę eſt vniuerſalis intentio libri phyſicorum ſecundum Auerroem. ponit Auerrois intentionem ſpecialem ſcilicet huius libri & hanc intentionem accipit ab Ariſtotele hoc loco, & dicit quod intentio huius libri eſt cognoſcere cauſas omnes omnibus rebus naturalibus, ſcilicet materiam, formam, finem efficientem, & accidentia communia omnibus rebus naturalibus. Etiã conſideratio ſpecialis huius libri eſt circa duo, tum circa principia cõmunia omnibus rebus naturalibus, tum circa per ſe accidentia. & addit Auerroes, philoſophi naturalis eſt cognoſcere cauſas primas, & hoc quod eſt poſſibile ſciri in hac ſcientia, inquantum ei poſsibile eſt. quod ſcilicet eſt eius cognoſcere totas cauſas in toto genere, ſcilicet totum genus cauſarum quæ ſciri poſſunt in hac ſciẽtia, in hac enim ſcientia habetur totum genus cauſarum, naturalium materialium, & efficientium, quoniam omnes illæ cauſę ſunt in motu & tranſmutatione. nõ tamen in hac ſciẽtia poſsibile eſt habere totum genus cauſarum formalium, nec totum genus cauſarum finalium, quoniã forma eſt primus finis, ex quo abſcinduntur à motu & tranſmutatione, ideo à naturali non poſſunt cõſiderari, ſed hæc conſideratio eſt metaphyſici. bene naturalis cõſiderat efficiens primum quatenus cum motu eſt ac verſatur circa principium vnde motus eſt efficiens: item de materia prima, quia ſemper eſt cum motu & trãſmutatione. ideo Auerroes recte ait, quod eſt poſsibile ſciri in hac ſcientia, ſcilicet naturali. Hic differt Plato ab Ariſtotele, quia Plato poſuit ſex principia prima & communia, Ariſtot. tantum quatuor. Plato enim poſuit tres cauſas quas per ſe cauſas appellauit, efficientem, exemplarem, finalem. deinde poſuit alias tres, quas non per ſe cauſas ſed concauſas appellauit, materiam ſcilicet, formam & inſtrumentum. quare patet Platonem poſuiſſe ſex cauſas Ariſtotelem quatuor. & do exemplum puta in generatione hominis poſuit Plato primo efficientem, ſcilicet cœlum ipſum, ſecundo poſuit cauſam exemplarum, notionem hominis producendi in mente diuina. illud enim exẽplar erat cauſa, vt deus hominem efficeret talis figuræ, & cõditionis; vt exemplum domus in mente artificis eſt cauſa, vt ſciat fa-

bricare

bricare domũ.tertio poſuit aliam cauſam, ſcilicet finẽ propter ſe ipſum.& has tres veras cauſas appellat. poſuit deinde alias cauſas,non vere cauſas,ſcilicet materiam ex qua generatur homo, ſcilicet ſemen ipſum: deinde formam ipſius hominis,animam ſcilicet,deinde inſtrumentum,ſcilicet ſemen ipſum matris,vel ſanguinem menſtruum. Has omnes cauſas poſuit Plato,Ariſtoteles autẽ quatuor,illas enim duas exemplarem ſcilicet & inſtrumentalem, ad quatuor principales reduxit. ad cauſam enim efficientem exemplarem reduxit ſecundo phyſicorum.dixit enim,quod duplex erat efficiens,ſcilicet naturaliter,& per cognitionẽ,vt eſt efficiẽs ipſum tum exemplare, tum principale. ſimiliter etiam reduxit inſtrumentalem ad cauſam efficientem.& ipſe Ariſtoteles intendens ponere tantum cauſas principales,tacuit exẽplarem,& inſtrumẽtalem,& poſuit tantum quatuor cauſas, ſcilicet materialem,formalem efficientem,& finalem.intendimus igitur in hoc libro declarare quatuor cauſas generales omnium rerum naturalium, vt communia ſunt omnibus rebus naturalibus. primum quidem efficiens declaratur à Philoſopho naturali,ſcilicet cęlum ipſum. quæ enim efficiens eſt, motui ſubijcitur, quia eſt principium vnde motus. ſimiliter prima materia cum ab eodem conſideratur,& ipſa motui & quieti ſubijcitur, & eſt principium generationis & corruptionis. duplex enim eſt materia (ſecundo metaphy.) prima ſpecie diuerſa,vna quidẽ,quæ eſt materia cœleſtium,altera,quæ eſt materia generabiliũ,& corruptibilium. prima materia generabiliũ & corruptibilium declaratur à philoſopho naturali, quoniã annexa eſt tranſmutationi,& ab ipſa ortum habet tranſmutatio. Prima vero materia corporum cœleſtiũ bifariam conſideratur, vno modo, quatenus mouentur corpora cœleſtia, quatenus eſt materia corporis mobilis,& hæc dicitur materia, quatenus eſt in potentia ad motum. & hoc pacto hæc materia a philoſopho naturali conſideratur. Alio modo ſumitur materia in his cęleſtibus,vt reſpicit intelligentiã, vt eſt ſcilicet ſubiectum ipſius, & ipſi intelligentiæ ſubiacet, & quia ſic nulla accidit tranſmutatio, nec motus. ergo non conſideratur à philoſopho naturali.patet ergo,quo modo philoſophus naturalis cõſideret totum genus cauſarum materialium: quia vna eademq́; res conſideratur à philoſopho naturali,& metaphyſico,ſed diuerſa ratione. corpora enim cęleſtia, quatenus ſunt in potentia ad motum, à naturali conſiderantur; vt autem ſubſtantia intelligentiarum, à metaphyſico conſiderantur.ex quibus patet,quo modo philoſophus naturalis habeat conſiderare cauſas omnium rerum naturalium in generali,ſimiliter & cauſas accidentium in ipſis. Accidentium autem quędam propria,quædam communia. de proprijs nulla eſt hic mentio, ſed de communibus: quæ quidem ſecundum veritatem ſunt quatuor,ſcilicet continuum, motus, locus, & tempus. Dico ſecundum veritatem,quia ſecundum opiniones quorundam erat & vacuum, & infinitum. Et ex his habemus ordinem partium huius libri; in primo enim habetur de cauſis primis internis rerum naturalium omnium, ſcilicet de materia, & forma: in ſecundo vero agit de cauſis externis, efficiente, & fine: in tertio vero, quoniam in ſecundo definiens naturam, dixit principium motus,& quietis, in eo definit merito,quid ſit motus. & quia omnis motus eſt continuus, ideo etiam ibi tractat de continuo. & quoniam omne continuum eſt diuiſibile in infinitum, ideo ibi agit de infinito. in quarto vero, quoniam accidens cõmune omnibus rebus naturalibus eſt motus, & omnis motus fit in loco, ideo ibi agit de loco. & quia quidam antiquorum vacuum eſſe locũ dixerunt, ideo poſt declarationem de loco agit de vacuo. & quoniam omnis motus tẽpore menſuratur, ideo etiam in quarto de tempore agit. in quinto libro,quia iam locutus fuerat de motu, reuertitur ad motum, & ſeiungit ipſum à mutatione. in 6. vero diſputat de motu, vt diuiſibile eſt in infinitum, quoniam omne continuum eſt diuiſibile in infinitum. in ſeptimo agit de motu reſpectu motoris primi. quia omnis motus habet motorem, quoniã ex motu adinuenit motorem. & quia aliquis motus eſt æternus, ideo in octauo libro agit de æternitate motus,& primi motoris. quare ex æternitate motus adinuenit æternitatẽ primi motoris.& habetis, quo modo tradat philoſophus nobis ſcientiam de cauſis communibus rerum naturalium, & de cauſis accidentium, & de accidentibus communibus.

VTRVM METAPHYSICVS conſideret cauſas communes omnibus rebus naturalibus.

SED vos dicetis, nonne metaphyſicus conſiderat omnes cauſas communes omnium rerum naturalium,quoniam habet conſiderare cauſas cõmunes omnibus ſciẽtijs; ſuperflua igitur conſideratio horum librorũ. Secundo dubitatur,quia non eſt verum quòd Ariſtoteles tradat omnes cauſas communes omnibus rebus naturalibus: quia nõ tradit materiam corporum cęleſtium: & ita non tradit omnes cauſas rerum naturalium,ſiue principia.& ſi vis dicere, quod tradat omnium cauſas: cogeris fateri, quòd eadem ſit generabilium materia,& cęli, quòd falſum eſt.& dubitatur, quia non declarat efficientem cauſam ipſius cœli. ergo non declarat omnes cauſas. quarto dubitatur de numero cauſarum. ꝙ ſi dicas, ꝙ ſunt tantũ quatuor: dico eſſe quinque in via Ariſtotelis: quia Auerroes dicit eſſe etiam priuationem.& ita vel erunt quinque ſecundũ Auerroem,vel erunt ſeptem ſecundum Platonem cũ priuatione ab Auerroe poſita. Ad has dubitationes ita reſpondeo. & primo, cũ dicis,ꝙ metaphyſicus habet conſiderare omnes cauſas communes ſcientijs: dico, quòd verum eſt. ergo philiſophus naturalis non habet conſiderare omnes cauſas communes omnibus rebus materialibus. nego argumentum. quoniam diuerſa ratione conſiderantur hæ cauſæ à metaphyſico,& à naturali. metaphyſicus enim conſiderat ipſas in eo,quòd ſunt cauſæ & paſsiones entis, naturalis vero in eo, quòd ſunt cauſæ corporum naturalium.& ſic conſiderationes diuerſificantur ab inuicem,ſcilicet naturali,& metaphyſico. Quod dicis ſecundo,quòd hic non conſiderantur omnes cauſæ communes omnibus rebus naturalibus, quia non conſideratur meteria cœli: dico,ꝙ falſum eſt, quod nõ conſideratur materia quia pęrter materiam generabilium etiam conſideratur materia cœleſtium corporum.nam octauo phyſicorum cõſideratur materia cœli: quoniam ibi declarat,quod omne quod mouetur,habet duplicem naturã.tum facientem motum;& hæc habet rationem cauſæ efficientis; tum aliam recipientem motum;& hęc habet rationem cauſæ materiális. & ita ſolutũ eſt etiam,quòd non ſolum conſideratur materia, ſed etiam efficiens ipſorum corporũ cęleſtium. Quod vltimo addis,quia non enumerauit omnes cauſas communes omnibus rebus naturalibus hoc loco: tacuit enim priuationem, quam ponit Auerroes: dico quod ideo Ariſtoteles tacuit priuationem,quoniam intentio ſua hic, vti diximus, eſt loqui de cauſis communibus omnium rerum naturalium. priuatio autem non eſt cauſa communis omnibus rebus naturalibus, quia non conuenit corporibus cęleſtibus. ergo rationabiliter ipſam tacuit.

LECTIO

LECTIO TERTIA.

REMANSIT dubitatio ſoluenda in dictis ſuperius, ſcilicet de ordine ſcientiæ mathematices, quiſnam eſſet ordo inter partes huiuſce ſcientiæ. & ex vtraque parte erat ratio, primo enim videbatur, quod Geometria prior eſſet Arithmetica, quoniã Geometria eſt de cõtinuo, Arithmetica autem de numero. naſcitur autem numerus ex continui diuiſione. ergo. Ex alia parte videtur, ꝙ Arithmetica ſit prior Geometria: quia principium Arithmeticæ eſt vnitas: principiũ Geometriæ eſt punctum: ſed ſimplicior eſt vnitas ipſo puncto; quia vnitas caret diuiſione, & ſitu: punctũ tametſi careat diuiſione habet tamen poſitionem: vnitas ergo ſimplicior, abſtractiora enim & ſimpliciora, & priora ſunt. ergo principiũ Arithmetices prius & ſimplicius principio Geometriæ. ſed quorum principium eſt prius principio alterius, etiam principiatum eiuſdem debet eſſe prius principiato alterius. & ita videtur, ꝙ Arithmetica ſit natura prior Geometria. Dicatis ad hoc, vt dixit Boetius in principio ſuæ Arithmeticæ, qđ ipſa Arithmetica præcedit Geometriam ordine doctrinę. quia nomina figurarum, de quibus eſt Geometria, & quæ ex numeris ſumuntur, de quibus eſt Arithmetica vt trigonus, pentagonus, ſunt poſteriora: & ideo & ipſę figurę rationabiliter ordine doctrinę debent eſſe numeris poſteriores: quare & ipſa Geometria poſt Arithmeticã. Sed quid dicemus ad hoc? quia numerus oriri videtur ex diuiſione continui, de quo eſt Geometria. ergo Geometria ꝑcedit. Dicatis, quod & continuum prius eſt numero, & numerus eſt prior continuo, ſed diuerſa ratione. & non inconuenit hoc. quo enim ad principium ſui numerus eſt prior. ſi vero conſideramus quo ad cauſas, quoniam numerus cauſatur ex diuiſione cõtinui, ſic continuum eſt prius. Sed quia hic quærimus de ordine doctrinæ, & dicendi, ſic Arithmatica prior eſt ſimpliciter. & quia principia Arithmeticę priora ſunt principijs Geometrię, ergo & ordine doctrinę Arithmetica Geometriam pręcedere debet.

AGGREDITVR Aueroes ſecundum caput expediendum. iam intentionem declarauit. reliquum modo eſt hoc loco vtilitatẽ explicare. & primo ipſe Auerroes ponit vtilitatem huius ſcientiæ in generali, dicens, ꝙ vtilitas huius ſcientiæ eſt pars vtilitatis totius ſcientiæ ſpeculatiuæ: & vtilitas ſcientiæ ſpeculatiuæ eſt ob humanam perfectionem. & quia tres ſunt ſcientiæ ſpeculatiuæ, vt ſexto Metaphyſices, ſcilicet mathematica, naturalis, & diuina: ideo aduertendum, ꝙ Auerroes non loquitur hic de ſcientia mathematica, ſed tantum de duabus, naturali, & diuina: quia intendit loqui de illis ſcientijs ſpeculatiuis, quę hominibus vtilitatem præbent. & hæc vtilitas hominis eſt perfectio humanam. ſed mathematicæ ipſæ non ſunt propter vtilitatem & perfectionem humanum, ſed inuentæ ſunt propter exercitium, vt ſacerdotes Aegyptij nõ torperent in otio, ſed per ipſas exercerentur, non tamen perficerentur. Inquit igitur Auerroes, ꝙ vtilitas huius ſcientiæ eſt pars vtilitatis ſcientiarum ſpeculatiuarũ, quæ ducunt hominem ad perfectionem & proprium finem, & ſelicitatem, quæ conuenit homini, qua homo eſt. probat hæc Auerroes ſic: quia vltima perfectio hominis eſt vltima eius beatitudo. ſed talis perſectio acquiritur per ſcientias ſpeculatiuas: ideo ipſæ conducunt hominem ad vltimam eius beatitudinem. dicit Auerroes: vltimam eius perfectionem: quia duplex eſt perfectio hominis, qua homo eſt. vna prima, vt declarauit Ariſtoteles in ethicis, id eſt de operationibus, quæ ſunt in poteſtate noſtra. vna eſt ordine naturæ prior, altera eſt & beatitudo ſecunda & perfectior. prima conſiſtit maxime in actione hominis, & in prudẽtia maxime eſt. ſecunda, ad quam ordinatur prima, vt bellum in pacem, & motus ad quietem, & hęc beatitudo conſiſtit in ſpeculatiua ſcientia, quæ eſt operatio intellectus. ſ. ipſa ſpeculatio, & perfectior ſpeculatio, ſiue operatio intellectus eſt circa perfectiſsimũ ens, qui eſt Deus. quare vltima perfectio, & beatitudo habetur ex ſciẽtijs ſpeculatiuis. & dicit Auerr. vt declaratum eſt in ſcientia conſiderante in operationibus voluntarijs; intelligatis vos, in libris ethicorũ. patet ergo quod duplex eſt perfectio hominis, tum prima, tum vltima; prima ſcilicet, quę actiua eſt, & cõſiſtit in virtutibus moralibus. vltima eſt perfectio hominis, qua homo eſt, quæ contemplatiua. & hęc conſiſtit in perfectiua hominis contemplatione, ſcilicet in perfectiſsima intellectione, quę eſt circa perfectiſsimum primum, nobiliſsimum, & diuiniſsimum ens. cum ergo vltima hominis perfectio ſit perfectiſsima eius operatio, quę eſt intellectio perfectiſsimi, & diuiniſsimi entis; hæc autem intellectio habeatur ex ſciẽtijs ſpeculatiuis, ſcilicet ex naturali, & diuina: ergo ex his ſciẽtijs ducuntur homines in hanc beatitudinem, & maximam vtilitatem. per ſcientiam enim ſpeculatiuam, vt ex 8. Phyſicorum habemus, ſcientias abſtractas eſſe, & ita earũ eſſentiam: in libris autem Methaphyſices declarantur cõditiones harum ſubſtantiarum abſtractarum, vt, ꝙ ſui intellectio eſt ſui ſubſtantia. recte ergo inquit Auerroes; quòd ex ſcientijs ſpeculatiuis habetur hæc vtilitas, ſcilicet homines ex his perfici ſecundum eius vltimam perfectionem.

DEINDE dicit Auerroes: {Et iſta diſpoſitio eſt ſibi vita ſempiterna.} Circa hæc verba oritur dubitatio: quoniã Auerroes videtur ſibi cõtradicere. in procemio octaui Phyſicorum, & in octauo Phyſicorum deridet eos, qui dicunt, ꝙ beatitudo hominis eſt eius ſempiterna vita: hic vero dicit, ꝙ quidem eſt. ergo. Dico, ꝙ Auerroes nõ ſibi contradicit: quia octauo Phyſicorum deridet eos, id eſt deridet legem ſuam, & legem chriſtianam, quia ponunt hanc beatitudinem in indiuiduis, ꝙ ſcilicet quilibet homo beatus poſt mortem viuit vita ſempiterna cum Deo, & corporaliter viuit: quia iſti ponunt, ꝙ corpus ſimul etiam cum anima poſt diem iudicij fruatur hac beatitudine. ideo ibi eos deridet Auerroes. hic vero dicit, ꝙ felicitas hominis vltima eſt eius ſempiterna vita. dupliciter intelligi poſſum hæc verba, vno modo quòd ſecilitas, & beatitudo eſt ſempiterna vita in ſe: quia illæ operationes ſunt vitales, & illa cognitio nobiliſsimi entis, & illa intellectio primi entis: quia intellectio in abſtractis non differt ab intellectu. Alio modo etiam poteſt intelligi, ꝙ felicitas hominis eſt ſempiterna vita ipſis hominibus in ſpecie: quia ſemper ſpecies humana ſecundum aliquod indiuiduum habet hac perfectionem. ideo ipſi ſpeciei humanæ eſt ſempiterna vita.

PONIT deinde Auerroes aliã vtilitatem prouenientem ex iſta ſcientia ſpeculatiua. ꝙ ſcilicet homo perfectus hac ſcientia vniuoce de eo prędicatur homo. quia ille eſt vere homo, qui non caret hac perfectione. qui vero non habet aptitudinem, vt perfici poſsit; ille non eſt vere homo, ſed eſt equiuoce homo; ſicut nomen hominis prædicatur de homine viuo, & mortuo, vel de vero, & lapideo: quia declaratum eſt quarto Metheororum, ſeptimo Metaphy. & tertio Politicorũ, ꝙ omne ens, quod poteſt conſequi finem ſuum, illud eſt vere ens, & vniuoce, quod vero non poteſt conſequi finem ſuum, non eſt vere, & vniuoce ens, ſed æquiuoce dicitur: ſicut manus mortua non vere eſt manus, quia non poteſt conſequi finem ſuum. ita eſt de homine, qui vere poteſt

re poteſt perfici ſecundum ſcientias ſpeculatiuas & acquirere vltimam perfectionem, ac felicitatem. qui aūt eſt perfectus per iſtas ſciētias, ille eſt adeptus hāc aliam vtilitatem, quòd vere eſt homo, & vniuoce prædicatur homo de ipſo. Sed vos dicetis, quid dixit Auerroes? nā in prooemio octaui Phyſicorum deridet eos, qui dicunt, quòd homo æquiuoce prædicatur de homine docto, & indocto. ergo videtur ſibi manifeſte contradicere. Dico, ꝙ duplex eſt æquiuocatio, & vniuocatio; vna, quæ ſumitur ex principijs internis rei vt eſt hoc nomē homo æquiuoce, ſi dicatur de homine viuo, & lapideo, ſecundum æquiuocationem ſumptam ex principijs intrinſecis: quia principia intrinſeca, vt materia, & forma, ſunt diuerſa & hoc pacto nomen hominis non dicitur prædicari de homine docto, & indocto æquiuoce: quoniā ipſorū principia intrinſeca, ſunt eadē, & non diuerſa, vt materia, forma. de hac æquiuocatione nō locutus eſt hic Auerroes, ſed ſic locutus eſt in prooemio Phyſicorum. Alia eſt æquiuocatio: quæ quidem non ex principijs intrinſecis, ſed extrinſecis ſumitur, vt ex fine, quia ſcilicet hic acquiſiuit proprium finem ſuum, hic vero minime poteſt acquirere. & hoc pacto nomen hominis æquiuoce prædicatur de homine docto, & indocto. & de hac æquiuocatione hic loquitur Auerroes. Et quod diximus de æquiuocatione, hoc idē dicatis de vniuocatione.

Deinde dixit Auerroes, {Non perfecti, ſiue non habentis aptitudinem vt perfici poſsit.} Auertatis circa hæc verba, quod duplex eſt aptitudo hominis ad ſcientiam acquirendam, vna ſcilicet remota, alia proxima. Potētia, ſiue aptitudo remota, eſt, vt poſsit, modo nō ſit aliquid impedimētum homini ad hanc ſcientiā acquirendam. & hæc potentia remota cuilibet eſt homini: quia fundatur in anima rationali. Alia eſt potentia proxima, vt, cum adeſt ſubiectum, & præſens eſt forma, ſtatim inducit formam in materia, vt ſcilicet, præſente ſcientia & homine, ſtatim homo addiſcit eam requiſito docente. & hæc potētia proxima cuilibet homini nō ineſt, licet poſsit impediri triplici de cauſa. Primo poteſt impediri per materiam, hoc eſt ex naturali temperamento. non enim omnes habent temperamētum ad acquirendas ſcientias. ex naturali enim temperamento ſequitur hæc aptitudo. inde dicebat Ariſtoteles ſecundo de anima. 94. molles carne, apti mente: duri carne, ineptimente. hoc ergo eſt primum impedimentum ex materia. Aliud impedimētum eſt ex defectu exercitij in dialecticis. ideo enim aliquis non eſt aptus acquirere ſcientias ſpeculatiuas, quia non fuit exercitatus in principijs dialecticis. Aliud eſt, & tertium impedimentū, ex conſuetudine: quoniam tales homines nō ſunt aſſueti principijs naturæ, ſed tantum ſunt aſſueti legibus diuinis. & hæc eſt mala conſuetudo. ideo homines tripliciter dicuntur inepti, & impediuntur à ſpeculatiuarum ſciētiarum perceptione, tum propter impedimentum materiæ, tum propter defectum exercitij in dialecticis, tum propter malam conſuetudinem. Et hac diuiſione declarata, aduertatis vos. quòd Auerroes hic loquitur de potentia proxima, non autem remota: quia quilibet homo potentia remota poteſt acquirere ſciētias ſpeculatiuas. Deinde Auerroes ponit tertiam vtilitatem prouenientem ex ſpeculatiuis ſciētijs, & inquit: Tertia vtilitas eſt perfectio in moralibus, quoniam ſcientes iſtam ſcientiam cum erunt ſecundum ordinem naturalem inſtituti, oportet eos de neceſsitate eſſe ſtudioſos in omnibus ſpeciebus virtutum moralium. cum enim aſſueti fuerint ordini naturæ, vt ſcilicet inferiora ſuperioribus ſubijciantur, ac pareant; & homo ex ſcientijs fuerit taliter diſpoſitus ſecūdum naturam; tunc reget ſe, & inferiora in ſe ipſo, ſcilicet vt appetitus ſenſitiuus pareat rationi ſuperiori. hoc pacto acquirit omnes ſciētias, id eſt virtutes morales. eſt ergo tertia vtilitas, quòd, qui eſt diſpoſitus ſecundū ſcientiam naturalem, eſt perfectus omnibus virtutibus. virtus enim moralis eſt habitus electiuus, ſequēs electionem ſtudioſam. acquiritur enim iſte habitus moralis per ſyllogiſmum practicum de rebus habendis: vt ſi ita dicamus: omne ſumme bonum eſt ſumme eligendum deus eſt ſumme bonus, ergo eſt eligēdus. ex hac ergo ſcientia ſpeculatiua ſequitur tertia vtilitas, ſcilicet vt ſcientes ipſam ſit neceſſe eſſe ſtudioſos in omnibus ſpeciebus virtutū moralium: quarum virtutum capitales, & principales ſunt quatuor. Prima quidem eſt prudentia, quæ eſt circa intellectum, & ideo proprie non eſt virtus moralis: quia non eſt in appetitu ſenſitiuo, ſed eſt in intellectu. & hanc ſpēm virtutis moralis tacuit Ariſtoteles, quòd proprie non eſt moralis, vti diximus. & hęc virtus habet locum medium inter exceſſum aſtutiæ, & malignitatis, & inter ſimplicitatem. eſt enim ipſa media inter exceſſum aſtutiæ, & ſimplicitatis. & hæc virtus habet ſub ſe multas ſpecies. Secunda virtus moralis principalis eſt fortitudo: quæ reſpicit ea, quę ſunt circa metū, & pericula. & hæc habet multas ſpecies, vt fiduciam, magnanimitatem, conſtantiam, ſecuritatemq́;. Tertia virtus principalis eſt temperantia: quæ eſt circa voluptates, & præcipue circa guſtum, & tactum. huius etiā virtutis ſunt multæ ſpecies, vt abſtinentia. Quarta virtus principalis eſt iuſtitia: quæ quidem duplex eſt, vna naturalis, altera vero quæ circa leges verſatur. naturalis eſt, vt vnicuique tribuatur, quod ſuum eſt. huius virtutis exceſſus eſt, habere plus, quàm debet. vnde inquit Galenus in libro de vſu partium. mirabilem, & valde iuſtam eſſe naturā, quia vnicuique tribuit, quod ſuum eſt. Alia eſt iuſtitia, vt dixi, quæ circa leges verſatur: cuius officium eſt, bonos præmijs, malos pœnis afficere. ſunt ergo quatuor virtutes cardinales. Auerroes tacuit prudentiam, ratione iam dicta.

Proſequitur Auerroes, & vult declarare, quo modo ex ſcientia naturali ſequatur quælibet harū virtutum. & primo incipit à fortitudine, inquiens quòd ſapiens debet primo habere fortitudinem; & citat Alexandrum, dicens, ꝙ declarauit Alexander in prooemio huius libri, quo modo ſequatur ſcientia harum virtutum ad ſcientiam naturalem. debet ergo ſapiens primo habere fortitudinem: quia philoſophus pericula parui facit, & exponit ſe ad pericula, & in ipſis magnanimus eſt, quādo, vbi, & quantum oportet: quia autem duplex eſt fortitudo, vna, quæ cōtrario reſiſtere poteſt, immo vim ipſi inferre; alia vero, quæ appellatur patiētia: Auerroes hic loquitur de fortitudine, quę eſt patientia. inquit ergo, quòd ex ſcientia ſpeculatiua acquiritur fortitudo: quia homo ſapiēs pericula parui facit, immo exponit ſe rebus pericoloſis. & probat aſſumptum Auerroes: quia ſapiens nouit paruitatē vitæ ſuæ, reſpectu vitæ cœleſtis. non enim loquitur Auerroes reſpectu aliorum animalium: quia ſic homo eſt longioris vitæ, quàm ſint cętera animalia, reſpectu ſuæ molis: quia etſi elephantes longiorem vitam habent homine, ſunt etiam ingentes. homo tamen in proportione ad ſuam molem eſt longioris vitæ, quàm ſint cætera animalia: quia ipſe maxime abundat principijs vitæ, ſcilicet calido, & humido. loquitur ergo Auerroes reſpectu corporum cœleſtium, nō reſpectu cęterorum corruptibilium. ꝙ igitur homo ſit fortis, & acquirat fortitudinem ex ſcientijs ſpeculatiuis; ideo periculis ſe exponit, quādo ſcilicet, & quātum, & vbi oportet: quia nouit paruitatem vitæ ſuæ reſpectu perpetuitatis ſempiternæ, & motus continui; quæ ſunt in cœleſtibus corporibus. nam ſi vita hominis comparetur vitæ cœleſti, ſe habet ſicut pūctum ad lineam, ſicut finitum

ad infinitum. ideo propter hanc notitiam paruitatis vitæ ſuæ, quæ ex ſcientis ſpeculatiuis habetur, magnanimus efficitur, & non timet ſe exponere rebus dubijs, & periculoſis, quando, & vbi oportet, &c. Secundo, ex cauſa, quia ſcilicet etiam ipſe ſapiens nouit, quòd non poteſt euitare mortem: ideo perpetuo tempore non poteſt viuere: quia eſt ex neceſsitate materiæ, & quia duplices ſunt effectus vitæ ſcilicet boni & mali; & affectus mali non ſunt inuenti à natura, ſed oriuntur ex materia; (omne enim peccatū, & omne malum ortum habet ex materia, quæ eſt cauſa omnis malitiæ) res vero, quę abſtractę ſunt à materia, carent omni malitia: ideo Ariſtoteles reprehēdit aſtrologos, qui ponunt duo infortunia in cœlo, Saturni ſcilicet, & Martis: quia, in cœlo cū non ſit materia huius generis, non poteſt ibi eſſe malitia. quare in rebus abſtractis nulla eſt malitia. & cū omnis malitia à materia dependeat, quæ cauſa eſt effectus mali in hac vita: ideo ſapiens, qui habet perfectionem humanam, potius eligit mortem, & ita eſſe denudatum à materia, quę eſt cauſa omnis malitiæ, quàm peccare & expoliari ab iſta perfectione. melius eſt enim mori, quàm peccare. ideo ſapiēs contemnit mortē; quia ex morte denudatur à materia, quæ eſt cauſa omnis malitiæ, & peccati. omnis enim actus virtuoſus per ſe eligibilis eſt; non quia afferat vtilitatem homini; ſed per ſe, & ratione ſui ipſius; præcipue, cum ex ipſo homo conſequatur finem ſuum. ideo Socrates maluit mori, quàm peccare. Deinde addit Auerroes hæc verba.

Quod non fuerunt ei declaratæ viæ, & diſciplinæ communes, & propriæ: quia voluit ambulare in via propria populorum.} Hoc eſt, ipſe Socrates omiſit ſcientias cōmunes, id eſt logicā, & metaphyſicam, & proprias, id eſt materialem, & naturalē. Illud autem, Quia voluit ambulare in via propria populorum, expone, quia tradidit ſe ſcientijs popularibus, ſcilicet diſciplinis moralibus, quibus populi reguntur, & hoc, quia negabat poſſe aliquid ſciri. Si autem quæratis, cur ipſe Socrates fuerit cōdemnatus morti, recitat Plato triplicē cauſam. Prima fuit, quia negabat deos antiquos, & habebat deos nouos, draconē ſcilicet ligatum: & hoc pacto corrumpebat iuuentutem: quia, mediantibus dæmonibus, multa miranda faciebat, pręedicebat futura, &c. Secunda cauſa fuit, quia cenſebat parentes in ius eſſe vocandos, vt de malo acto punirētur. & hanc legē reprobat Plato, inquiens neque patriæ, neque parentibus vim aliquam inferendam eſſe; ſed hoc dimittendum eſſe ipſis dijs. & adduxit exemplum Iouis: qui puniuit Saturnum de occiſione filij. Saturnus enim deuorauerat filium: Iuppiter autem eum eiecit è regno. Tertia accuſatio aduerſus Socratem erat, quia docebat recipiens mercedem. Nunc vero ſi omnes id committentes pœnā mererentur; quid faceremus nos, qui lucri cauſa publice docemus? Vera tamen cauſa accuſationis Socratis, inquit Plato, fuit inuidia: ſi quidem propter eius magnam doctrinam cōdemnatus fuit. Sed vos quęretis iterum quo modo Socrates potius mortem, quàm vitam elegit, & quare dixit, potius moriendum eſſe, quam viuendum? Dicit Plato, quòd Socrates potuiſſet liberare ſe ipſum à morte, ſi elegiſſet exilium à patria. voluit tamen potius mori, quàm exulare, dicens, ſi mea patria non vult me liberum viuere, quid aliæ facient, dum ſeruus ero? Alio etiam modo Socrates potuiſſet ſe liberare à morte. nam, corruptis cuſtodibus à quodam eius amico, potuiſſet aufugere, quod tamen noluit: quia erat contra leges ciuitatis: & maluit mori, quàm non obſeruare leges. fuit quidem fortiſsimus ipſe Socrates: de quo plura in Apologia, & in Phædone legere licet.

LECTIO QVARTA.

DECLARABAT nobis Auerroes, quo modo ex naturali philoſophia orirentur omnes virtutes morales. & diximus nos, ꝙ quatuor ſunt virtutes morales, quæ habētur cardinales. ideo Auerroes etiam primo de ipſis virtutibus capitalibus, quo modo ſcilicet oriantur ex philoſophia naturali. Sed ipſe Auerroes enumerat tantum tres, de prudentia nihil dicens: quia fundatur in intellectu: Auerroes autē tantum loquitur de illis, quæ fundantur in appetitu tum ſenſitiuo, tum intellectiuo. Et primo Auerroes declarauit, quo modo fortitudo ſequeretur ex philoſophia naturali: quia ex hoc, quòd nouit paruitatē vitæ ſuæ, & nouit quòd mors euitari non poterat, ideo parui facit ipſam mortem, & exponit ſe rebus dubijs & periculoſis, quando oportet. Ex alio etiam, dixit Auerroes, paruiſacit mortē: quia philoſophus potius debet recipere mortem, quàm peccare. viro enim ſapienti potius moriendum, quàm vitioſe viuendū. & oſtendebat aſſumptum de Socrate: quia ipſe potius elegit mortem, quàm fugam ex carcere. & faciebat argumentum à minori ad maius: quia ſi Socrates duxit potius moriendum, quàm vitioſe viuendum; & tamen ei non fuerunt declaratæ viæ & diſciplinæ cōmunes, & propria; id eſt non erat perfectus per ſcientias ſpeculatiuas, tum communes, per logicam ſcilicet & mathematicam, tum proprias, id eſt naturalem; & metaphyſicam; ſed contentus fuit ſola philoſophia morali: tanto magis, qui erunt perfecti per omnes ſcientias ſpeculatiuas, & morales, in quibus debet eſſe omnis perfectio, id exiſtimare debent. Quarto, & vltimo, arguit Auerroes, quoniam manifeſtum eſt, quòd, cum ſapiens in parte dubitauerit, nō eſt perfectus, id eſt cum quis fuerit imperfecte ſapiens, id eſt ſciuerit partem ſcientię ſpeculatiuę, puta ſcientiam naturalē, exponit ſe omni periculo, vt adipiſcatur, & habeat perfectionem, & compleat habitum verum, & ſcientificum. Sed hic dubitarunt aliqui: quoniam virtus moralis eſt eorum, quæ ſunt in poteſtate noſtra; mors vero non eſt in poteſtate noſtra, ſed & neceſſaria ex neceſsitate materiæ, igitur inquit Auerroes, quo modo, eligere mortē, eſt virtus moralis? Dico ad hoc, quòd licet ſimpliciter non ſit in poteſtate noſtra, quoniam mors ſimpliciter de neceſſitate euenit; attamen, mori nunc, vel alia die, eſt in poteſtate noſtra. & hoc pacto, eligere nunc mortem potius, quàm vitam, eſt virtus moralis. Secundo loco proſequitur Auer. de ſecunda virtute morali, ſcilicet de iuſtitia. cum enim declarauerit, quòd ex ſcientia naturali, ſequitur fortitudo; declarat modo, quòd ſequitur iuſtitia; ꝙ ſcilicet philoſophus naturalis debet eſſe iuſtus: quia philoſophus eſt imitator naturæ, quantum poteſt: natura autem iuſtiſsima eſt: ergo & philoſophus eſt iuſtus. Quòd autem natura ſit iuſta, patet: & hæc propoſito eſt dignitas in philoſophia: nam ſemper iuſte, & recte operatur. omnis enim appetitus naturę eſt iuſtus, & rectus. præterea ſemper meliori modo, quo poteſt, agit natura. ergo ſemper iuſta eſt. diximus autē ſupra, quòd duplex erat iuſtitia, vna ſecundū leges, quæ bonos præmio afficit, malos vero pœna: alia autem diſtributiua, quæ vnicuique tribuit, quod ſuum eſt. ideo aduertendum eſt. quòd natura habet iuſtitiam diſtributiuam; quoniam vnicuique tribuit, quod ſuum eſt. Et quoniam duplex eſt natura, vniuerſalis, & particularis: patet, vtranque eſſe iuſtam. natura enim vniuerſalis Deus eſt optimus, & virtus cœleſtis. quæ quidem vniuerſalis natura iuſtiſsima eſt in omnibus ſuis actionibus: vt, quia corpora cœleſtia, quæ neque grauia, neq;

leuia

leuia ſunt, eleuauit ſupra elementa, & corpora grauia & leuia depreſsit; & in ipſis elementis etiam ipſa eſt ſumma iuſtitia: quia elementum leue locauit in loco ſupremo, graue vero in infimo. item ordinauit, vt elementa ſingula ſe inuicem cõtingerẽt, & in ipſis ordinauit qualitates, quibus mediantibus vnum ageret in reliquum. Eadem eſt ratio naturæ particularis, quæ eſt ipſum agens naturale, vt ignis calefaciens: & in hoc natura iuſtiſsima eſt: quod quidem maxime declaratur à Galeno paſsim in libris de vſu partium: ea enim vnicuique animali particulariter diſtribuit propriam virtutem, non gratia ſui, ſed gratia operationũ, & cum proportione ac menſura. Diſtribuit etiam opera ſingulis virtutibus, & hoc facit nullo ducente. ideo & doctiſsima. quis enim docuit infantem nuper natum aperire oculos, & fugere vbera matris? nullus profecto, ſed ſola natura, omniũ doctiſsima. ob eam cauſam Galenus appellauit ipſam naturam doctam: quia edit opera ſua nullo docẽte, non ſecus ac ſi docta fuiſſet ab aliquo. Sed tu dices: Galenus videtur ſibi ipſi contradicere: quia ſexto de locis affectis appellauit naturam indoctam, in his vero libris paulo ante citatis dicit ipſam doctam. Dico, quòd minime repugnat ſibi Galenus: quia natura poteſt appellari docta, & indocta diuerſis reſpectibus: & docta quidem, quia tanto artificio ac iuſtitia exercet opera ſua, vt videatur docta: non enim indiget ad id alterius doctrina: indocta vero, quia exercet opera ſua nullo docente, & citra doctrinam: quoniam à nullo docta eſt. quare vtrunque dici poteſt, ac vere. & ita patet, vtranq; naturàm, tam vniuerſalem, quàm particularem, iuſtiſsimam eſſe. Cum autem philoſophus naturalis imitetur naturam, quantum poteſt, ergo & ipſe iuſtus erit. Sed dices: videtur falſum dictũ Auerrois quia philoſophus naturalis ſemper imitetur naturam: immo alibi dicit, quòd monſtra necari debent, quia nõ ſunt vtilia: & tamẽ ipſa monſtra ſunt à natura. Dicatis, quòd non ſunt à natura per ſe, ſed per accidens ſunt enim à natura per accidens, hoc eſt à natura errante, & non recte operãte, ſed impedita à perfectione ſui muneris. philoſophus autem naturalis debet imitari naturam in ijs, quæ natura per ſe fiunt, non autẽ à natura impedita ab operatione ſua. Tertio loco Auerroes id, quod declarauit de fortitudine, & iuſtitia, declarauit de temperantia, id eſt de abſtinentia, quod. ſ. ſicut ex perfecto philoſopho naturali ſequitur fortitudo, & iuſtitia, ita etiam ſequitur abſtinẽtia, cuius abſtinentiæ ſunt duæ ſpecies, magnanimitas, & temperantia temperantiæ autem etiam duæ ſunt ſpecies, ea ſcilicet quæ eſt circa mores, vt circa honores, & dignitates; alia, quæ eſt circa oblectamenta duorum ſenſuum, ſcilicet circa voluptates guſtus, & tactus. & primo probat Auerro. quia omne turpe fugiendũ eſt: ſed volupates horum duorum ſenſuum, cum modum excedant, turpes ſunt: ergo. ꝙ autẽ turpes ſint, & homini inutiles, probat Auerroes: quia iſtæ non ſunt neceſſariæ homini nec ad eſſe, nec ad bene eſſe. ergo euitandæ ſunt. Intelligatis vos, cum modum excedant. non enim philoſophus debet ab ipſis abſtinere, ſed mediocriter ipſis, vti, non autẽ ſupra modum: quia, cum excedunt modum, fugiendæ ſunt. natura enim non producit ea, quæ homini non ſunt neceſſaria vel ad eſſe, vel ſaltem ad bene eſſe. erunt enim tales voluptates ex neceſsitate materiæ. & ipſas ordinauit Natura in naturalibus, vt conſeruaretur indiuiduum per aliquod tempus, ſemper autem in ſpecie. cum enim animal, neceſsitate materiæ, eſſet corruptibile, Natura prudens, & ſagax ordinauit nutritionem ipſi animali, vt non ſtatim indiuiduũ periret, ſed per aliquod tempus duraret per reſtaurationem deperditi. & talis reſtauratio fit per nutritionem, quæ pertinet ad guſtum. quia vero neceſſarium erat, aliquando tale indiuiduũ corrumpi propter materiam, & ratione nutrimẽti, quod ſimiliter ortum habet ex materia, non poterat dare perpetuitatem animali: ideo Natura perpetuitatem, quam nõ potuit ſeruare in indiuiduo, voluit ſeruare in ſpecie, mediante generatione. hæ igitur operationes, mediocriter ſumptæ, neceſſariæ ſunt, & à Natura ordinantur: cum autem excedunt modum, non ſunt neceſſariæ neque ad eſſe, neq; ad bene eſſe: cum tamen liceat exercere hæc opera. Natura enim ideo adiunxit ipſis delectationem, vt animal ſæpius ea exerceret, cum menſura tamen. ideo caſtitas iſtorum monachorum eſt præter naturam: quia omne animal debet generare ſibi ſimile in ſpecie, & ſibi ęquale, ſicuti inſtitutum eſt à natura. Quarto addit Auerroes, & aliqui dicũt, quòd hæc eſt alia ratio, ad probandum philoſophos naturales eſſe temperatos; quia, qui obſeruat leges diuinas, id eſt naturales, eſt temperatus. minor patet; quia ſicut natura non ordinat omnia in debitum finem, & ad eum omnia dirigit; ita & philoſophus naturalis. igitur eſt temperatus. Quia vero Ariſtoteles poſuit, duplices leges naturæ, vnam particularem, aliam, quæ æqualẽ vim habet apud omnes: ideo proſequitur declarans, quid intelligat Ariſtoteles per naturalem legẽ, apud omnes ęqualem vim habentem. Aliqui expoſuerunt, quòd per legem habentem vim communem apud omnes, intellexit leges communes homini & bruto: ſicuti delectatio in coitu: quia omnia animalia in eo à natura maximam capiunt delectationem: & hęc lex communis eſt homini, & bruto, & mari, & feminæ. Quoniam autem hoc non placuit diuo Thomæ, ideo ipſe aliter exponit, per legẽ habentem vim communem apud omnes, legem, quę ſequitur ex primis principijs agibilium per ſe manifeſtis. exemplum: ſi dicamus: omne ſummum bonum ſumme eſt diligẽdum: Deus eſt ſummum bonum: ergo ſumme diligendus. illa maior eſt principium ortum ex principijs per ſe manifeſtis, & omnibus commune eſt. quis enim negaret, quòd ſummum bonũ ſumme eſt diligendum? illa enim propoſitio habet æqualẽ vim apud omnes: quia eſt ex principijs naturæ manifeſtis. Hæc eſt lex naturæ ſecundum diuum Thomam, quæ æqualem vim habet apud omnes. Ideo Scotus. 37. diſtinctione tertia alio mõ interpretatur illa verba Ariſtotelis, & ampliat magis, quàm diuus Thomas. ipſe enim appellat legem naturæ habentem æqualẽ vim apud omnes, non tantum ea, quæ ſequitur ex principijs primis, per ſe manifeſtis naturæ, ſed etiã quæ obſcura ſunt & deducta ex per ſe manifeſtis: quia eſt dubitatio apud ipſos, vnde illa principia theologica, Vnũ cole Deum, ſint opera naturæ. ideo voluit, quòd eſſent opera naturæ, contra, diuum Thomam, maxîme principia affirmatiua: quia principia affirmatiua non poteſt diſpenſare Deus: & etiam ipſa ſunt opera naturę: quia talia dicuntur ex principijs per ſe manifeſtis naturæ, licet ipſa non ſint per ſe manifeſta. itaque dicemus nos, quod, qui imitatur leges naturæ, ſiue ex primis principijs per ſe manifeſtis ipſius naturæ agibilium, ſiue ſint ipſa prima principia, ille temperatus eſt. . Secundo loco Auerroes, poſtquam declarauit, quo modo illæ tres virtutes morales principales ſequãtur ex philoſophia naturali, deſcendit ad earum ſpecies, ſimiliter declarans, quo modo tales ſpecies ſequãtur ex philoſophia naturali: & adducit exempla primo de bonitate, quæ eſt ſpecies iuſtitiæ, dicitq; quòd philoſophi debẽt eſſe boni, id eſt aut obedire ſecundum rectam obedientiam, aut dominari ſecũdum rectum imperium. Secundo inquit Auerroes: dicũtur philoſophi eſſe liberi, id eſt liberales. liberalitas enim eſt iuſtitiæ ſpecies. quod probat: quia vilipendũt pecuniam; cum ſciant pecuniam, eſſentia ſua vilem eſſe, & nullum vi-

le eſſe extollendum. ignobilius enim non eſt præferendum nobiliori, ex lege naturę. ignobilia enim ſemper ordinantur in nobiliora. ſed homo nobilior eſt pecunia, cũ ſit finis omnium corruptibilium, & perfectiſsimus omnium ſublunarium, quare non eſt ipſi præponenda pecunia, ſed negligenda potius. Secundo, omne præter naturam euitandũ eſt, nec deſiderandum; ſed deſiderium naturæ immodicum eſt præter naturam. natura enim paucis contenta eſt, & neceſſarijs, & tantum appetit quæ ad commoda vitæ neceſſaria ſunt. cur ergo deſiderium pecuniæ ſupra modum ſit de deſiderijs præter naturam? ergo iure optimo eſt ſugiendum. Sed tu dices: quo modo poteſt eſſe verũ, quòd philoſophi ſint liberales, cum vt plurimum pauperes ſint, & careant pecunia, & bonis fortunæ? theologhi dicunt, quòd ad liberalitatem ſufficit actus bonæ voluntatis. vnde, ſecundũ ipſos, pauperes habentes voluntatem liberalitatis, liberales ſunt. Ariſtoteles autem ſexto Ethicorum negat ipſum actum voluntatis facere liberalitatem, ſed requiri vt actu liberalitas exerceatur. & ita oportet, vt ſint diuites. vnde, inquit Ariſtoteles, Deus non eſt liberalis, quia non habet pecuniam: ita & pauperes, bonis fortunæ carentes, non poſſunt eſſe liberales. ideo, &c. Ad argumentũ dico, quòd illi philoſophi, qui pauperes ſunt, reuera non poſſunt eſſe liberales, ſecundum Ariſtotelem. niſi dicamus, quòd impropriè ſunt liberales, quoniã habent actum voluntatis, id eſt darent, ſi haberent. ideo illi philoſophi, qui diuites erunt, magis perfecti erunt hac virtute. quare apud Ariſtot. diuitiæ moderatæ non ſunt cõtemendæ, quatenus ſunt neceſſariæ ad commoda vitæ noſtræ. & illi, qui negligunt bona fortunæ, ſunt fatui, & non ſunt philoſophi. Sequitur alia virtus, quę eſt ſublimitas. philoſophi enim debent eſſe ſublimes. & per ſublimitatem duo intelligere poſſumus, primo animi magnitudinem, quæ eſt ſpecies temperantiæ, & eſt circa honores: ſecundo fortitudinem; quæ eſt duplex, vna, quæ eſt in temperantia iniuriarum, ſcilicet non pati iniurias, ſed vlciſci, & inferre vim inferenti: & talis fuit Herculis, & Aiacis fortitudo: alia eſt ęquanimitas in vtraque fortuna proſpera ſcilicet, & aduerſa: quæ fuit in Socrate, & ita per illam ſublimitatem, quam dicit Auerroes, poſſumus intelligere duo hęc. Addit poſtea Auerroes: debent eſſe veri, (veritas enim eſt ſpecies iuſtitiæ) id eſt obſeruare veritatem dicto, & opere: quia ſunt imitatores naturæ. natura autem nunquam mentitur. itaque & ipſi nunquam mẽtiri debent. Addit vltimo fiduciam, id eſt ſeruare promiſſa. & hæc eſt ſpecies iuſtitiæ, quam ſimiliter philoſophi habere debent. Auerroes igitur non contentus demonſtrare nobis, quo modo ex philoſophia naturali ſequantur virtutes morales, id eſt capitales, voluit declarare, earum ſpecies ſimiliter ab ipſa philoſophia ſequi. Sed obijcit Auerroes: quo modo verum eſt, ex philoſophia naturali tales ſequi virtutes morales, cum philoſophi noſtri temporis vitioſi ſint, atq; omnium maxime dialectici, id eſt ſophiſtæ: qui non merentur eſſe partes ciuitatis. Reſpondet idem Auerroes dicens, quòd hęc dubitatio non eſt aduerſus ipſum. nos enim diximus, (inquit) ꝙ quęlibet virtus moralis per ſe, & ſecũdum ordinem naturalem ſequitur ex philoſophia naturali. philoſophi vero noſtri tẽporis non ſunt ſtudioſi, quia ſunt præter naturam diſpoſiti. ideo per accidens tales virtutes non ſequuntur ex philoſophia naturali: quia enim à communitate gentium viles habentur, tunc exiſtimant, quòd hæc vilipenſio accidat eis ex ſcentia, inquit Auerroes: cum tamẽ ipſis hæc diſpoſitio ſit præternaturalis. ſi enim appetitus obtemperaret rationi, tũc eſſent ſecundum naturam diſpoſiti. ſed quia inferiora non obtemperãt ſuperioribus, & ſenſus dominatur rationi; ideo ſunt præter naturam diſpoſiti; quare, relictis virtutibus, vitia ſequuntur. Sed tu dices: Auerroes aduerſatur ſibimet in hoc, quia ſupra dixit, quòd virtutes morales ſequuntur ex philoſophia naturali: ſed, per ſe, prę ſupponit de omni, & neceſſario, ex primo Poſt. cap. de per ſe. ergo omnes perfecti ſcientia naturali, neceſſario perfecti erunt, virtutibus moralibus. cur igitur dicit Auerroes, quòd philoſophi huius tẽporis ſunt vitioſi? Secundo, tu dices: Auerroes aduerſatur ſibimet: quia hic dicit, quòd tempore Alexandri philoſophi virtuoſi erant; ſecundo autẽ de anima dicit, quod opinio Alexandri de anima rationali, quæ ponebat animam rationalem corruptibilem, fuit in cauſa, vt multi errarent. opinabantur enim ex hac opinione Alexandri non poſſe conſequi vltimum eorum finem: ideo, relicta philoſophia, & cęteris ſciẽtijs, vitia ſequebãtur. quare nõ conſtat ſibi Auerroes. Tertio dubitatur, quia Ariſtoteles ſexto Ethicorum dicit, quòd ſi philoſophi ſapientes ſunt, carent prudentia, & non ſunt prudẽtes. quo modo ergo hic inquit Auerroes, ꝙ ex philoſophia neceſſario ſequantur omnes virtutes morales. De primo, cum dicis, quòd per ſe, præſupponit de omni, & neceſſario: dico, ꝙ multiplex eſt, per ſe. quatuor enim modis dicitur, per ſe: & tunc, dico, quòd per ſe primo modo & ſecundo modo dicta præſupponunt de omni, & neceſſario, ſicut etiam dicit Ariſtoteles primo Poſt. & expoſitores, qui ita exponunt Ariſtotelem, recte exponunt: qui vero aliter, male exponũt. inquit ergo Ariſtoteles, cum, per ſe, quatuor modis dicatur, primo, & ſecũdo modo prę ſupponit de omni & neceſſario, tertio vero, & quarto modo non præſupponit. ideo primus & ſecundus modus per ſe tantum ingrediuntur demonſtrationem, tertius autem & quartus minime. & tunc dico ad argumentum, quòd virtutes morales per ſe ſequuntur ex philoſophia naturali, quarto modo tanquam effectus ex propria cauſa: & ita non præſupponit neceſsitatem: ſicut deſcenſus ex grauitate ſequitur, tanquam à propria cauſa. poteſt tamen quandoq; impediri talis euentus: & ſic non pręſupponit de omni, & neceſſario. De ſecundo dico, verum eſſe quod hic Auerroes dicit, nec repugnare ei, quod dicit ſecundo de anima. hic enim dicit quòd tẽpore Alexandri philoſophi erant præditi virtutibus moralibus. quod verum eſt: quia nondum diuulgata erat opinio Alexandri. Dicit poſtea ſecundo de anima, ꝙ opinio Alexandri de animæ moralitate fuit in cauſa errandi philoſophis. Dico etiam verum eſſe: quia poſtquam diuulgata fuit talis opinio, philoſophi, relictis virtutibus, tradebant ſe vitijs: quia Alexander erat magnæ auctoritatis apud ipſos.

De tertio, cum dicit Ariſtoteles ſexto Ethicorum ſapientes philoſophos non eſſe prudentes: dico, quòd duplex eſt prudentia, vna, quæ eſt virtus moralis; ex qua naſcũtur virtutes morales: & hęc ineſt ipſis ſapientibus: quia ex principijs philoſophiæ naturalis ortum habet. alia eſt prudentia in multis alijs rebus, vt ad gubernationem ciuitatis, vel domus, vel equi, & hac prudentia carent philoſophi, quia à ſtudio ſcientiæ impediuntur, vt talibus incũbere non poſsint.

LECTIO QVINTA.

DECLARABAT Auerroes in procemio huius libri, quod diximus à Simplicio ad verbum ſumpſiſſe, primo intẽtum totius philoſophiæ naturalis, & intentum præſentis libri, ſecundo vtilitatem. & hæc duo perfecit, nunc aggreditur tertium, quiſnam ſit ordo huius libri ad reliquos libros philoſophiæ naturalis, quis. ſ. ſit prius diſcendus à cupientibus philoſophari. & dicit, quòd hic liber priorem locum obtinet inter cæteros libros philoſophiæ

naturalis:

naturalis: & hoc rationabiliter: quoniam corpora naturalia in varia genera ac varias ſpecies diuiduntur. quædam enim ſunt perfecta, quædam imperfecta. perfecta ſunt iterum duplicia. quædam enim ſunt animata, quædã inanimata, ſicut ſimplicia, & quatuor elemẽta corruptibilia, & vnum incorruptibile, vt cęlũ. & ſic ſcilicet ſunt mixta. imperfecta enim ſunt ſicut, ea quæ generantur ex duplici habitu, humido, & ſicco, in ſublimi aere, vt exhalationes, de quibus in libro meteororum tractat. mixta vero perfecta inanimata, ſunt, metalla & lapides; animata autem, animalia, & plantę. Cum ergo corpora naturalia diuidantur in varia genera, & varias ſpecies; ideo ad hæc ſcienda requiritur ordo aliquis, quę prius & quæ poſterius ſciri debeant. quoniam autem hęc corpora conueniunt in principijs communibus, & accidentibus communibus, quæ ſunt quinque, materia, forma, locus, tẽpus, & motus; & differunt in principijs proprijs, & accidentibus proprijs, quæ habent principia tum communia, tum propria: ideo requiritur horum notitia ad habendam perfectam horum cognitionem: quia naturalia non cognoſcuntur, niſi ex principijs. ideo notitia principiorum debet præcedere notitiã principiatorũ. & cum duplicia ſint principia, vt diximus, tum communia, tum propria; notitia principiorum cõmunium debet etiam præcedere cognitionem principiorum propriorum. ſimiliter, quia vnumquodq; cognoſcitur non tantum ex principijs, verum etiam ex accidentibus: & duplicia etiã ſunt accidentia, tum propria, tum communia: & cognitio communium debet pręcedere cognitionem propriorum: in hoc libro tam principiorũ communium, quàm accidẽtium communium, notitia traditur. primum igitur locum inter reliquos philoſophiæ naturalis libros hic liber obtinere debet. & hoc Auerroes triplici ratione probat, primo, quia ordo doctrinæ debet eſſe ex natura prioribus: quia quęlibet ſcientia habet ortum ex natura. ſicut enim res ſe habent in natura, ita à nobis deſcribi debent. ſed res & natura habent ordinem talem ad inuicem, vt primo ſint ſimplicia, deinde compoſita. ita partes etiam ſcientiæ tũc ordinem ad inuicem habere debent. ordo autem naturæ debet eſſe ex prioribus natura. quæ vero ordine naturæ ſunt communiora, etiam priora ſunt. idem etiam debet eſſe in partibus ſcientiæ; vt, quæ in ipſa communiora ſint, iꝛi ſẽordine doctrinæ priora ſint. nõ enim eſt in noſtro arbitrio ordinare ſcientiam, vti volumus: ſed ſemper ſeruare debemus ordinem naturæ: ita vt, quæmadmodum res ſe habent in natura, ita etiam diſponantur in ſcientia. & hac de cauſa maxime laudandus eſt Ariſtoteles: qui ſemper ſeruauit ordinẽ naturæ in traditione rerum ſcientiæ. quare, cum in hoc libro agatur de principijs communibus, & accidentibus communibus omniũ rerum naturalium; ac iure merito reliquis omnibus libris huius ſcientiæ præponendus eſt.

Deinde dat ſecũdam cauſam Auerroes, quòd communiora debeant pręcedere: quia communiora præcedere debent. ne idem ſæpius repetatur in ſciẽtia, exemplum in philoſophia naturali habituri ſumus ſermonem de plantis, & de animalibus. & quia hæc tum animalia, tum plantæ habẽt principia communia, in quibus conueniunt, tum materiam primam communem, tum ipſam formam; cõueniunt etiam in accidentibus cõmunibus: ideo ſi non eſſet vna pars ſcientiæ, in qua traderentur tum hęc principia, tum accidentia communia; pluries in eadem ſcientia particulari talia repeteremus: vt in notitia animalium repeteremus principia, & accidentia communia ipſis animalibus: & in notitia plantarum idem repeteretur. cum ergo in hac parte ſcientiæ tradantur talia principia, & accidentia communia: igitur rationabiliter alias partes pręcedere debet. Tertiam cauſam addit Auerroes. & hæc bifariam legitur, tum affirmatiue, tum negatiue. melius tamen eſt legere negatiue. quòd ſcilicet, niſi eſſet vna pars philoſophiæ naturalis, in qua declarentur hæc principia, & accidentia cõmunia; ſequeretur, quòd hęc ſcientia non demõſtraret ex principijs; & ita propoſitiones in hac ſcientia non eſſent primæ, nec propriæ. Vos debetis ſcire, quòd demonſtratio debet coſtare ex propoſitionibus primis, quæ careant alia demonſtratione, & ipſi concluſioni demonſtrandæ primo conueniant, & nulli alij prius ſimiliter. & cõſtare debent ex immediatis, ſcilicet vt approprientur ipſi concluſioni demonſtrandæ, & conuertantur cũ ipſa. ſi ergo non ſit vna pars ſcientię, quæ declaret hæc principia communia, & accidentia communia; hæc ſcientia non demonſtrabit ex primis & proprijs: quia, quæ prima, ſunt, ſunt etiam principia, iuxta verba Ariſtotelis primo Poſter. cum ait, idem dico, primum & principium differũt tantum ratione: quare dicũtur principia, vt non habent quo demõſtrentur: dicuntur vero prima, vt concluſioni primo conueniunt, non ratione alterius. & hoc declarat Auerroes de triangulo, & iſoſchele; qui, vt ſpecies trianguli, eum ſub ſe continet; & inquit; ſi aliquis demonſtraret de triangulo, ꝙ habet tres angulos æquales duobus rectis: ex definitione trianguli recte talis demonſtrat ex primis, & proprijs: ſin autem idem probet de iſoſchele; ex illa definitione demonſtratio non eſt ex primis, & proprijs: non quidem ex proprijs, quia propoſitiones communiores ſunt concluſione: neque ex primis, quia prius competit triangulo, quàm iſoſcheli. ſunt enim primę & proprię tales propoſitiones ratione generis, non ſpeciei. qui ergo probant apud mathematicos de iſoſchele, quòd habeat tres angulos; non probant ex primis, neque ex proprijs. ſimiliter & in ſcientia naturali, qui demonſtrat materiam, vt de plantis, & de animalibus hoc medio, quia tranſmutabilia ſunt ſic omne tranſmutabile habet materiam: animalia, ſeu plãtæ tranſmutabilia ſunt, igitur habent materiam: hic non demonſtrat ex primis, & proprijs: quia illa concluſio nõ eſt prima, nec appropriata: quoniam planta, quà planta, non eſt tranſmutabilis: neque, animal, quà animal, eſt traſmutabile: ſed eo, quòd ſunt corpora naturalia. ne igitur incidamus in hũc errorem, vt non demonſtremus ex primis, & proprijs, & immediatis, non probamus tranſmutationem, neque materiam de plãta, ſed præſuppoſuimus hęc declarata vniuerſaliter. poſtea deſcendimus ad particularia, & quæ particularibus ipſis propria ſunt. niſi vero eſſet vna pars prima huius ſciẽtiæ, in qua hęc eſſent demonſtrata, cogeremus talia ſcilicet principia demonſtrare de particularibus, & ita talis demonſtratio non eſſet ex primis: quia reſultarent in aliam propoſitionem: igitur, neque ex proprijs. Hæc litera Auerrois poteſt etiam exponi affirmatiue, vt dicamus: niſi eſſet vna prima pars in philoſophia naturali, in qua declararentur principia cõmunia, omnes propoſitiones in philoſophia naturali eſſent primæ, & propriæ. ſed hoc eſt impoſſibile, ꝙ omnes ſint primæ, & proprię. ergo impoſſibile, quòd non ſit vna pars prima in philoſophia naturali, in qua declararẽtur. Sed hic eſt dubitatio in prima ratione Auerrois: quia dixit, ꝙ in ſcientijs eſt ſequendus ordo naturæ, ſcilicet quòd communiora, ex quo natura priora ſunt, ſic ſcientiæ de communioribus pręponi debent minus communibus. ſed contra: quia ſequeretur, quòd ſcientia metaphyſica eſſet prior tum mathematica, tum naturali: quia eſt de cõmunibus, & de natura prioribus, ſcilicet de ente, vt eſt ens: quod communius eſt. ſecũdo, quia multoties ordinem hũc peruertit Ariſtoteles, ſicut in ſcientia de plantis. ipſam enim poſtponit ſcientiæ de animalibus, cum tamẽ plantę ſimpliciores ſint, & natura priores

res

res animalibus: quia prior eſt anima vegetatiua, quàm ſenſitiua: quoniam hęc illam ſupponit. non igitur ſemper priora, & communiora pręcedere debent. omnes enim Græci dicunt, quòd ex cognitione animalis deuenimus in cognitionem plantarum, vt Theophraſtus. Dicam ſicut ſupra dixi, quòd ſcilicet ordo doctrinę eſt duplex, vnus inter ſcientias totales, alter inter partes eiuſdem ſcientię. tunc dico, quòd ordo inter partes eiuſdem ſcientię debet ſequi ordinem naturę: & ſemper communiora & natura priora debent pręcedere. in ordine vero inter totales ſcientias non eſt ſeruandus ordo naturæ: ſed cognitu faciliora debent præcedere difficiliora. quia igitur mathematica facilior eſt, ideo præcedere debet, deinde naturalis, vltimo metaphyſica. & ita peruertitur ordo doctrinæ, & naturæ in ſcientijs totalibus; vt faciliora præcedant. de partibus autem eiuſdem ſcientiæ non eſt ſic: quia non eſt ad libitum, eas tradere: ſed oportet, vt deſcribantur res, ſicut ſunt in natura, & ita ratio Auerrois intelligitur inter partes eiuſdem ſcientię, non autem inter totales ſcientias. Ad ſecundum, quòd liber plantarum pręcedat librum de animalibus, dico quòd eſt contra: multoties enim peruertitur ordo, ſed cogimur peruertere quę priora cognoſcuntur ex poſterioribus. & ſic per accidens id fit. rationes vero Auerrois intelligũtur per ſe, quia per accidens poteſt peruerti ordo. Auerroes in verbis ſuis loquitur de dialectica, dicens, quòd etiam in ipſa ſic pręponitur liber Priorum libro Poſt. Deinde duo dicit Auerroes aduertenda, primum, quòd logica eſt pars ſcientię ſpeculatiuę. dicit enim, Sicut accidit in logica, & in reliquis partibus ſpeculatiuis. & hoc cõtra nominales; qui volunt quòd logica ſit ſcientia practica. Aliqui volunt, quòd neq; practica ſit, neq; ſpeculatiua: quia iſtæ ſunt differentiæ ſcientiæ realis. Secundo dicit, quòd liber Priorũ debet pręcedere librum Poſt. & dialecticam. Quidam contra Auerroem opinati ſunt, Ioſnes Grammaticus, Apollinaris, Paulus Venetus, Egidius, & alij: quòd ſcilicet talis ordo inter libros logices; vt primo ſit liber Priorum, deinde liber Elenchorũ, tertio liber Topicorum, quarto & vltimo liber Poſteriorum. & eorum ratio eſt: quia priuatio immediate nobis innoteſcit ex habitu. ſed in vltimo Elẽchorum agitur de ſyllogiſmo topico, qui eſt priuatio ſyllogiſmi ſimpliciter, de quo agitur in libro Priorum. ergo poſt librum Priorum immediate debet ſequi liber Elenchorum. deinde probat, quòd liber Topicorum debeat præcedere librum Poſteriorum. quia communiora debent præcedere minus communia. ſed probabilia, de quibus in libro Topicorum, ſunt communiora demonſtratiuis: quia ipſa probabilia alliquando ſunt in materia neceſſaria, aliquando in materia contingenti; demonſtratiua vero ſemper in materia neceſſaria. ergo probabilia communiora ſunt demonſtratiuis. ergo, oppoſitum vero, vt patet, vult Auerroes, & recte: quòd ſcilicet primus liber Priorũ, ſecundus Poſteriorum, tertius Topicorum, quartus Elenchorum, & ita poſt ſyllogiſmũ ſimpliciter ſequitur demonſtratiuus, & pręcedit librum Topicorum: quia per ſe neceſſarium prius eſt contingenti, & neceſſario per accidens. ſed huiuſmodi eſt liber Poſt, ergo debet præcedere. ſimiliter hi duo libri debent præcedere librum Elenchorum. quia ſyllogiſmus Elenchus eſt priuatio ſyllogiſmi demonſtratiui, nedum ſyllogiſmi ſimpliciter, & dialectici. omnes autẽ habitus debent præcedere ſuam priuationẽ. ideo rectius ſentit Auerroes, quàm alij. Ad id autem, quod iſti adducunt, quòd cognoſcitur priuatio ex ſuo habitu, & immediate ſequi debet habitum: concedo hoc verum eſſe. quod vero dicunt, quòd ſyllogiſmus elenchus eſt priuatio tantum ſyllogiſmi ſimpliciter: dico, quòd hoc falſum eſt, ſed eſt priuatio ſyllogiſmi demõſtratiui, ac dialectici, ſicut etiam ſyllogiſmi ſimpliciter: cum habitus debeat pręcedere ſyllogiſmum elenchum, quorum eſt priuatio. quare, &c. Quod addis ſecundo ad probandum, ſyllogiſmum topicum eſſe priorem ſyllogiſmo demonſtratiuo: quia cõmuniora ordine doctrinæ debẽt præcedere: ſed ipſe ſyllogiſmus dialecticus eſt cõmunior ſyllogiſmo demonſtratiuo: quia non ſolũ eſt in materia neceſſaria, verum etiã in materia contingenti: demonſtratiuus autem eſt in materia tantum neceſſaria; dico, quòd deciperis: quia ſyllogiſmus demõſtratiuus non prior eſt ſyllogiſmo topico: quoniam per ſe neceſſaria priora ſunt tum contingentibus, tum per accidens neceſſarijs. cum vero dicis: communiora ordine doctrinæ debẽt præcedere: verum dicis. ſed, demonſtratio procedit ex proprijs, topicus autem ex communibus: dico, quòd ſyllogiſmus topicus non eſt ex communioribus ſimpliciter, ſcilicet ſyllogiſmo demonſtratiuo. etſi enim ſit ex communioribus, non eſt ex communioribus ipſo ſyllogiſmo demonſtratiuo, ſed eſt ex communibus concluſionis propriæ: quia non procedit ex proprijs concluſionis, vt demõſtratio, ſed ex communibus reſpectu propriæ concluſionis: non tamen eſt ex cõmunioribus ſyllogiſmo demonſtratiuo: & in hoc multi decepti ſunt. vnde ſolet ſemper dicere Auerroes exponendo Ariſtotelẽ, quando aliqui antiquorum vtuntur tantum communibus rationibus ad aliquid demonſtrandum, Hæc non eſt dialectica: quia procedit ex communibus.

Circa diuiſionem pręſentis libri, aliqui dicunt, quòd diuiditur hic totus liber in partem, quæ eſt de principijs communibus, & accidentibus communibus, & in eam, quæ eſt de principijs proprijs, & accidẽtibus proprijs. Auerroes autem diuidit hunc librum in. 8. partes, & inquit quòd quælibet pars iterũ diuiditur, in ſummas maiores: & minores: & pollicetur ſe dicturum iſtas partes in proœmio cuiuſlibet ſermonis. In primo libro, reiectis antiquorum opinionibus perſcrutatur principia ſimplicia, & incomplexa rerum naturalium, materiam, formam, & priuationem. In ſecundo perſcrutatur de principijs complexis, quibus vtitur in demonſtrationibus naturalibus, vt, quòd natura eſt principium motus, & quietis; quòd omne agens agit propter finẽ; quòd quatuor ſunt genera cauſarum. In tertio, quia iam definierat naturam per motum, dicẽs, quòd natura eſt principium motus, & quietis; ideo inueſtigat, quid ſit motus, & diuidit ipſum in ſua genera. & quia omnis motus eſt cõtinuus, ideo etiam agit de continuo, & quid ſit continuum, oſtendit. & quia cõtinuum eſt illud, quod diuiditur in infinitum; ideo ibi etiã agit de infinito. In quarto libro, quia in tertio iam definierat, & diſtinxerat motum, cum oſtenderet eſſe tum localem, tum intrinſecum, vt eſt motus ad generationem, & augmentum, & alterationẽ; & alij omnes motus præſupponunt motum localem, qui fit in loco: ideo Ariſtoteles in quarto libro agit de loco, & quia omnis motus fit in tempore, ideo agit etiã de tempore. & quia quidam antiquorum opinabantur vacuum eſſe; quia dicebant, nihil aliud eſſe locum, quàm vacuum quoddam: ideo agit etiam ibi Ariſtoteles de vacuo, oſtenditq; vacuũ nullo modo dari. In quinto vero libro iterum reuertitur ad motũ ipſum, diſtinguens à mutationibus, vt à generatione, & corruptione. ſimiliter & tradit vnitatem motus numeralem ſecundum ſpeciem, & genus, & de oppoſitione motuũ ad inuicem, & motus quoque ad priuationem. In ſexto vero reuertitur ad motum, & diſputat de motu, in eo quod cõtinuum eſt diuiſibile in infinitum, & quod nõ componitur ex indiuiſibilibus. In ſeptimo conſiderat in eo, quòd à motore eſt: quia omne, quod mouetur, ab alio mouetur, & realiter diſtinguitur à motore.

re.In

re. In octauo & vltimo conſiderat motum in eo, quòd perpetuus eſt: quia tempus perpetuum eſt: ergo motus perpetuus: ergo motor perpetuus: ergo cœlum perpetuum: & inde innuit ſubſtantias abſtractas eſſe.

Proportio huius libri ad alios libros, inquit Auerroes, eſt duplex. & aduertatis, quòd hic non ſumimus proportionem, vt ſumit Euclides in quinto libro elementorum, ſcilicet: habitudo certa duarum quantitatum, qualiæcunque ſint eiuſdem generis, alterius ad alterũ: ſed ſumitur hic proportio, id eſt habitudo quædam. & hæc habitudo duplex, ſiue proportio, tum totius ſcientię naturalis ad totam ſcientiam ſpeculatiuam: & tunc eſt ſicuti partis ad totum: quoniã ſciẽtia ſpeculatiua eſt duplex, quædam propter exercitiũ, quędam propter perfectionem; propter perfectionem duplex, naturalis, & diuina: propter exercitium autẽ eſt mathematica: illæ dicuntur propter perfectionem; quia ducũt nos ad perfectionem: quoniam immediate diſponunt nos ad beatitudinem, quæ eſt cognitio ſubſtantiarũ ſeparatarum, mathematica vero nõ eſt ad perfectionem; quoniam non ducit nos ad cognitionem ſubſtantiarum ſeparatarum; ſed eſt propter exercitium. & iſte locus varie à multis exponitur, quonã pacto ſcilicet mathematicæ ſint propter exercitium. aliqui exponunt propter exercitium exterius. ideo fere oẽs artes mechanicę mathematicæ ſubalternãtur maxime. 10. libro Euclidis: & artes mechanicæ ſunt propter exercitium exterius, & manuale. Aliqui exponunt, propter exercitium interius, id eſt propter exercitium ingenij, vt dicebat Plato, adinuenta eſt mathematica, vt pueri exerceãt ingeniũ ſuum quia facile addiſcunt, cum facilia addiſcantur, & ingenium diſponitur ad alias ſcientias. & ſic oporteret, vt eas addiſcerent ante logicam. Aliqui, vt Ariſtoteles in procemio Metaphyſicæ exponit, quòd inuentæ ſunt mathematicæ propter exercitiũ à ſacerdotibus Aegyptijs: quia ipſi in ijs frequenter exercebantur. nefas enim erat ipſis operari opera manualia, ac ſeruilia: ac, ne ocio marceſcerẽt, his ſcientis operam dabant. Iterũ poteſt eſſe proportio præſentis libri Phyſicorum ad totam ſcientiã naturalem: & ſe habet ſicut pars ad totũ, & ſicut elementa ad rem elementam: quoniam in hoc libro habẽtur principia, & radices vniuerſales totius philoſophiæ naturalis: & eſt ſicut fundamẽtum aliarũ partiũ: & ſic iſte liber eſt primus omniũ librorũ philoſophiæ naturalis.

LECTIO SEXTA.

SEQVITVR aliud caput Auer. quod appellatur via doctrinę. huius capitis nõ meminit Simplicius. in principio. n. prologi Auerroes propoſuit octo capita, intẽtionem, libri vtilitatem, ordinem, diuiſionẽ, proportionem, viam doctrinæ, nomen libri, nomen auctoris. & iam quinque declarauit. reliquum modo eſt declarare viam doctrinę. & doctrina ex Ariſtotele, primo Poſt. trifariam ſumitur, primo pro habitu recepto in diſcipulo, quem ſcilicet doctor generat in diſcipulo ipſum docendo: alio modo pro actione, id eſt productione ipſa; quia doctor docet. & nullo horum modorum hic ſumit Auerroes, viam doctrinæ. tertio modo ſumitur doctrina pro inſtrumento, quo mediante, tanquam inſtrumento, generatur habitus ſcientiæ in diſcipulo. & hoc pacto ſumit hic Auerroes doctrinã, aut viam doctrinæ, id eſt inſtrumentũ, quo mediãte acquiritur ſcientia. Inquit igitur Auerroes: Via doctrinæ, id eſt inſtrumentum doctrinæ ſunt ſpecies doctrinæ vſitatæ in hac ſcientia. & hic eſt vnus finis generalis omnium ſcientiarum, ſcilicet cognoſcere ſuum ſubiectum. quoniam vero, quod nobis in ſcientijs notificatur, poteſt eſſe duplex, ſimplex, & compoſitum, ſiue complexum: ideo diuerſa inſtrumẽtorum genera neceſſaria ſunt. ſi enim ſimplex: ex diuiſione & definitione fit nobis notum, quę explicãt eſſentiam, & quidditatem rei. ſi vero ſit complexum tale ignotum: fit nobis notũ aut ſyllogiſmo, aut enthymemate, aut inductione, aut exemplo quæ ſunt quatuor ſpecies argumentationis, quę quidem indicant abſconditam, & latentem naturam ipſius complexi. Dicit igitur Auerroes: Via doctrinæ, id eſt inſtrumentum tradendi ſcientias eſt quincuplex, diuiſio, definitio, demonſtratio, enthymema, & inductio. & aliquibus horum generum doctrinæ vtuntur etiam aliæ ſcientiæ: ſicuti inductione, exemplo, & enthymemate vtũtur dialecticus, & rhetor. ergo communia ſunt omnibus. vos ſcitis, quòd definitio ea eſt, quæ declarat eſſentiam rei, & conſtat ex genere, & differentia. diuiſio eſt, quæ declarat perplexa ſignificata termini multiplicis, vt canis. Demonſtratio vero, vt hic accipitur ab Auerroe, eſt ſyllogiſmus, qui eſt ex ijs, quæ per ſe inſunt & dicit quòd demonſtratio eſt trifariam, ſcilicet demõſtratio ſigni, demonſtratio cauſæ tantum, & demonſtratio ſimpliciter, ſcilicet cauſæ & eſſe. & dicit, demonſtratione ſigni ſæpiſsime vtitur philoſophus in hac ſcientia, raro demõſtratione cauſæ, rariſsime demonſtratione ſimpliciter, vt declarauimus verba Auerrois hic, & in ſecũdo cœli. 35. Vos ſcitis ex Ariſtotele, primo Poſt. quòd duplex eſt demonſtratio, ſcilicet propria, & eſt demonſtratio à cauſa ad effectũ, vt quando demonſtramus effectum per cauſam. eſt etiam demonſtratio impropria, quæ vocatur demonſtratio ſigni: quæ ſe habet econtra, ſcilicet ab effectu ad cauſam: & eſt, cum procedimus à proprietatibus ad cauſam: & eſt impropria demonſtratio: & vocatur à Themiſtio ſecundo Poſt. ſyllogiſmus ab euentu. & ſic ex iſta demõſtratione, demonſtramus cauſam per effectum. Demõſtratio vero cauſæ adhuc ſubdiuiditur ab Auerroe. eſt enim duplex: quia aut eſt notior effectus cauſa, & tunc demõſtramus cauſam per effectũ: & hæc vocatur demonſtratio cauſæ tantum: quia cum effectus ſit notus, tantũ cauſam notificat: aut ſe habet econtra, ſcilicet quòd cauſa ſit notior effectu: & demonſtramus effectum per cauſam: & tunc dicitur demonſtratio ſimpliciter, quæ dat cauſam, & effectum, qui iam erat ignotus. do exemplum. ſi quis videat lunam eclipſari, videt quidem hũc effectum, & apud ipſum notus eſt: ſi autem ad eum accedat aliquis aſtrologus, & demonſtret ei lunam eclipſari. & ſic arguit, quotiens terra interponitur inter ſolem & lunam, & adſint reliquæ cõditiones, vt ſit eſt cauda draconis, eſt eclipſis hæc demonſtratio reſpectu illius eſt demonſtratio cauſę tantum: quoniam, etſi addiſcat ex tali demonſtratione, hũc effectum eſſe effectum talis cauſæ, tamen, quia apud ipſum effectus erat ei notus, tantum didicit cauſam. & hæc dicitur demonſtratio cauſæ tantum. ſi vero non viderit, lunam eclipſari, & addiſcat hunc effectum eſſe huius cauſæ; ſimul addiſcit cauſam & effectum. & tunc effectus non eſt notior cauſa. & hæc eſt demõſtratio ſimpliciter. Dicit igitur Auerroes, quòd triplicis generis eſt demonſtratio, ſcilicet, quia, cauſæ tantum, & ſimpliciter. & philoſophus, vt plurimum vtitur demõſtratione quia, (vt dicit Auerroes hic in procemio, in textu ſecundo: Innata eſt nobis via a notioribus) raro vtitur demonſtratione cauſæ, rariſsime demonſtratione ſimpliciter. & ſic philoſophus vtitur omni genere demõſtrationis, ſed vt plurimum demõſtratione quia Mathematicus vero ſe habet oppoſito modo, quia ſemper procedit à cauſa ad effectus. vtitur etiam philoſophus inductione, & enthymemate. inductio ex Ariſtotele primo Topicorum eſt progreſſus à ſingularibus ad vniuerſale. enthymema vero biſa-

ro biſariã ſumitur, proprie ſcilicet, & eſt ſyllogiſmus truncatus, in quo altera præmiſſarum reſeruatur in mente: & tãtum accidentaliter differt à ſyllogiſmo, alio pacto ſumitur enthymema, improprie, omne argumentum, quod procedit ab vno ad vnum, ſiue ſit ab vno termino ad vnum terminum, ſiue ex duobus terminis, ſiue ſit, ex quatuor terminis. Exemplum primi, ſicuti ſi arguamus à ſpecie ad genus, vt homo eſt, ergo animal: ſiue, hõ currit, ergo animal currit. exemplum ſecundi, vt arguendo à concretis ad abſtracta, vt docuit nos Ariſtot. in Topicis. Sed dices, quo modo inductio, & enthymema ſunt inſtrumẽta doctrinæ in ſcientijs, ſi dialecticus & rhetor propter ſui imperfectionem ipſis vtuntur? Reſpondet Auerr. quòd verum eſt, quòd hæc duo inſtrumenta non tantum conueniunt ſcientijs, verum etiam ipſis vtuntur & dialecticus & rhetor, diuerſimode tamen: quia alio modo ipſis vtitur dialecticus & rhetor, alio modo naturalis philoſophus: ſed, quo modo differant, hic non explicat Auerr. poteſt tamen ex ipſo hoc alibi colligi, & recte. triſariam enim differunt inductio, & enthymema philoſophi naturalis ab inductione, & enthymemate dialectici & rethoris in materia ſcilicet, & forma, & in fine ex parte materiæ differunt; quia inductio dialectica eſt in materia contingenti, aut, etſi ſit in materia neceſſaria, non tamen eſt per ſe, ſed per accidens: quia non eſt taliter, vt ſit habitudo eſſentialis prædicati ad ſubiectum: vt ſi dicã: omne animal pauci coitus eſt longioris vitæ: hæc enim non eſt habitudo eſſentialis prædicati cum ſubiecto: quia tale prædicatum non eſt definitio, nec pars definitionis, nec propria paſſio ipſius ſubiecti: quia nõ conuertitur cũ ſubiecto. Naturalis vero vtitur inductione in materia neceſſaria, & neceſſaria per ſe, vbi eſt eſſentialis habitudo prædicati cũ ſubiecto: vt, natura eſt principiũ motus, & quietis. ex differẽtia enim naturalium ab artificialibus ſumit hanc propoſitionem, in qua eſt prædicatio neceſſaria, & vniuerſaliter per ſe: vt, omne agens naturale agit propter finem. differũt igitur inductio dialectici, & naturalis, ex parte materiæ: ſed differunt etiam ex parte formæ, quia inductio rhetoris eſt imperfecta: procedit enim non à ſingularibus ad vniuerſalia, ſed à ſingularibus ad ſingularia: vt Plato, Socrates, Cicero, & Alexander ædificauerunt arcem, & tyrannidem exercuere: ergo Philippus ædificans arcem, tyrannidem exercebit. quare impropriè vtitur inductione. Dialecticus vero etſi non vtatur proprie inductione, tamen ſemper habet inducere omnia ſingularia, aut implicite, vt per ſingulare, & ſic de ſingulis: aut explicite: ſemper enim neceſſe eſt, vt dialecticus afferat omnia ſingularia, ſi vult inferre concluſionem. quãdoque etiam valet talis inductio, ſi non inducat omnia ſingularia, ſi tamen non adſit inſtantia. Vnde Ariſtoteles primo Topicorum ait, negantem talem inductionem, ſi non afferat inſtantiam, eſſe proteruum. Inductio autem, qua vtitur philoſophus, non ſumit omnia ſingularia, ſed aliquando plura, aliquando pauciora, prout propoſitio magis vel minus latet, aut prout diſcipulus eſt aut maioris, aut minoris ſolertiæ. Sed dices: vellẽ ego ſcire, quot ſingularibus vti debeat inductio ad generandam ſcientiam in animo diſcipuli. Dico, quòd tot vti debet, quot ſufficiant diſcipulo, vt cognoſcat eſſentialem habitudinem prædicati cum ſubiecto. cum enim eſt per ſe, & neceſſaria, eſt etiã de omni: quia omne per ſe præſupponit de omni. & hæc quantitas ſingulariũ eſt ſecundum maiorem, vel minorem ſolertiam diſcipuli. tum etiã ex propoſitionibus, prout habet maiorem, aut minorem latentiam. do exemplum: vt, ſi artifex, puta medicus vellet declarare, quòd omne reubarbarum purgat coleram; ad hanc propoſitionem inducendã non ſunt neceſſaria omnia ſingularia, ſed quædam tantum, vt, ſi inducat: reubarbarum Platoni exhibitũ in forma humida purgauit coleram; in forma ſicca Socrati exhibitum purgauit coleram; idem fecit in forma calida, & frigida: omne igitur reubarbarum purgat coleram. quia per ſe, & eſſentialiter hoc reubarbaro contingit, nõ autem ex parte accidentium: quia, variatis accidentibus, ſemper purgat coleram. ergo habet hoc per ſe, ex ſui eſſẽtia. & omne per ſe præſupponit de omni. ergo omne reubarbarum coleram purgat. Differunt tertio inductio dialectica ab inductione philoſophi ex fine: quia dialecticus inductione vtitur, vt probet ignotum; philoſophus vero naturalis, non vt probet ignotum, ſed vt probet quod quaſi notum eſt. Triplex enim genus propoſitionum poſuit Auerroes, vt eſt videre ab ipſo primo cœli. Nam quædam ſunt, quæ ſunt ſimpliciter ignotæ: & hæ demonſtratione indigẽt pro ſui declaratione. quædam ſimpliciter notæ: & hæ ex ſola terminorum cognitione cognoſcuntur, vt dignitates aliæ ſunt medio modo ſe habentes, non omnino ignotæ, nec omnino notæ: & tales, quia non ſunt omnino ignotæ, non egent demonſtratione, quia etiam omnino notæ, vt ex ſola terminorum cognitione cognoſcantur, indigent aliqua declaratione: & in hac declaratione philoſophus vtitur inductione, non autem ad declarationem penitus ignoti, vt facit dialecticus. Enthymema eodem modo differt in dialecticis, & philoſophis, ſcilicet tum ex parte materiæ, tum ex parte formæ, tum etiam ex parte. finis ratione materiæ dicitur, quia aut non eſt in materia neceſſaria, vt ſi eſt per accidens: quia non eſt eſſentialis habitudo prædicati cum ſubiecto: tum etiam ex parte formę: quia enthymema dialectici non eſt virtualiter ſyllogiſmus, vt eſt illud philoſophi. poteſt enim eſſe ex duobus terminis, & ex quatuor, vti diximus. ex parte etiam finis differt: quia enthymema rhetoris, & dialectici eſt, ad generandam ſuſpitionem & opinionem: enthymema autem philoſophi eſt ad generandam fidem firmam, & veram. quare differunt hæc inter ſe, vt diximus. Sed de exemplo quid dicendum eſt? tacet enim Auerroes exemplum. nõne etiam exempla in ſcientijs requiruntur? quid igitur dicendum de exemplo ipſo? Secundo dubitatur, quia Auerroes videtur ſuperfluus in declarandis generibus demonſtrationis. Ariſtoteles enim non tradidit nobis niſi duo genera demonſtrationis in libris Poſt. ſcilicet quia, & propter quid: hic Auerroes tradit tria genera demonſtrationis. ergo ſuperfluus. Tertio dubitatur, quia hic Auerroes declarans nobis viam doctrinæ, omittit viam reſolutiuam, & compoſitiuam, de quibus meminit Galenus in principio artis medicinalis, vt procedendo à compoſitis ad ſimplicia, vel è contra. etiam in rebus naturalibus proceſsit Ariſtoteles per hanc viam, vt octauo Metaphyſices, ſcilicet reſoluendo totum in partes organicas, organicas in ſimilares, ſimilares in humores, humores in elementa, elementa in materiam, & formam. è contrario autem procedit compoſitio, id eſt via compoſitiua. Dico de primo, quòd recte Auerroes tacuit exemplum: quoniam ipſum connumerari non debuit inter inſtrumenta, quibus generat præceptor ſcientiam in diſcipulo: ſed tantum exemplum requiritur ex parte addiſcentis, vt in maxima rei latentia, vt fecit Ariſtoteles declarans in nobis intellectum potentiæ, à generatione. aſsimilauit enim ipſum tabulæ raſæ propter latentiam eius, notificauit nobis ipſius naturam. exemplum igitur non eſt inſtrumentum, quo mediante præceptor generat ſcientiam in diſcipulo; ſed ex parte diſcipuli requiritur ad maiorem claritatem rerum latentium, non ex parte ſciẽtiæ. De ſecundo, quia dicis, quòd Auerroes ſuperfluus videtur, declarans nobis tria genera demonſtrationũ cum Ariſtoteles

ſtoteles nobis tantum duo genera explicauerit: dico, quòd Ariſtoteles, volens explicare tantum per ſe genera demonſtrationis, explicauit, quę per ſe, & eſſentialiter diſtinguũtur, deſpiciens quæ ſunt per accidens, tanquam non digna poni in ſcientijs. ideo tantum duo poſuit genera demonſtrationis. Auerroes vero, volens cõnumerare & diſtinguere quæ ſunt per ſe, & quę ſunt per accidẽs, ponit tria genera demõſtrationum. demonſtratio enim cauſæ tantum, & demonſtratio ſimpliciter non diſtinguitur eſſentialiter, & per ſe, ſed tantum per accidens, & ex parte noſtri. omnis enim demonſtratio per cauſam. ſicut nata eſt demonſtrare per cauſam, ita nata eſt demonſtrare effectum eſſe; ſi modo accidat vt aliquis ſciuerit effectum eſſe ante demonſtrationem, & ante cauſam, per hanc demonſtrationem habebit tantum cauſam. ſed hoc non eſt ex parte demonſtrationis, ſed accidit ratione noſtri. De tertio, quia Auerroes nõ meminit reſolutionis & compoſitionis in vijs doctrinæ: dico, quòd recte fecit Auerroes: quia reuera hęc nõ ſunt inſtrumenta doctrinæ, ſed potius ſunt ordines doctrinæ: quia ex ipſis ordinantur ſcientiæ: an ſit incipiendum à ſimplicioribus componendo, an à compoſitionibus diuidendo. non autem ſunt inſtrumenta, vt per ipſa diſcipulus ſcientiam acquirat à pręceptore. & omnes latini in hoc decepti, & Vgo Senenſis, & Gentilis, & omnes exponentes artẽ medicinalem Galeni.

Nomẽ huius libri eſt auditus naturalis. proſequitur Auerroes declarando ſeptimum caput, de inſcriptione libri. naturalis, inquit, appellatur, quia de principijs naturalibus. auditus vero dixit, gratia ornatus; quia aliquando gratia ornatus mutamus verbum verbo. & dicit auditus, quia accidit ſermoni, vt audiatur. ita dixit Ariſtoteles. 3. Rhet. Rhetor aliquãdo vtitur verbis peregrinis ornatus gratia. & hoc multotiens facit Ariſtoteles. appellat enim Socratem Sophroniſci filium. Sed tu dices: hac ratione quilibet liber naturalis philoſophię, debet dici de auditu naturali, ſiue de naturali ſermone: quia in omnib. libris naturalis philoſophiæ deſcribuntur res naturales. Reſpõdet Auerroes, quòd reuera ita eſt, poſſumus enim, non debemus tamen. appropriatur enim huic libro talis inſcriptio: quia iſte liber eſt primus, & præcipuus, & quaſi radix totius philoſophiæ naturalis, & ſe habet ad reliquos libros, ſicut elemẽtum ad elementatum. Sed hic dubitatur, quo modo Auerroes dicit gratia ornatus mutandum eſſe nomen. quia quarto huius & tertio Metaphyſices Ariſtoteles taxat Platonem, qui vtitur metaphora, qui aſſimilauit locũ vaſi dixit enim, locus eſt ſicut vas. in quo reprehẽdit eum Ariſtoteles: quoniam in ſcientijs non debemus vti metaphora. quo modo ergo Auerroes interpretatur recte hanc inſcriptionem, ſcilicet de auditu, & de ſermone? Ideo aliter dicunt latini, vt Albertus Alemanus. quòd ideo iſte liber deſcribitur de auditu naturali, quia eſt de principijs: quæ quidem principia non indigent demonſtratione ad hoc, vt percipiantur; ſed ſolum indigent, vt audiantur: quoniã ex ſe nata ſunt: ideo ſolo auditu percipiuntur. Sed hæc expoſitio Alberti longe deficit à veritate, quia hic liber principaliter eſt de principijs complexis; quæ non tantum auditione, ſed demonſtratione percipiuntur à nobis, vt, quòd tantum tria ſint principia, Ariſtoteles probauit, ſcilicet materia, forma, & priuatio. vnde aliter dicit Thomas, & ſimul cum ipſo Egidius, quòd ideo hic liber appellatur de auditu, quia Ariſtoteles tradidit nobis volumina duplicis generis: quædam ſcilicet ſola locutione edidit, quæ à diſcipulis, non autem ab ipſo ſunt ſcripta: & talia de auditu inſcribũtur: alia tradidit in ſcriptis. & quia iſte liber eſt de illis, quos Ariſtoteles non in ſcriptis, ſed voce tradidit, & audiebatur à diſcipulis, & ſcribebatur, ideo hic liber de auditu naturali appell-tur. Sed quo modo poteſt eſſe vera hæc ſententia diui Thomæ, cum circa hunc librum tot Græci ſtuduerint, & laborauerint in eius expoſitione? ſi. n. non eſſet ab Ariſtotele in ſcriptis traditus, non etiã credendum, quòd tantum circa ipſum laborauerunt expoſitores: tum quia illa diſtinctio voluminum, quam diuus Thomas Ariſtot. attribuit, non conuenit ipſi Ariſtoteli, (non enim tradidit Ariſtoteles aliquos libros voce) ſed tantum Platoni, vt docet nos Ariſtoteles primo cœli. deinde vos videtis grauem modum procedendi in hoc libro: vt non ſit credendum ab alio eſſe ſcriptũ, quàm ab Ariſtotele. ipſe enim primo cœli, citans verba Platonis, dicit, vt dicit Plato in libris non ſcriptis. Ideo Simplicius rectius interpretatur hunc titulum, quòd ſcilicet ideo appellatur auditus naturalis, quia eſt de rebus naturæ magis ſecretis, & intrinſecis, ac arduis. eſt enim de primis principijs naturę, ideo de rebus, quæ sũt exquiſitioris indagationis. duplicis enim generis Ariſtoteles ſcripſit nobis libros philoſophiæ naturalis: (non dico, tradidit, vt ait Thomas, ſed dico ſcripſit) vnum genus, quod appellatur auſcultatorius, id eſt dignus, vt & ſæpius audiatur, & ab ipſo Ariſtotele audiatur: quia in hoc genere traditur exquiſitior, & ſecretior philoſophia. & huiuſmodi ſunt oẽs libri philoſophiæ naturalis, & Metaphyſica. vnde hic citat Simplicius epiſtolã, quam Ariſtoteles ſcripſit ad Alexandrum. conquerebatur enim quòd Ariſtoteles edidiſſet ſuos libros. Reſpondet Ariſtoteles: ſcito, quòd hi libri editi, ſunt, & non editi; quia tantum intelligentur ab ijs, qui nos audiuerũt. ideo tales libri appellãtur de auditu: quia ad hoc, vt intelligantur, auſcultatione digni ſunt. quorum vnus eſt hic liber phyſicorum. Alterum genus librorum eſt, in quibus tractantur res extraneæ, & alienæ à ſecretiori philoſophia: & hi non appellantur de auditu naturali, vt ſunt libri Ethicorum, Politicorum, & de hiſtorijs. de hac diſtinctione meminit Plutarchus, & Diogenes Laertius in vita Ariſtotelis. Sed dicis, cur hic ſolus liber appellatur de auditu? cum hac ratione omnibus libris tum philoſophiæ naturalis, tum Metaphyſicæ talis inſcriptio conueniat. Dico, ea ratione, quam dicit Auerroes: quia hic liber eſt primus, & principalis, & radix omnium aliorum librorum, & fundamentum, (continet enim virtute omnes alias ſcientias) ideo propter eius excellentiam ſic inſcribitur.

LECTIO SEPTIMA.

DECLARAVIMVS ex ſententia Simplicij deſcriptionem libri, qui appellatur de auditu naturali, reiectis aliorũ opinionibus, tum Auerrois, tum Latinorum, ſcilicet diui Thomæ, Alberti, Egidij: quòd ideo dicitur naturalis, quia in eo pertractantur principia rerum naturalium; dicitur vero de auditu, quia hic liber computatur inter libros auſcultationis, vt diximus de mente Græcorum. Sed eſt difficultas ex Simplicio, quia alibi Ariſtoteles alia inſcriptione vtitur huius libri. aliquando enim appellat ipſum, de principijs naturalibus; aliquãdo, de motu. inquit enim Adraſtus, quòd primos quinque libros Ariſtoteles appellat de principijs naturalibus; tres vero vltimos, de motu. hæc eſt opinio Adraſti: quam inſequitur Simplicius hic, Sed dico, quòd hæc opinio Adraſti non videtur vera: quia ſolus primus & ſecundus liber ſunt de principijs naturalibus, primus ſcilicet de principijs incomplexis, id eſt de materia, forma, & priuatione; ſecundus vero de principijs complexis, & dignitatibus, quibus vtitur philoſophus naturalis; quę ſunt tria principia nam eſt principiũ motus, & quietis. ſecundũ vero, ſunt qua-

tuor genera cauſarũ.tertium,omne agens naturale agit propter finem.quare ſolum hi duo libri videntur eſſe de principijs naturalibus, non autem quinque, vt dicit Adraſtus. Secũdo, quia Ariſtoteles in tertio libro agit de motu .in primis.n.definit motũ, & diuidit ipſum in ſua genera.quo modo ergo tertius liber erit de principijs naturalibus, non de motu? Tertio,adhuc dubitatur, quia ſimiliter & totus quintus liber eſt de motu. in principio enim ſeiungit motum à mutatione,& oſtendit conditiones motus: & de nulla alia re agit in eo libro,q̃ de motu.quo modo ergo liber quintus eſt de principijs? Quartò:dubitatur,quia videtur,quòd ſeptimus & octauus ſint de principijs naturalibus, non autem de motu, vti dicit Adraſtus. in ſeptimo enim libro inducit nos Ariſtoteles in notitiã primi motoris corporei.per hanc enim propoſitionem,quòd omne, quod mouetur, ab alio mouetur,oſtendit, quòd mouens ſeiungitur re à motore.& ſic ducimur in cognitionem primi motoris corporei. quod eſt vnum principium primum.In octauo vero libro Ariſtotelis ex perpetuitate motus ducit nos in notitiam primi motoris incorporei,& ſubſtãtiarum abſtractarum. hæc autem duo principia naturalia,ſcilicet motor corporeus,& incorporeus,ſunt principia efficientia. ergo potius videtur,quòd hi duo libri ſint de principijs, quàm de motu. Quintò, eſt dubitatio quia tertio cœli ſub nomine de motu & tempore citauit primum librum Phyſicorum, vt annotauit Simplicius.quo modo ergo dicit ille, quòd primi quinq; libri appellãtur,de principijs naturalibus,reliqui tres vltimi de motu? Sexto,dubitatur, quia Ariſtoteles etiam alijs inſcriptionibus vtitur de hoc libro. quarto enim cœli appellat ipſum de primis ſermonibus,dicẽs,ſicut dictum eſt in primis ſermonibus.non ergo tantum hoc inſcribitur. Dico,quòd recte loquitur Simplicius hic ex Adraſto. & reuera proprie primi quinque libri,de principijs naturalibus inſcribuntur, & appellantur ab Ariſtotele. reliqui vero tertius dicũtur de motu.nam primo cœli, & ſecundo Poſt.appellat Ariſtoteles primos quinque de principijs naturalibus, reliquos tres de motu.& in principio Metaphyſices appellat ipſos,de primis cauſis,& de motu. ideo ad obiectiones in contrarium, & de primo,cum dicis, quòd tantũ primus & ſecundus ſunt de principijs naturalibus:dico ad hoc, quòd non eſt intelligenda hęc deſcriptio,de principijs naturalibus,adeo reſtricta, vt eſt, quia tantum in ipſis agat de principijs naturalibus;ſed debet eſſe amplior hęc deſcriptio,ideo diminuta eſt inſtantia:quia intelligendum eſt,quòd primi quinque libri debent inſcribi de principijs cõmunibus,& accidentibus communibus.quaſi triplex ſit inſcriptio, prima, de principijs cõmunibus incomplexis,vel complexis:& ſic ſunt duo primi libri:ſecunda inſcriptio eſt de accidentibus communibus: & ſunt tertius & quartus & quintus. ideo illi libri, in quibus agit de accidentibus cõmunibus rerum naturalium, inſcribuntur, de principijs naturalibus: quæ accidẽtia communia ſunt quatuor ſecundum rei veritatem, ſcilicet continuũ,motus, locus,& tempus: duo vero ſecundum exiſtimationem,ſcilicet vacuum,& infinitum. quia igitur in tertio,quarto, & quinto agit de his accidẽtibus communibus, ideo hi libri de principijs naturalibus. quare deſcriptio debet eſſe latior vti diximus: quia comprehendit etiam accidentia propria naturalia. De ſecũdo quòd dicis,quia ſecundus liber potius eſſet inſcribendus,de motu, quàm de principijs:quia in principio definit motũ, & diuidit eum in tria genera: Auerroes primo cœli, 18.diſſoluit hanc difficultatẽ,& inquit,quòd ideo talis liber nõ eſt inſcribẽdus,de motu, etſi in eo pertractetur de motu, ſed, de principijs, quia minima pars eius eſt,in qua tractatur de motu, reliqua autem maior pars eſt de continuo,& infinito.Sed hac ratione nec talis liber eſſet inſcribendus, de principijs naturalibus: quia nulla ſit mentio in ipſo de principijs naturalibus. quare igitur magis inſcribendus eſt, de principijs, cum de ipſis nulla fiat mentio, quàm de motu, cum de ipſo aliqua mentio fiat.ſimiliter ſecundus liber eſt totus de motu, & de nullo alio ſit in ipſo mentio,quàm de motu. cur igitur non inſcribitur de motu,rõne Auerrois?ideo aliter ego in ſequentibus dicam. De tertio quòd dicis, quia totus quintus liber eſt de motu,quo modo ergo inſcribitur,de principijs naturalibus? in hoc Simplicius ſibi aduerſatur. hic enim ſequitur ſentẽtiam Adraſti,primo cœli aliter ſenſit;& ibi inquit, quòd tantum tres primi libri dicuntur, de principijs; quinque vero vltimi,de motu. & Ioannes grammaticus etiã hoc in loco ſequitur Simplicium, eſt tamen oppoſitum:& recte hic ſentit Simplicius cũ Adraſto. ita enim habet inſcriptio in codice græco,vt primi quinque libri, de principijs naturalibus,inſcribãtur,reliqui vero tertius de motu.quare perperã loquitur Simplicius & primo cœli, & vbi aliter quam hic,ſentiat. Et ego aliter dico; ſequẽdo ſententiam Adraſti,& Simplicij hic,ꝙ quintus liber,dicatur de principijs naturalibus: quia in eo agitur de accidentibus communibus naturalibus,ſcilicet de motu, immo totus eſt de motu.quo modo ergo de principijs.dico, quòd & ſi in tertio & quinto libro agatur de motu; quia tamen nõ agitur de motu ſub ratione motus,quà motus eſt,ſed quatenus eſt accidens cõmune omnibus rebus naturalibus; ideo debet dici,de principijs naturalibus, id eſt de accidentibus cõmunibus rerum naturalium; quia vero in ſexto ſeptimo & octauo agit Ariſtoteles de motu, quatenus habet rationem motus,non vt eſt accidens commune rerum naturalium; ideo illi tres recte dicuntur de motu.& quòd ita ſit,patet quia in tertio & quinto cum definit, & diuidit motum,ſemper talis definitio & diuiſio accipitur penes materiam; quia dixit definiẽs motum, motus eſt actus corporis in potentia, vt in potentia.accipit ergo corpus naturale in eius definitionem; quod eſt philoſophiæ ſubiectum. Etiam diuidit motum in tria genera,ſcilicet in quantitatẽ,& qualitatem,& vbi:quæ ſunt affectiones corporis naturalis. ita ſcilicet ſeiungit motum à mutatione:quia motus ſit ſucceſsiue,mutatio vero in inſtãti.& circumſcribunt materiam,& declarans vnitatem motus declarat ex forma, quæ concernit materiam naturalem. quare ſemper accipit motum,vt accidit rebus naturalibus, & vt eſt effectus corporis naturalis.quare hic agit de motu non quatenus motus,ſed vt accidẽs rebus naturalibus. ideo nec hi libri inſcribi debent,de motu,ſed,de principijs.in tribus vero vltimis agitur de motu ſub ratione motus; in ſexto enim agitur de ipſo, vt, quantus continuus indiuiſibilis in infinitum in ſeptimo vt ducit nos in motorem corporeũ, ſcilicet quòd talis motor eſt ſeiunctus à re mota. in octauo agit de motu,vt perpetuo, vt ducit nos ad primum motorẽ incorporeum,& ſic hic non conſideratur materia, ſed tantũ motus, & vt motus. Sed dicis cur Ariſtoteles habuit duas conſiderationes de hoc accidente communi, ſcilicet de motu tum de alijs non? agit enim in tertio & quinto de motu, non ſub ratione propria;non fecit autem ſic de alijs accidentibus communibus.Dico, quòd hoc ideo fecit Ariſtoteles, quoniam motus eſt principium, & principale accidens rerum naturalium. ideo vt de ipſo exactiorem notiam haberemus, vt de præcipuo accidente, duas conſiderationes de ipſo Ariſtoteles habuit: reliqua vero accidentia nõ ita exacte competunt rebus naturalibus:ideo de ipſis tantum curæ non ſibi fuit,& ea vno modo conſiderat. De alia dubitatione,cũ dicebas: videtur potius, quòd duo vltimi,ſeptimus & octauus

octauus ſint inſcribendi de principijs, quam de motu, quia ducunt nos in cognitionem principiorum efficientium rerum naturalium, id eſt corporei, & incorporei id eſt abſtracti: ad hanc dubitationem dupliciter reſponderi poteſt, primo, vt dicamus, quod iſti duo libri, etſi ducant nos ad principia, tamen eſt per accidens. ſeptimus enim liber per accidens ducit nos in cognitionem motoris corporei, octauus vero in cognitionem incorporei motoris: reliqui vero ducunt nos per ſe in cognitionem principiorum, vt primus, & ſecũdus. Quòd ſi dicas quare magis ſeptimus & octauus ducant nos in cognitionem principiorum per accidens? dico, quòd Ariſtoteles volens tradere nobis conditiones motus, quarum vna eſt hæc, quòd ducat nos in cognitionem primi motoris; quia omnis motus eſt à motore in motum; ideo duxit nos in cognitionem primi motoris corporei, & ex alia conditione, ſcilicet ex perpetuitate duxit nos in cognitionem primi motoris incorporei, & æterni. ideo dans cõditiones motus tradidit etiam primorum principiorum extrinſecorum notitiam. Quòd ſi dicas vbi igitur Ariſtoteles tractauit de primo motore per ſe? dico, nullibi: nec tamen ſequitur, quòd Ariſtoteles ſit diminutus: quia in octauo tractauit, quo ad omnem cognitionem naturalem, & id fecit ob facilitatem doctrinæ: quia ibi habebat mediũ conueniens ad id demonſtrãdum. & quoniam quilibet ibi habuerat omnem notitiam, quamuis per accidens, quam habere poſſit: ideo nullibi amplius tradidit talem notitiã, breuitati ſtudens, vt ſui moris eſt. Eſt & alia ratio, & rectior, quod etſi iſti libri ducant nos in cognitionem principiorum, & cauſarum efficientium; quia tamen ſunt cauſæ extrinſecæ, non intrinſecæ, (effectus enim & finis ſunt cauſæ extrinſecæ) ideo non debent appellari de principijs; ſed tantum alij inſcribẽdi ſunt de principijs, quia ſunt de principijs intrinſecis, ſcilicet materia, forma, & priuatione. De quinto; quòd dicebam, quòd tertio cœli animaduertit Simplicius, quòd Ariſtoteles primum librum de motu, & ipſe intellexit primum librum phyſicorũ. dico, ſicut hic dicit Ioannes Grammaticus, quòd Ariſtoteles ita conſueuit, vt aliquando denominaret totum nomine patris: quandoque è contra denominat partem nomine totius. aliquando etiam denominat partem nomine alterius patris: ſicut in propoſito, nominauit primum librum phyſicorum nomine alterius patris. nihilominus deſcriptio hæc eſt per accidens & propria deſcriptio eſt de principijs naturalibus. De ſexta dubitatione, & vltima, quia Ariſtoteles alijs nominibus hũc librũ appellat quàm de principijs naturalibus, & de motu, vt primo cœli eum vocat de primis ſermonibus, ideo, &c. dico ad hoc, quod etſi ita ipſum nominauit Ariſtoteles, tamen eſt impropria hæc inſcriptio: quia propria inſcriptio ſumitur à materia, de qua pertractatur in iſto libro: impropria vero poteſt aliquando ſumi ex ordine librorũ: quia talis liber obtinet primum locum, vt hic fecit Ariſtoteles: appellauit enim eum de primis ſermonibus, ſed impropriè: quia ex ordine doctrinæ, hic eſt primus liber inter reliquos philoſophiæ naturalis. Sequitur vltimum cap. Auerroes declarandum; ſcilicet de nomine auctoris, & per declarationem nominis auctoris nihil aliud intendimus oſtẽdere, niſi quòd talis liber ſit proprius, & non ſpurius, ſed legitimus Ariſtotelis: ideo in hoc capite intendit Auerroes declarare, hunc librum Phyſicorum eſſe legitimũ Ariſtotelis ſed; vt inquit Simplicius, ſuperfluum eſt hoc cap. quia Ariſtoteles vbique cognoſcit hunc librum, vt ſuum. Secundo poteſt cognoſci ex modo philoſophandi. habet enim Ariſto. modum philoſophandi diſtinctum tum ab antiquis, tum etiam à Platone: ab antiquis, quia ipſi tradebant ſua opera per modum ſimilitudinis, & metaphoræ: Ariſtoteles vero tradidit nobis ſuas ſciẽtias per demõſtrationes: à Platone vero, quia Plató accipit ſua principia nota intellectui, Ariſtoteles vero nota per ſenſum. Differt vero ab vtriuſque ſimul, quia Ariſtoteles tradens nobis ſcientias deſcendit ad minima, & particularia; illi autem non deſcendunt. Tertio cognoſcitur quòd hic liber eſt Ariſtotelis, ex modo ſcribendi. mira enim obſcuritate nobis traditur hic liber. quod quidem fecit dedita opera; vt rudia ingenia à ſe repelleret, quibus nõ eſt ſcripta philoſophia; tanquam ea non ſint digni. quare reuera hoc cap. ſuperfluum eſt. inquit igitur Auerroes, quòd nomen auctoris eſt Ariſtoteles, Nicomachi filius, ſapientiſſimus Græcorum; qui tres artes inuenit, & cõpleuit, ſcilicet dialecticam, naturalem, & diuinam: inuenit quidem, quia, quicquid inuenit ſcriptum ab antiquis in hac ſcientia, non eſt dignum vt ſit pars huius artis, nec principiũ; compleuit vero, inquit Auerroes, quòd eorũ qui ſecuti ſunt poſt Ariſtotelem vſq; ad hoc tempus, quòd eſt. 1500. annorum, nihil quiſquam addidit. Sed tu dices: nonne Porphyrius compoſuit librum prædicabilium, de quinque vocibus, quem dixit eſſe neceſſarium ad acquirendam doctrinam prædicamẽtorum? ſimiliter & Boetius fecit librum diuiſionum. Dico, quòd hęc etiam cõprehenſa ſunt in libris Ariſtotelis, vt in libro Topicorũ habetur de quinque vocibus. ideo Auerroes reprehendit Porphyrium, qui voluit addere Ariſtoteli; cum eius ſcientia completa ſit, & nullo additamento egeat. idem dicendum de Boetio. Ex alia etiam ratione Ariſtoteles compleuit has tres artes; quia hucuſque non eſt inuentus error alicuius momẽti in ipſius operibus. At dicit Auerroes nonne tertio Phyſi. errauit Ariſtoteles de corporibus replentibus vacuum? ſimiliter nõne errauit in libris Meteor. de coloribus Iridis, de circulo lacteo? nõ ne in anathomia reprehenditur à Galeno, & optime? Dico, quòd non intendit Auerroes, quod nõ ſimpliciter non errauit Ariſtoteles, ſed quod pauciſſimi momenti ſunt illi errores. Et deinde ſubdit Auerroes & talem virtutem etiam in indiuiduo, vnum miraculoſum & extraneũ eſt, & hęc diſpoſitio inquit Auerroes, cum in vno homine reperitur, dignus eſt vt magis ſit diuinus, quam humanus. hęc diſpoſitio, id eſt talis perfectio temperaturæ, ſiue organizatio, eſt potius diuina, quàm humana. idẽ Auerroes de Ariſtot. tertio de anima. 14. inquit: Natura fecit hunc hominem, vt oſtenderet vltimum conatum in materijs, vltimam perfectionẽ in generatione. idem etiam dicit tertio meteor. quòd illi homines, prout magis & minus ſecundum ſui complexionem accedunt, ſiue recedunt à temperatura Ariſtotelis, id eſt ſunt magis & minus perfecti, & ſcientes comparat enim Auerroes complexionem aliorum hominum ad complexionẽ Ariſtotelis, ſicut fecit Galenus reſpectu illius temperaturæ æqualis ad pondus, quæ in re dari non poteſt. & ita Auerroes declarat cauſam intrinſecam Ariſtotelis ſapientiæ. Alij autem addunt & cauſas extrinſecas, tum quia vſus eſt bono præceptore, Platone, ſcilicet quẽ viginti annos audiuit, in quo tota philoſophia redundabat; tum etiam ex aſtrologia propter aſpectus cœli; quia eo tempore coniungebantur illi duo circuli dantes perfectionẽ rebus. magna enim eſt actio cœli in his inferioribus. tũc enim Aries primæ ſphęræ coniunctus erat cum Ariete octauę ſphæræ, qui aſpectus producebat mirabiles effectus, & produxit Ariſtotelem. & ſic etiam ex cauſis extrinſecis habuit perfectionem Ariſtoteles: De ipſius præſtantia non opus eſt verba facere; cum etiã à præceptore ſuo Platone miris laudibus extollatur. ſolebat enim dicere Plato, abſente Ariſtotele, abeſt intellectus, quaſi ipſe ſolus eſſet, qui intelligeret, & dignus eſſet audire Platonẽ: quandoque

doque abeſt philoſophus veritatis ; quaſi ſolus Ariſtoteles ſciret diſcerne verum à falſo. aliquando dixit: mutum omne auditoriū. ideo recte dicit diuus Hieronymus: Grande miraculum, grandeq́ue progidium fuit in natura: fuit enim ſolertiſsimus ſecretarius nature Ariſtoteles. & ita eſt finis huius proœmij Auerrois: quod quidē proprie eſt proœmium, ſicut diximus ſupra, ſed improprie; quia nullam cōditionem habet, quæ ſit proœmij veri. dicitur autē alio modo proœmium: quia ad facilitatem addiſcendi confert.

LECTIO OCTAVA.

SVPER proœmio Auerrois ſunt dubitationes difficiles latinorum, primo circa primum cap. eius, in quo declarat tum intentionem vniuerſalem totius philoſophiæ naturalis, tum intentum particularem huius libri, de auditu naturali dicens, quòd intentio, id eſt ſubiectum (ita Latini vtuntur) totius philoſophiæ naturalis ſunt res ſenſibiles, prout habent in ſe principium motus, & quietis. intentio vero ſpecialis huius libri ſunt cauſæ communes, & accidētia communia omnium rerum naturalium. ſuper his verbis ſunt dubitationem, & primo circa intentum vniuerſale totius philoſophiæ naturis, quia dixit Auerroes, quòd res ſenſibiles, prout ex ſe mouentur, ſunt ſubiectum totius philoſophiæ naturalis. Dubitatur ergo primū quidnam ſit ſubiectū totius philoſophiæ naturalis: ſecundo, quidnam ſit ſubiectū huius libri de naturali auditu. De primo vt omittamus dicta aliorū, ſubiectū ſciētię eſt, quod ſubiacet & ſubſternitur ſciētię: tale vero eſt duplex, tum materiale, tum formale. materiale eſt, quod primo & per ſe cōſideratur in ſciētia: q̄m tria in ſcientia conſiderātur, quædā omnino per accidens. ſicut generatio & corruptio ſubiecti, quæ ipſi ſubiecto aduerſantur, vt quarto Metaphyſices inquit Ariſtoteles quædam per ſe conſiderātur, & hæc bifariam ſunt, quædam enim per ſe, ſed ſecundario conſiderantur; quædam per ſe, ſed primo, & principaliter. quæ ſecundario conſiderantur, ſunt ſicut partes eſſentiales & integrales ſubiecti, & paſsiones ipſarum, vt paſsionum paſsiones, & etiam partes ſubiectiuæ ipſius. quæ vero principaliter conſiderantur, ſunt tertia dignitas, ſubiectum, & paſsio, vt docet Ariſtoteles primo Poſte. quorum trium eſt ſubiectum principaliſsimum. quia ſcientia principaliſsime verſatur circa ſubiectum. ex his ergo patet, quòd ſubiectum eſt, quod primo in ſcientia conſideratur, & per ſe, & principaliter; per primam enim cōditionem ſeparatur ſubiectum ab ijs, quæ etiam ſi per ſe, ſecundario tamen conſiderantur in ſcientia. per ſecūdam quę per accidēs: eſt ergo ſubiectum materiale, quod primo per ſe & principaliter in ſcientia conſideratur: ſubiectum formale quod quidem nihil aliud eſt, quàm modus conſiderādi ipſum ſubiectum materiale, (ita enim hunc modum cōſiderandi appellant.) eſt, per quod ſcientiæ diſtinguūtur inuicem; nulla enim eadem res à diuerſis ſcientijs eodem modo conſideratur: vt philoſophus naturalis alio modo conſiderat quantitatem, alio modo mathematicus. philoſophus enim naturalis quantitatem, in materiam immerſam conſiderat, mathematicus abſtrahit à materia, ſubiectum. igitur formale eſt ratio conſiderandi ipſum ſubiectum naturale, per quod diſtinguuntur ſcientiæ ad inuicem. Et ad hoc ſubiectum formale quatuor conditiones requiruntur, prima, quod ſit per ſe notum, (& hoc præſupponitur in ſcientia) & non indigeat probatione: quia de eis, quæ non ſunt, non eſt ſcientia: primo Poſteriorum. ſecunda, debet eſſe vnum vel vnitate vniuoca, vel analoga: quoniam vnitas ſcientiæ ſumitur ab vnitate ſubiecti. tertia, quòd habeat partes ſubiectiuas, & paſsiones, quæ demonſtrentur de ipſo ſubiecto. Subiectū enim debet eſſe genus, & non poteſt eſſe ſpecies ſpecialiſsima: ad idē ſpectat cōſiderare genus & ſpecies. Quarta, ſubiectum debet adæquari omnibus in ea ſcientia, cuius eſt ſubiectum, partibus. Aliqui, vt Thomiſtę, exponūt hoc & dicunt, debet adæquari, id eſt ſubiectum debet prædicari de omnibus in ſcientia cōſideratis. ſed hoc non eſt verū. ſanitas enim eſt ſubiectum in medicina, non tamen prædicatur de omnibus conſideratis in ipſa. ideo eſt intelligendum hoc pacto, quod adæquatur ſcientię, id eſt quòd omnia, per ſe contenta ſub ipſo, conſiderantur in ſcientia, tanquam ſubiecta partialia: & è cōtra omnia, quę cōſiderantur in ſcientia, tanquam ſubiecta partialia ſint per ſe contenta ſub ipſo ſubiecto. hoc modo ſubiectum dicitur eſſe adequatū ſcientiæ. His declaratis, quærebamus, quod eſſet ſubiectum primum philoſophiæ naturalis. ad hoc tres ſunt opiniones.

Prima eſt opinio communis, quæ eſt Auicennæ primo libro ſuæ philoſophiæ cap. ſecundo & Alberti, & D. Thomæ, nō hic, ſed in primo cœli, & Gaetatij, & Ioannis Gād. qui omnes inſecuti ſunt Auicennam in hoc, & dicūt, quòd nihil aliud eſt ſubiectum totius philoſophiæ naturalis niſi corpus mobile, vt mobile; corpus ipſum eſt ſubiectum materiale: formale vero eſt, quatenus mobile. illa eſt conſideratio: hæc vero eſt ratio conſiderandi. hæc opinio multos habet fautores, vt dixi, & etiam probatur, vnica tamen ratione, quia illud eſt primum ſubiectum alicuius ſcientię, quod primo ſubijcitur primæ paſsioni illius ſcientiæ, ſcilicet, quæ primo conſideratur in ea. Sed de corpore primo prędicatur mobilitas, & primo ei competit, & eſt prima paſsio; ergo corpus, quatenus mobile, erit ſubiectum. prima propoſitio videtur manifeſta: quia eiuſdem ſcientiæ, eſt conſiderare ſubiectum, & primam paſsionem illius: ſed mobilitas eſt paſsio prima; quæ primo conſideratur in naturali ſcientia: ergo propoſitio vera; & quòd ita ſit patet. hęc enim eſt manifeſtior paſsio. etiam, quia per hanc paſsionem Ariſtoteles ſeiungit ſciētiam naturalem ab alij ſcientijs. inquit enim ſecundos Phyſi. 71. quęcunque non mota mouent, non ſunt amplius conſiderationis phyſicæ, hæc ergo eſt prima paſsio & hæc primo competit corpori, vt probauimus. ergo corpus mobile eſt primum ſubiectum totius philoſophiæ naturalis. Contra hāc opinionem inſurrexit diuus Thomas hic: aduerſatur enim ſibimet diuus Thomas hic, & primo cœli in prologo ſuo: & arguit vnico argumento contra hanc opinionem: quia nulla ſcientia probat ſuum ſubiectum eſſe ex Ariſtotele primo poſt, ſed naturalis philoſophia probat corpus mobile eſſe: ergo corpus mobile non poteſt eſſe ſubiectum eius, probat minorem diuus Thomas, quia Ariſtoteles ſexto Phyſi. probat omne mobile eſſe corpus: ergo probat corpus mobile eſſe. Sequitur enim, omne mobile eſt corpus: per cōuerſionem: ergo corpus eſt mobile. conuertitur enim vniuerſalis affirmatiua in Indefinitam ſuam: quia tenet locum particularis. Quod autē ſexto huius. 32. probet Ariſtoteles omne mobile eſſe corpus, patet. inquit. n. omne quod mouetur aliqua ſpecie, mutationis loco mouetur etiam. nō enim eſt aliquod mobile ſub aliqua ſpecie motus, quin localiter moueri poſsit: cum motus localis præſupponatur ab omnibus alijs motibus, & mutationibus: ſed quod loco mouetur, habet partem in termino à quo, & partem in termino ad quem. ſi habet partem ſub vtroque terminos ergo habet partes: ergo diuiſibile eſt. ſed omne diuiſibile eſt corpus: ergo omne mobile eſt corpus: ergo corpus eſt mobile. & ita Ariſtoteles probaret ſuum ſubiectum eſſe: ſi, vt tu dicis corpus mobile eſſet ſubiectū. Poſteriores, tuenta

tes primam opinionem,ſoluunt hoc argumentum.quia non ſequitur Ariſt.probat omne mobile eſſe corpus: ergo probat corpus eſſe mobile. non.n.valet. probat antecedens,& conſequẽs huius illationis. ideo nõ propter hoc diceudum, ꝙ Ariſtoteles probat corpus mobile eſſe,vt tu dicis. Alij tuentes partes diui Thomæ,fortius probant, corpus mobile non poſſe eſſe ſubiectum naturalis philoſophiæ:quia ſubiectum non probatur in ſcientia:& Ariſtoteles probat ipſum eſſe textu. 32.ergo. Et quòd vera ſint,ſic arguunt. Ille qui demonſtrat coniunctionẽ partium alicuius totius,demonſtrat & illud totum eſſe.ſi enim demonſtro partium hominis coniuctionem,non ne etiam oſtẽdo hominem eſſe? ſed Ariſtoteles loco citato demonſtrat coniunctionem mobilitatis cum corpore: ergo demonſtrat totum coniunctum, ipſum ſcilicet corpus mobile eſſe: ergo non poteſt eſſe ſubiectum. Gaetanus,videns hanc difficultatem,diſſoluit ipſam;& inquit, ꝙ Ariſtoteles, quidẽ probauit hanc coniunctionem harum partium corporis, ſcilicet cum mobilitate, non tamen probauit ſimpliciter, ſed probauit cũ ſigno vniuerſali:quod non erat manifeſtum. eſt enim manifeſtũ ſine illo ſigno,cum illo tamen minime, & hoc pacto,ſcilicer ſine ſigno vniuerſali: & ſic non indigent probatione. ſed eſt per ſe notum.ſcire enim poſſumus, corpus mobile eſſe,non tamen,ꝙ omne mobile ſit corpus cum ſigno vniuerſali diſtributiuo.eſt autem ſubiectum philoſophiæ naturalis corpus mobile ſine ſigno diſtributionis. Sed contra hanc opinionem alij replicant:quia de ente per accidens nulla eſt ſciẽtia,aut alteri eſt ſubalternata. ſed corpus mobile eſt ens per accidens;ergo de eo non eſt ſcientia,aut alteri ſubalternatnr. Ens per accidẽs biſariam eſt, vno modo, quod habet coniunctionem ſuarum partium, & cauſam vnionis ipſarum in ſe.& de hoc eſt ſcientia,ſed ſubalternata. vt de linea radioſa eſt ſciẽtia,quia hoc habet in ſe cauſam vnionis ſciẽtiarum partiũ, ſed eſt ſciãtia ſubalternata.ſcilicet perſpectiuæ. Aliud eſt ens per accidens, quod quidẽ habet vnionem partium, ſed non habet cauſam vnionis ipſarum: & de hoc non eſt ſcientia:ſicut eſt,homo albus corpus, ergo mobile: aut habet cauſam vnionis ſuarum partium:& ſic ſcientia naturalis erit ſubalternata:quod falſum eſt: aut non habet: & ſic de eo non erit ſtien tia:& ideo non erit ſubictum in philoſophia naturali.& ita hæc opinio iſtorum defendi non poteſt.vnde ad eorum rationem reſpõdet. Dicunt enim quòd ideo corpus mobile eſt primum ſubiectum ſcientiæ naturalis,quia prima paſsio ei conuenit, quæ eſt mobilitas. Dico, quòd falſum eſt, ꝙ hæc ſit prima paſsio:ſed eſt continuum, & quantitatis. hæ ſunt primæ paſsiones corporis naturalis. & prior eſt quantitas,quę pręcedit omne accidens in natura.quare recte Ariſt.in Prædicamentis poſt Prædicamenta ſubſtantiæ immediate agit de quantitate.Dico igitur,ꝙ illa non eſt prima paſsio,ſed prima paſsio eſt quantitas, & continuum.neque per hanc paſsionem, ſcilicet mobilitatem,diſtinguitur ſciẽtia naturalis ab alijs ſcientijs:quia de ente per accidens nulla eſt ſcientia:aut,ſi eſt,eſt ſubalternata,vti diximus.Quare hęc opinio iacet. Ideo eo lecunda opinio diui Thomæ hic, ꝙ corpus mobile non eſt ſubiectum philoſophiæ naturalis,ſed eſt ens mobile.& diuus Thomas nõ affert rationem pro ſua opinione,niſi ꝙ reijcit primã opinionem.poſteriores vero, ſequentes hanc diui Thomæ opinionem, adducunt rationes. primo, quia illud eſt primum ſubiectum ſcientiæ,quod ſubijcitur primę paſsioni:ſed mobilitas eſt prima paſsio entis:& ens eſt ſuum primum ſubiectum,ergo ens,vt mobile,eſt ſubiectum ens. Quòd ens ſit ſubiectum mobilitatis, primũ patet, quia illud eſt primum ſubiectum paſsionis, per quod prima paſsio definitur.omnis enim paſsio debet definiri per propriũ ſuum ſubiectũ, ſed mobilitas & motus definiuntur non per corpus,ſed per ens,vt patet ab Ariſtotele tertio Phyſ.dixit enim, motus eſt actus entis in potentia, vt in potẽtia:& non dixit, motus eſt actus corporis, &c.igitur ens mobile eſt primũ ſubiectum totius philoſophiæ naturalis.ſecundo,& difficilius arguunt ad hoc: quia, niſi ita eſſet, vt ens eſſet primũ ſubiectum totius philoſophiæ naturalis, falſum eſſet dictum Ariſtotelis ſexto Metaphyſi.ad principium: inquit enim ſi auferantur ſubſtantiæ abſtractæ,philoſophiæ naturalis eſſet prima philoſophia. modo arguit ſic ſi ens non eſſet ſubiectum philoſophiæ naturalis,tunc res omnes,quę conſiderantur ſub ratione entis, vt ſubſtantia conſiderata ſub ratione entis eſſet mathematici:quia nõ eſſet cõſideratio realis,ergo eſſet mathematica.ergo,amotis ſubſtãtijs abſtractis,ad huc erit metaphyſica & philoſophia naturalis non erit prima philoſophia:quia adhuc remanebit conſideratio ſub ratione entis: quæ erit metaphyſici.& ita dictum Ariſtotelis falſum erit: ergo. Contra hanc opinionem diui Thomæ inſurrexit Egidius,eius diſcipulus: quia ex hoc dicto diui Thomæ, inquit Egidius,ſequitur ꝙ philoſophia naturalis aut ſit ſubalternata metaphyſicæ, aut ſit eius pars. ſed vnum quodque falſum,ergo opinio diui Thomæ eſt falſa. Illationem ſic oſtendo.dicit ipſe,quia ens, vt mobile; hoc,quod dico mobile, aut indicat nobis modum extrinſecum, aut modum intrinſecum, comprehẽſum in ipſo ente, & ipſum ens comprehendit. Ens enim contrahitur ad ſuas partes ſubiectiuas per differentias oppoſitas: quia analogum eſt, nõ vniuocum, vt genus eſt tantum vniuocum:ſic cõtrahitur per differentias: ens vero contrahitur ad ſuas partes ſubiectiuas, tantum per diuerſos modos eſſendi, vt ens aut actu, aut potentia, aut mobile, aut immobile. Iſtæ nõ ſunt differentię,ſed ſunt diuerſi modi eſſendi ipſius entis. aut ergo hoc, quod dico mobile,de ente eſt modus intrinſecus, per ſe comprehenſus in ipſo ente. ꝙ ſi ſic; ſequitur,quòd ſciẽtia naturalis ſit pars metaphyſices:quia ex Ariſtotele. 7.Metaphyſices, eiuſdẽ ſcientiæ eſt conſiderare ſubiectum, & modos intrinſecos,comprehendentes illud ſubiectum, qui per ſe comprehenduntur in ipſo. id eſt: eiuſdẽ ſcientiæ eſt cõſiderare ſubiectum, & partes ſubiecti.ſi autem dicas, ꝙ illud mobile de ente importat nobis quoddã extrinſecum & accidentale;tunc philoſophia naturalis erit alteri ſubalternata,ſcilicet metaphyſicæ:quoniam illa ſcientia alteri ſubalternatur,quę includit ſubiectum alterius, cum conditione accidentali. cum vero fluit ex principijs proprijs & intrinſecis illius ſubiecti, vt muſica arithmeticæ ſubalternatur, quia Arithmetica eſt de numeris, & muſica eſt de numeris: ſed addit conditionem accidentalem, numerum,ſcilicet ſonorum. quia ſubiectum muſices eſt numerus ſonorus: ergo ſi ens mobile eſt ſubiectum totius philoſophiæ naturalis; ipſa aut erit pars metaphyſices:vt ſi ens intrinſece includat mobilitatem; aut metaphyſicæ ſubalternabitur,ſi extrinſece mobilitatem includant. nullum autem horum poteſt eſſe. ergo falſa eſt opinio diui Thomæ. Addit Albertus aliam rationem contra hanc opinionem diui Thomæ de ſubiecto philoſophiæ naturalis,dicens,eiuſdem ſcientiæ eſt conſiderare per ſe, & eſſentialiter contraria, contrariorum enim eadem eſt ſcientia,dicebat Ariſtoteles primo Topicorum.ſi ergo hęc ſciẽtia naturalis conſiderat quidditatiue ens, vt mobile; ergo per ſe, & ſecundum ſui quidditatem conſiderabit ens, vt immobile.hæc autem ſunt ſubſtantiæ abſtractę. ergo etiam ſubſtãtiæ abſtractę erunt ſubiectum in philoſophia naturali, ſicut & ens mobile. hoc autem abſurdum eſt. ergo,&c. Tertio & vltimo:ex hac opinione diui Thomæ addunt: quia, cum

dico

dico Ens mobile, aut Ens mihi ſignificat ſubſtantiam tantum, aut accidens tantum, aut indifferenter vtrunque. Ens enim habet tres ſignificationes. poteſt dici de ſubſtantia ſola, & de accidente ſolo, & de vtroque indifferenter, ſed quocunque horum triũ dato, ſequitur ſcilicet quòd paſsio hæc, ſcilicet mobilitas, ipſi enti non adęquatur. ergo ens, vt mobile, non poteſt eſſe ſubiectum in philoſophia naturali. cõſequentiam probo. ſi dicas, ꝙ ens ſubſtantiam tãtum ſignificat, hoc pacto, Mobilitas ipſi enti nõ adæquatur: quia non omnis ſubſtãtia eſt mobilis: quoniam ſubſtantiæ abſtractæ immobiles ſunt. verum, dices: per ſubſtantias non intelligo ſubſtantiam abſtractam, ſed ſubſtãtiam corpoream, & ens corporeum tantum. ſed contra, quia hęc opinio cum prima coincidit, ſcilicet ꝙ corpus mobile ſit ſubiectũ philoſophię naturalis: quia vis dicere ens corporeũ mobile? quod nihil aliud eſt, quam dicere, corpus mobile, eſt ſubiectum philoſophiæ naturalis. quam opinionem tu refutaſti. Sed tu dicis, ꝙ accipis hic ens, vt tantum accidens ſignificat: hoc falſum eſt, ꝙ ens mobile ſit ſubiectũ in philoſophia naturali: quia nullum accidẽs eſt per ſe mobile. & ita hæc paſsio per ſe ſubiecto non competit. ſola enim ſubſtantia corporea eſt per ſe mobilis, & competit accidentibus mobilitas ratione ſubſtantiæ. ſi vero dicis, ꝙ hic ſumis ens, vt nobis indifferenter vtrunque ſignificat, ſcilicet tum accidens, tum ſubſtãtiam: adhuc dico, ꝙ hæc paſsio ſcilicet mobilitas, non adæquabitur ipſi enti rationibus ſupra dictis. non ergo vera eſt opinio diui Thomæ. Ideo eſt alia opinio vera, quæ eſt Simplicij, & Auerrois. hic dicit Simplicius, ꝙ naturalis philoſophia conſiderat corpus phyſicũ, vt phyſicum eſt, id eſt corpus naturale, vt naturale eſt. & per hoc, quod dico corpus naturale, quatenus naturale eſt, excludit corpus mathematicum, & corpus quod eſt pars totius. cum dicis corpus intelligimus totum conſtans & materia, & forma, ſub hac ratione vt eſt naturale, vt ſcilicet includit naturam, & in ſe habet principium motus & quietis. pars enim corporis nõ eſt corpus ſimpliciter. ratio huius opinionis eſt, quia corpori naturali, qua naturale eſt, cõueniunt omnes quatuor primę paſsiones traditæ ab Ariſtotele: vt, ꝙ ſit continuum, ꝙ quantum, ꝙ loco moueatur, & ſit in tempore. omnes hę quatuor conditiones, ſiue paſsiones cõueniunt corpori naturali: quà naturale eſt, & primum ſubiectum illarum, & primum ſubiectum conditionis in philoſophia naturali. quare naturale, quà naturale eſt, eſt primum ſubiectum philoſophiæ naturalis. Sed tu dices: omnis conſideratio alicuius rei in ſciẽtia ſua, & maxime conſideratio ſubiecti debet eſſe perfectiſsima, vt nulla perfectior conſideratio de eo haberi poſſit. Sed in hac parte conſideratur corpus naturale, quà naturale eſt: & hęc eſt conſideratio relatiua. Sed conſideratione relatiua perfectior eſt cõſideratio abſoluta: ergo corpus naturale: quà naturale eſt, non poteſt eſſe ſubiectum in ſcientia naturali: quia in tali ſciẽtia eius conſideratio nõ eſt perfectiſsima: quia non eſt abſoluta, ſed eſt relatiua. ergo. Et confirmo fortius. quia accipiat aliquis hominẽ in ſui quidditatem, vt in eo, quod rationale eſt animal, cuius erit hæc conſideratio, non quidem erit metaphyſici: quia non conſideratur hic homo in reſpectu ad aliqua prędicata communia. non enim conſideratur in eo, ꝙ ens, neq; in eo, ꝙ actus, vel potentia. erit igitur hæc hominis conſideratio philoſophi naturalis. & hæc conſideratio nõ eſt reſpectiua, ſed abſoluta. non enim conſideratur homo in eo, ꝙ naturale, ſiue mobile. ergo non eſt verum, ꝙ omnis conſideratio philoſophi naturalis ſit reſpectiua. & ita corpus naturale, quà naturale, non erit ſubiectum. Ad hæc dico, tenendo opinionem Simplicij, quæ vera eſt, & primo cum dicis, ꝙ hoc pacto cõſideratio ſubiecti nõ eſt perfectiſsima, quia eſt relatiua; dico, ꝙ omnis conſideratio philoſophi naturalis relatiua eſt, non tamen formaliter, ſed concomitanter, quo ad prędicata quatenus ſemper ſequitur motus. dicitur. n. corpus naturale concomitanter habere motum. & ſimiliter, ſi quis conſiderat hominẽ in eo, ꝙ rationalis; illa conſideratio eſt philoſophi naturalis, & formaliter abſoluta, concomitanter tamen, reſpectiua, quo ſcilicet ad prædicata cõmunia, ex quibus ſequitur motus: quia ſequitur, eſt rationalis, ergo mobilis. ſi autem conſideratur in reſpectu ad prædicata communia, vt in eo ꝙ ens, vel in eo, ꝙ ſubſtantia; tunc non eſſet illa conſideratio philoſophi naturalis, ſed metaphyſici: quia ex huiuſmodi prædicatis nõ ſequitur motus. Reliquum igitur eſt, vt argumentis diui Thomæ reſpondeamus. arguitur. n. ꝙ ens mobile eſt ſubiectum in ſcientia naturali. quare ens eſt primum ſubiectum motus: quia motus per ipſum definitur. dico, ꝙ falſum eſt, quòd ſit primũ ſubiectum, & adæquatum motus. multa enim ſunt entia, quæ non mouentur. Sed Ariſtoteles definit motum per ens. Dico, ꝙ Ariſtoteles ponit ens in definitione motus; non vt definiat motum per ipſum ens; ſed vt circumſcribat corpus mobile. Sed dices: cur ergo non abſolute poſuit corpus in definitione motus, & non per deſcriptionem? Dico, propter hoc: quia Ariſtoteles hic definiens motum, definit ipſum generaliter, & ſecundum formam, ſcilicet motum verum: & motum ſecũdum exiſtimationem: quia multi opinati ſunt, ꝙ paſsiones animæ ſint veri motus. ideo Ariſto. in illa definitione etiam extendens ſe ad motus animę, hoc modo per circũſcriptionem corporis, per ens definit motum. ſi autem definiuiſſet motum proprie, qui tantum corpori abſolute competit; poſuiſſet ipſum corpus in eius definitione, non autem ipſe circunſcripſiſſet per ens. ꝙ autem motus ibi definitus conueniat paſsionibus etiam animæ, patet, quia ipſe in ſe exemplãdo ſæpe vtitur exẽplis in ipſis paſsionibus animę, vt de diſciplina patet, vt eſt à præceptore: quia, inquit, ꝙ eſt vnus motus re, doctio ipſa, & diſciplina, ratione tantũ differunt. hoc tertio Phyſicorum. 19. De ſecũdo, ꝙ dicebas: quia ſi ens mobile non ſit ſubiectum philoſophię naturalis, quo modo verificatur dictum Auerrois ſexto Metaphyſi. 2. ꝙ ſi ſubiectæ abſtractæ remouerẽtur, naturalis philoſophia eſſet prima philoſophia: modo ſi ens non eſſet ſubiectum eius, adhuc remoueretur metaphyſica: quia omnia cõſiderata ſub ratione entis, ex quo non eſſent philoſophicæ conſiderationis, eſſent metaphyſici. Dico, ꝙ deciperis; quia, ablata ſubſtantia abſtracta, ſola ſubſtantia ſenſibilis remanet. & tunc ens aut erit ſubſtantia ſenſibilis, aut accidens, circa ipſum. & ita in hoc caſu ens ipſum erit phyſicę cõſiderationis: quia tunc, remotis ſubſtantijs abſtractis, omne ens aut erit ſubſtantia naturalis, aut accidens: quia amplius non erit ſubſtã tia abſtracta. & hoc pacto, etiam ſi ens mobile non ſit ſubiectũ philoſophiæ naturalis, ſicut reuera nõ eſt verificabitur, dictũ Auer. & ſic rationes D. Thomæ pro nihilo habẽtur.

LECTIO NONA.

VIDIMVS in heſterna lectione, quidnam eſſet ſubiectum totius philoſophiæ naturalis: & elegimus eam opinionem, quę proponebat corpus naturale, quà naturale, eſſe ſubiectum & erat Simplicij, & Auerrois. illa enim videbatur probabilior nobis, reiectis alijs, tum ponentibus corpus mobile, tũ ens mobile. & hæc fuit prima dubitatio circa primum caput Auerrois in procemio. eſt modo ſecunda dubitatio circa idem caput: quoniam Auerroes poſtquam

aſsignauit

aſsignauit ſubiectum totius philoſophię naturalis,declarat deinde ſubiectum huius libri,quod ſcilicet hoc in libro intendamus. De hac dubitatione,duplex eſt modus dicendi, vnus fere omnium Latinorũ, qui ponunt idem eſſe ſubiectum totius philoſophiæ naturalis,& præſentis libri,ſola ratione diuerſum: quia corpus mobile, quo ad principia tam communia,quàm propria,& quo ad ſui paſsiones tam communes quam proprias, eſt ſubiectum totius philoſophiæ naturalis.idem etiam corpus mobile, ſed tantũ,quo ad principia communia,& paſsiones communes,nõ autem ſimpliciter,quo ad proprias,& communes, eſt ſubiectum huius libri, ſicut etiam eſt de ſubiecto logices, & de ſubiecto libri priorũ,qui eſt ſyllogiſmus. multi enim tenẽt, ſyllogiſmum eſſe ſubiectum totius logices,& libri priorũ,diuerſa tamen ratione: quia ſyllogiſmus, quo ad principia communia, & quo etiam ad communes paſsiones,eſt ſubiectum libri priorum. principia ſyllogiſmi communia ſunt, termini, propoſitiones,figuræ,modi.Sciendum tamen,ꝙ nulli parti ſcientiæ alicuius aliquid eſt ſubiectum proprium, quod verius ſortiatur nomen ſubiecti. ſed ſubiectum proprie eſt in tota ſcientia: & particulares ſcientiæ continentur in tota ſcientia,tanquam partes in toto.& cum totũ & partes idem ſint, ideo, quod eſt ſubiectum totius, eſt etiam ſubiectum partis.ideo partes per ſe nõ habent ſubiectum: quia ſubiectum totius eſt etiam ſubiectum partium. ſed appellamus totum illius,id eſt quod in illa parte intendimus; quod Græci ſcopum, Latini vero intentionem appellant. Quæritur ergo, quidnam intẽdamus,quis ſit ſcopus, quæ intentio in hoc libro de phyſico auditu.Latini dicunt,ꝙ eſt corpus mobile, quo ad principia,cauſas, & paſsiones cõmunes,ſed hęc opinio iam reiecta eſt.oſtendimus enim ꝙ corpus mobile non poteſt eſſe ſubiectum in philoſophia naturali: quia ei non competit prima paſsio naturalis.4.enim ſunt paſsiones naturales, ſcilicet continuum, motus, locus, & tempus prima autem paſsio eſt continuum. quantitas enim præcedit omne accidens in natura.ſi igitur quãtitas eſt prima paſsio corporis naturalis,ergo ei non conuenit hæc paſsio, continuitas,in eo,quod mobile: quia hæc paſsio præcedit mobilitatem corporis,ergo mobile non poteſt eſſe ſubiectum totius philoſophię naturalis:quia ipſi in eo,quod tale,non conuenit prima paſsio,id eſt continuitas ipſa:quia mobilitas pręſupponit continuum, non è contra. ergo non poteſt competere corpori, quatenus mobile eſt. ſi autem diceres, iſti per corpus intelligunt corpus naturale, id eſt corpus,quod habet in ſe principium motus & quietis:dico, ꝙ hoc non poteſt eſſe:quia ipſi probant, quod ideo corpus mobile eſt ſubiectum totius philoſophiæ naturalis,quia ipſi conueniunt prima paſsio, & mobilitas ipſa, modo mobilitas non eſt prima paſsio naturalis,neque primo competens corpori naturali,ſed eſt cõtinuitas. ergo per corpus mobile, non poſſunt ipſi intelligere corpus naturale.At dices: per mobilitatẽ intelligunt motum diuiſibilem. Dico,ꝙ motus nõ eſt paſsio, ſed eſt accidẽs, quod poteſt abeſſe, & adeſſe præter ſubiecti corruptionem. Eſt autem mobilitas ipſa, id eſt aptitudo ad motum,quę eſt paſsio.falſa igitur eſt illa opinio, tenens corpus mobile eſſe ſubiectum totius philoſophiæ naturalis, vt eſt etiam hęc tenens corpus mobile, quo ad principia communia,& eſſe ſubiectum huius libri,eadem ratione.Secundo hoc idem nõ poteſt eſſe ſubiectum in hoc libro, de quo nullam facit mentionem Ariſtoteles de corpore naturali in libro cœli, vbi ipſum corpus definit, dicens, ꝙ corpus eſt, quod vndequaque diuiſibile eſt, & ꝙ eſt diuiſibile in ſemper diuiſibilia. & hunc locum notauit Auerroes, & recte, dicens: hæc eſt prima mentio de corpore, tradita nobis ab Ariſtotele. quo modo igitur corpus mobile erit ſubiectum præſentis libri? Sed dices:quare Ariſtoteles ſecundo huius in pluribus locis facit mentionem de corpore, ſimiliter ſeptimo & octauo huius?dico,ꝙ pluribus in locis Ariſtoteles facit mentionem de corpore, ſed per accidens, non in eo,ꝙ corpus eſt,& hoc eſt,quod nos volumus.quia,ſi eſſet ſubiectum,fuiſſet facta mẽtio de ipſo in eo, quòd corpus,ab ipſo Ariſtotele.Quare relinquitur hęc opinio. Ideo eſt ſecũda opinio de hoc, tum Simplicij, tum Auerrois,ꝙ ſcilicet ſubiectum præſentis libri ſunt principia cõmunia omnium rerum naturaliũ.Ariſtoteles ergo intendit in hoc libro tradere nobis notitiam tum principiorum, tum accidentium communium rerum naturalium. principia prima & communia ſunt quatuor genera communia cauſarum, materia, forma,finis,& efficiens.accidentia vero communia ſecundum rei veritatem ſunt quatuor, ſcilicet cõtinuum,motus, locus,& tempus:ſecundum vero exiſtimationem ſunt duo; vacuum,& infinitum. quia ergo tota noſtra intentio verſatur circa hæc, ideo dicimus ipſa eſſe ſubiectum huius libri. & hæc opinio confirmatur ex verbis Ariſtotelis in primo tractatu hic:inquit enim: Quia res naturales nõ poſſunt ſciri,niſi ex ſuis principijs,& cauſis,ideo hę à nobis primo tradendæ ſunt. & ideo patet, quo modo eius intentio ſit circa cauſas. Item tertio huius ad principium, declarat etiam,ꝙ intendit nobis tradere notitiam accidentium communium rerum naturaliũ. inquit enim: Cum diximus de principijs naturalibus,dicendum eſt de motu,continuo,loco,& tempore: quia hæc ſunt accidentia communia omnium rerum naturalium.intentio igitur totius huius libri,tum circa principia communia,tum circa accidentia communia omnium rerum naturalium:tum etiam hoc idem patet ex deſcriptione data ab Ariſtotele:inſcribit enim ipſum,de principijs primis.Etiam hoc confirmatur:quia res naturales bifariã ſunt, aut ſcilicet principia,quæ ortum habent ex principijs.clarum autem, ꝙ principia præcedunt principiata. & ſicut eſt in re,ita debet eſſe in ſcientijs.hic liber inter partes ſcientiæ naturalis eſt primus. ergo & in eo debent tradi principia rerum naturalium. tota igitur noſtra intentio in hoc libro eſt circa principia communia, & accidentia communia rerum naturalium.Sed tu dices: nulla ſcientia probat ſuum ſubiectum eſſe, ſed ipſum ſupponitur ex Ariſtotele pluribus locis. in hoc libro autem probatur, principia naturalia eſſe, vt quòd principia ſunt materia,& forma,& priuatio ergo hęc non ſunt ſubiectum in hoc libro. Secundo, dubitatur, quia tu poſuiſti ordinem inter accidentia communia rerum naturalium,& dixiſti, ꝙ continuum eſt primum accidens, & ideo dixiſti corpus naturale eſſe ſubiectum totius philoſophiæ naturalis:quia ei prima paſsio conuenit: quæ eſt continuitas: quia primum accidens naturale eſt continuum. ſi ita eſſet, ergo primo loco de continuo erat agendum inter accidentia cõmunia, cur ergo non egit primo de continuo, quàm de reliquis accidentibus communibus,ſed prius egit de motu? Ad primum,cum dicis:nulla ſciẽtia probat eſſe ſui ſubiectum,&c.dico,verũ eſt,nec etiam in hoc loco probantur principia communia eſſe, ſed probantur quot ſunt, & quæ ſint:quia probat Ariſtoteles,quot ſint principia cõmunia rerum naturalium,ſcilicet,Tria:& probat quæ ſint, ſcilicet materia,forma,& priuatio.ſed dicit Auerroes ſecũdo de anima,27.ſcientia nedum ſupponit ſubiectum ſuum eſſe, ſed etiam præſupponit ſpecies ſui ſubiecti, ſicut ſcientia de animali præſupponit hominem, equum, bouem, eſſe nedum animal. ſi ergo in hoc libro principia erunt quæ tu dicis,ſubiectum, nedum principia ipſa præſupponenda eſſent,verum etiã ſpecies eorum. ſcilicet naturã, formam,& priuatio-

priuationem præſupponit. ſed hæc Ariſtoteles probat ſcilicet materiam, formam, & priuationem eſſe. ergo non ſunt ſubiectum hic. Dico, ꝙ ibi Auerroes exponit illam propoſitionem, ꝙ ſcilicet vera eſt vt in pluribus, vt in mathematicis. non enim ſolũ ibi quantitas prȩſupponitur, ſed & quantitatis ſpecies, vt linea, ſuperficies, & corpus: nõ tamen propter hoc eſt, vt in aliquibus nõ poſsit aliter eſſe: vt & ſi præſupponatur ſubiectum eſſe tantum eius ſpecies probat aliquas, ſaltem, ſi ignotæ ſint. quod quidem accidit hic. in hoc enim libro præſupponitur principia cõmunia eſſe, quæ eius ſunt ſubiectum, tamen probatur eſſe aliquas ſpecies eorum vt materia, forma, & priuatio. De ſecunda dubitatione, quia ſi eſſet verum, ꝙ primũ accidens naturale eſſet continuum, Ariſtoteles debuiſſet prius de eo tractare; quàm de cæteris accidentibus. Dico, ꝙ de facto debuit, ſed prius egit de motu ob commodiorem doctrinam: quia definiuit in ſecundo libro naturã per motum: ideo ſtatim in tertio libro aggreſſus eſt ſermonem de motu: ſicut hoc idem facit Ariſtoteles in alijs locis: deinde egit de reliquis accidentibus: de continuo repetit Ariſtoteles primo cœli, ſecundo, & ibi declarauit, quo modo erat vndequaque diuiſibile, latum, longum, & profundum: & ibi declarauit etiam de corpore naturali. Eſt tertia dubitatio principalis in eodem cap. primo procemij Auerrois. quia, inquit, intentio huius libri eſt cognoſcere cauſas omnes communes rebus naturalibus, & cognoſcere cauſas primas, prout poſsibile eſt ſciri in hac ſciẽtia, ſicut naturam primam, & efficiens primum, prima vero forma, & primus finis non conſideratur à philoſopho naturali, ſed à metaphyſico. cognoſcit enim philoſophus naturalis omnia quatuor genera cauſarum, & in quolibet genere cognoſcit primas cauſas, prȩter quã in genere cauſȩ finalis, & formalis. quia non conſiderat primam formam, nec primum finem: quia hoc eſt munus metaphyſici; quoniam hæc præſcindunt à motu, prima autem materia & primum efficiens non præſcindũt à motu. materia enim, quà materia eſt, trãſlationi ſubijcitur. ideo in ſui ratione includit motum. ita & primum efficiẽs etiam includit motum in ſui ratione, quod eſt: hæc efficiens, eſt principium, vnde motus, etiam efficiẽs eſt potentia tranſmutandi alterum in eo, quod alterum, prima vero forma abſtrahit à motu: quia non tantum conuenit illis formis ſublunaribus, generabilibus, & corruptibilibus, & abſtractis, quæ formæ abſtractæ nulli mutationi ſubijciũtur: quia prima forma ſpiritualis nihil aliud eſt, quàm amor, & notio primæ in ſecunda, id eſt prima recipitur in ſecunda vt notio, vt amor in amato, ſine tamen motu: quia talis receptio fit ſine motu, ita primus finis præſcindit à motu; quia intelligentia prima eſt finis ſecundæ, & ſecunda tertiæ, & ſic ſucceſsiue, abſque motu. quare finis etiam cõuenit ſpiritualibus. ideo abſtrahit à motu. & ideo ſunt conſiderationis metaphyſici, nunquid autem philoſophus naturalis conſideret primum finem: quod videtur Auerroes negare. Eſt modo dubitatio in hoc: quia videtur, quod etiam philoſophus naturalis conſideret primum finem: Quoniã conſiderat primum efficiens: ergo conſiderat primum finem. Deduco conſequentiam. quoniam Ariſtoteles ſecundo huius probat hanc propoſitionem, quòd omne agens agit propter finem. & cum non ſit proceſſus in infinitum in fine, ſed eſt ſtatus, quia datur primus finis, vt inquit Ariſtoteles. 12. Metaphyſices. ergo ſi primum efficiens agat, aget propter finem primum: quia omne agens agit propter finem. ergo, ſi naturalis habet conſiderare primũ efficiens, habebit conſiderare finem, propter quem efficiẽs agit. & hic eſt primus finis. ergo naturalis habet conſiderare primum finem: ergo male dicit Auerroes; quod naturalis non debeat conſiderare primum finem. Confirmatur, quia ſicut philoſophus naturalis conſiderat primum efficiens, quod præſcindit à motu, ergo etiam primum finem conſiderare poterit. ꝙ autem philoſophus naturalis cõſiderat primum efficiens: patet ex Ariſtotele, octauo Phyſicorum: ꝙ vero prȩſcindat à motu, etiam patet, quia primũ efficiens eſt Deus, qui ſimplici emanatione, & creatione ſine motu eſt cauſa omnium, & ſine traſlatione. Secundo, dubitatur, quia videtur, ꝙ etiam philoſophus naturalis conſideret primam formam: quia conſiderat primam materiam. ergo conſiderat & primam formam: quia hæc correlatiua ſunt: & relatiuorum eadem eſt ſcientia, ergo philoſophus naturalis cõſiderat etiam primã formam, contra dictum Auerrois. Tertio dubitatur, quia clarum eſt, ꝙ ſcimus, primum efficiens primam formam & primum finem eſſe idem. quo habitu ſcimus hæc naturali, an metaphyſico? non poſſumus dicere, ꝙ id ſciamus habitu metaphyſico: quoniam primum efficiens nõ conſideratur à metaphyſico: quia non abſcindit à motu. ergo id cognoſcetur habitu naturali: ergo etiam naturalis conſiderat primum finem, & primam formam. Quare, &c. Quarto, & vltimo; quia ſi philoſophus naturalis non conſiderat primã formam, & primum finem; ſequetur, ꝙ ſciẽtia naturalis erit imperfecta. Deduco conſequentiam quia Ariſtoteles tractatu primo huius libri inquit: Tunc habetur ſcientia perfecta alicuius rei, cum cognoſcimus omnes eius cauſas per ſeipſas, & prima principia, vſque ad Elementa. Sed rerum naturalium nõ poſſumus ſcire primam formam, & primum finem, per ſe: ergo earum ſcientia imperfecta erit. ergo naturalis debet cõſiderare omnes quatuor cauſas primas. falſum igitur dictum Auerrois. Reſpondeo ad hæc. dico, tuẽdo partem Auerrois, ꝙ ſcilicet philoſophus naturalis tantum conſiderat primum efficiens, & primam materiã, quæ ſunt cum motu, non autem conſiderat primam formam, & primum finem, quia abſcindunt à motu. Ad primum; cum dicis naturalis cognoſcit primum agens, & primũ agens agit propter finem primũ: ergo & naturalis cognoſcit primum finem: dico, ꝙ totus proceſſus verus. dico tamen, ꝙ ille primus finis: de quo loquitur naturalis, quando dicit, primum agens agit propter primum finem, non eſt ſimpliciter primus finis, ſcilicet tam materialium, quàm immaterialium: ſed loquitur de primo fine ſui motus. & hic eſt primus finis, quẽ cõſiderat naturalis: quia hic eſt finis, propter quem agens agit. ſicut enim primum agens in eo, quòd agens, eſt cum motu, ita conſiderat primũ finem, propter quem agit, primum finem ſui motus, non primum finem tam rerum materialium, quam immaterialium, vt Auerroes hic accipit primum finem, ſcilicet ſimpliciter. Quare, &c. Quod confirmabas, ſicut naturalis conſiderat primum efficiens, quod ſimplici emanatione omnia creauit, ideo & primum finem: dico, ꝙ philoſophus negaret aſſumptum, ꝙ ſint ſimplici emanatione producta, & ſine tranſlatione: negat enim creationem philoſophus, vt ait Auerroes. 12. Metaphyſices, 14. hęc ſunt verba metaphorica in ſciẽtia, inquit Auerroes. philoſophus enim ponit multa eterna improducta à parte ante, & à parte poſt, vt cœlum, ſubſtantiæ abſtractæ, materia prima improducta ſunt, ita vt Deus, licet non ſint tantæ perfectionis. ſi igitur ſequamur verba Auerrois, dicemus, ꝙ omne agens agit propter tranſlationem: & nullum eſt, quod ſimplici emanatione producat: ſi enim eſſet aliquod agẽs, quod ſine translatione ſimplici emanatione produceret, de illo Ariſtoteles mentionem feciſſet in libris Metaphyſices. ſed faciens ibi mentionem de efficiẽte, illud ponit cum tranſlatione: quia, inquit, efficiens eſt principium tranſmutandi alterum in eo, quod alterum. ſed nullibi fecit

Ariſtoteles mentionem de hoc efficiente ſine tranſlatione. ergo, nullum eſt efficiens ſine tranſlatione. Quod ſecundo dicis: quia philoſophus naturalis conſiderat primam materiam: ergo primam formam: quia correlatiua ſunt: dico, ꝙ duplex eſt prima materia, vt inquit Themiſtius primo phy. in ſua longa digreſsione de materia prima, quæ eſt materia generabiliū, & corruptibilium. Alia eſt prima materia corporum ſimplicium, ſcilicet cœleſtium, de qua loquemur octauo huius. ſi loquamur de prima materia generabilium, hæc eſt cum motu, & tranſlatione. ſi de materia cœli, hæc bifariam cōſiderari poteſt, vno modo, vt eſt mobilis ad locum, & quoniam ſic aliquo modo tranſlationi ſubijcitur, ſcilicet tranſlationi locali. transfertur enim de loco ad locū: & hoc pacto dicitur materia: quia materia dicit potentiam materia enim dicitur reſpectu earum rerum, quæ nondum ortum habent, id eſt reſpectu formæ, qua caret. etiam hæc dicit potentiam, et ſi non ſimpliciter, aut ad formam, dicit tamen potentiā ad locum. & ſic materia cæleſtium eſt cum motu, & tranſlatione. & quoniam tranſlatio huiuſmodi refertur ad efficiens, ideo prima materia, ſcilicet cœleſtium, vt ſubijcitur tranſlationi, refertur ad primam formam, & tranſmutat & mouet illud corpus, tunc vero prima forma non habet rationem formæ, ſed primi efficientis: quoniam ſic mouet tale corpus cœleſte. & quia primū efficiens, quatenus tale, conſiderat philoſophus naturalis; ideo conſiderat primam formam, nō ſub ratione primæ formæ, ſed ſub ratione primi efficiētis: quod habet mouere hanc materiā. ſi ergo philoſophus naturalis conſiderat materiā cœleſtem, vt dicit potentiam ad motum: ſic etiam cō ſiderat ſuam formam, vt habet mouere hanc materiam. hæc enim correlatiua ſunt. Alio modo conſideratur materia cœleſtis, non vt dicit potentiam, neque vt tranſlationi ſubeſt, verum vt intelligentijs ſubijcitur. & ſic habet rationē ſubiecti tantum, non materiæ: quia materia dicit potentiā ad aliam formam. quo modo vero eſt materia cœleſtis: quia cœli, lunæ, & cæterorum corporum materia eſt alterius rationis, & ſpeciei à materia cuiuſcunque alterius cœli, & ſic de alijs: ideo materia, quæ ſubiecta eſt formæ lunæ, non poteſt relinquere formam lunæ, & aliam ſuſcipere. quare, cum non ſit in potentia ad aliam formam, niſi ad quam habet, ideo non dicitur materia, ſed dicitur potius ſubiectum: quia non dicit potentiam, neque tranſlationem: quia tantum eſt in potentia ad formam, quam habet. & cum non ſubijcitur tranſmutationi, non eſt philoſophi naturalis conſiderationis, ſed metaphyſici, & ſicut hæc materia, quatenus ratione caret & habet rationem ſubiecti, non eſt philoſophi naturalis conſiderationis, ſed metaphyſiceſt ita & forma, ad quam refertur. refertur enim ad intelligentiam, cui ſubijcitur, & à qua ſeparari non poteſt, quia eſt ſubiectum ipſius ſub ratione ſubiecti, non eſt philoſophi conſiderationis, ſed metaphyſici. vtrunque enim tranſlatione caret. Ad argumentum igitur, cum dicis philoſophus naturalis conſiderat primam materiam: verum eſt. ergo & primam formam: quoniam correlatiua ſunt: dico, ꝙ ſicut philoſophus naturalis cōſiderat primam materiam: quæ dicit potentiam & tranſlationem, & proprie materia eſt, & dicitur: ita etiam conſiderat formam illam, ad quam talis materia refertur, & à qua talis materia mouetur, & transfertur. quia autem talis non dicit potentiā, nec tranſmutationē, nec proprie materia dicitur, ſed potius habet rationem ſubiecti, ideo nec forma illa, ad quam refertur, ſcilicet intelligentia ipſa nō dicit tranſlationem. Quod tertio dicis, quia idem ſunt primum efficiens, prima forma, & primus finis; & ſcimus hæc tria idē eſſe, nullo habitu ſimpliciter, ſed habitu tam naturali, quam metaphyſico, hęc enim cognitio depēdet tum à ſcientia naturali, tum à metaphyſica: quoniam ex naturali cognoſcimus naturam primi efficientis, ex metaphyſica vero tum naturam primæ formæ, tum primi finis. & ita ex vtroque habitu comparantur hæc ad inuicem. De quarto & vltimo, quod dicis: quia, ſi philoſophus naturalis non conſiderat formam primam, & primum finem: ſcientia naturalis, id eſt de rebus naturalibus, erit imperfecta. Deduco conſequentiam ex Ariſtotele in primo tractatu hæc: quia inquit, tūc opinamur vnumquodque ſcire, & cognoſcere, cum cauſas primas cognoſcimus: & ibi de omnibus quatuor cauſis. ſi igitur ſcimus, cum cognoſcimus omnes quatuor cauſas, & philoſophus naturalis non poteſt cognoſcere primam formam & primum finem: ergo non cognoſcit omnes cauſas: ergo non perfecte ſcit: ergo ſcientia naturalis imperfecta. Aliqui propter hoc argumentum cōceſſere, naturalem philoſophiam imperfectam eſſe. ſed hoc abſurdum eſt: quia nulla res poteſt perfectius conſiderari, quàm in propria ſcientia: & res naturales non poſſunt perfectius conſiderari, quàm in ſcientia naturali, non ergo hæc ſcientia imperfecta eſt. ſed tu dicis: non conſiderat omnes cauſas. Dico, ꝙ res naturales motum includunt, quatenus naturales ſunt, & quia primus finis, & prima forma abſcindunt à motu, ideo res naturales, vt naturales ſunt in ſuo eſſe, nō dependent à primo fine, nec à prima forma, nec ipſorum conſideratione indigēt: quia res naturales in ſuo eſſe circumcernunt materiam, & motum: non ergo indigent conſideratione eorum, quæ abſcindunt à materia, & à motu, vt eſt primus finis, & prima forma: ſed perfecte ſciūtur ex cognitione eorum, quę motum circumcernunt, & philoſophus naturalis conſiderat primum finem, qui ſcilicet eſt finis motus, & etiam primam formam, quia idem ſunt: & res naturales non poſſunt ſciri perfectius: perfecta nobis traditur ſcientia de rebus naturalibus, ſine cognitione primi finis, & primæ formæ: quia ab ipſis nō dependent in ſuo eſſe. Quare, &c.

LECTIO DECIMA.

ERAT ſecunda dubitatio in procemio Auerrois ſuper ſecundo cap. vbi dicebat, ꝙ philoſophus naturalis omnes formas, ac fines conſiderat, præter primam formam, & primum finem. hoc minime verum videtur: quia præter primam formam, ſunt aliæ formæ abſtractæ vt reliquæ intelligentiæ, etiam præter primum finem, ſunt ſecundi fines: quia ſecunda intelligentia eſt finis, & forma tertiæ tertia quartæ: & tamen hæ formę, & hi fines abſcindunt à motu. ergo illæ non ſunt philoſophicæ conſiderationis. quo modo ergo dicit Auerroes, quod philoſophus naturalis conſiderat omnes formas, & fines primos? Dico, ꝙ, ſi capiamus primam formam, & primum finem ſimpliciter, reuera dictum Auerrois nō eſt verum, vt probat ratio. ſed quoniam per primam formam primumque finem poſſumus intelligere, totum genus ſubſtantiarum abſtractarum; & hoc pacto ſumit Auerroes: ideo recte dicit, ꝙ ſcilicet philoſophus naturalis conſiderat omnes formas præter formam primam, non ſimpliciter, ſed totum genus ſubſtantiarum abſtractarum, non quatenus abſcindunt à motu, ſed vt cōmune ſunt rerum corruptibiliū principium, vt infra dicetur. idem dicitur de fine. Eſt alia dubitatio, quo modo dictū Auerrois erit verū, quia diximus, ꝙ prima forma & primus finis non conſiderantur à philoſopho naturali, quia præſcindunt à motu: quod patet: quia ſunt communes ſubſtātijs ſpiritualibus & materialibus. dicūtur enim de primis forma & finis ſim-

pliciter,& de his,quæ ſunt finis motus.totum autem genus ſubſtantiarum abſtractarum commune eſt tantum materialibus abſtractis, quia in ipſis agit motus: non eſt autem commune immaterialibus: quia præter ipſum genus abſtractarum nõ eſt alia ſubſtantia abſtracta, in qua genus ipſum ſubſtantiarum abſtractarum poſsit recipi receptione ſpirituali .quo modo igitur intelligitur per primũ finem & primam formam, totum genus ſubſtantiarum abſtractarum? Dico, ꝙ totum genus ſubſtantiarum abſtractarum adhuc commune eſt ſubſtantijs corruptibilibus:eſt enim commune ſubſtantiarum corruptibilium: quoniam eſt principium generationis ipſarum, quando res immateriales ſunt fines ad inuicem. vna enim eſt forma, & finis alterius, vt prima ſecundæ,ſecunda tertię,tertia quartæ,&c.quoniam vna eſt amor,& notio alterius.& ſic genus ſubſtantiarũ abſtractarum eſt commune materialium,& immaterialium.ſemper enim ſuperior eſt,vt forma, & finis inferioris. Eſt alia dubitatio: quia dicit Auerroes, ꝙ metaphyſicus non conſiderat primum efficiens,nec primam materiam. Sed contra,quia metaphyſicus conſiderat omnia genera cauſarum, ergo & primam materiam,& primum efficiens, ſecundo,quia prima forma & prima materia correlatiua ſunt. ſi ergo primã formam conſiderat,ergo primam materiã: correlatiuorum enim eadem eſt ſcientia:primo Topicorum. Tertio dubitatur,quia Ariſtoteles tertio Metaphyſices,quęrens an cõſideratio omnium cauſarum ſpectet ad eundem artificem, dixit ꝙ non ad metaphyſicũ:quia, cum metaphyſicus pręſcindat à motu, efficiẽs vero & finis motum includat; ideo ab ipſo non conſideratur.de efficiẽte patet,quia intendit finem per motum,& mediãte motu.de fine declarat Ariſtoteles:quia finis eſt finis actionis & motus.qui ergo motu caret,non eſt finis. ſi ergo primus finis motum includit,philoſophus naturalis cõſiderat ipſum primum finẽ, ergo nõ metaphyſicus,vt inquit Auerroes. Ad primum dico,ꝙ metaphyſicus conſiderat primam materiam,& primum efficiẽs, quatenus ſunt principia rerum, & continentur ſub ente:naturalis vero eas conſiderat ſub propria ratione, ſcilicet ſub ratione primæ materiæ,& primi efficientis, & vt motũ includit, ſicut conſiderantur omnia genera cauſarum à logico,ſed ſub alia ratione,quatenus,ſcilicet ſunt media demonſtrationis:quoniam per quodlibet genus cauſæ licet demonſtrare:ſecundo Poſt. De ſecundo iam ſoluta fuit dubitatio: quia,ſi conſideratur prima materia vt ſubiectũ, & pręſcindit à motu,ſic eſt metaphyſici cõſiderationis: quia hoc modo non dat mutationem, & ſic refertur ad primam formam id eſt intelligentiam.ſi vero conſiderat materiam,quę dicit potentiam,ac tranſmutationem,ſi eſt philoſophi naturalis. nec talis materia refertur ad primam formam, id eſt ad intelligẽtiam,quatenus prima forma, ſed ad ipſam materiam quatenus habet rationem primi efficientis. De tertio dicis ex Ariſtotele, tertio Metaphyſices, qui dixit finẽ primum non pertinere ad metaphyſicum, quia concernit motum. Dico, ꝙ ratio Ariſtotelis ibi nulla eſt, quia ibi non intendit adducere rationes fortes,& demonſtratiuas,ſed probabiles, tantum valet, metaphyſicus præſcindit à motu, ergo à primo efficiente & prima materia, non tamen à primo fine,& prima forma.Ratio Ariſtotelis dialectica eſt,ſicut alię quas ibi adducit,vt eſt iſta.Contraria ſunt eiuſdem ſcientiæ:quę igitur non contraria ſunt,non ſunt eiuſdem ſcientię.videatis,quo modo hæc ratio manifeſte peccat.arguit ab oppoſito antecedentis ad oppoſitum conſequentis: vt ſi dicamus, equus eſt,ergo animal eſt:equus non eſt,ergo animal nõ eſt ideo dixit Auerroes, ꝙ ſermones Ariſtotelis in illo libro dialectici ſunt, non metaphyſici. & quinto Metaphyſices ſoluit illam quæſtionem Ariſtoteles, dicens, ꝙ metaphyſici eſt cõſiderare omnes cauſas: vbi repetit hãc quæſtionem & eã reſoluit:arguit enim ad partes. ſed vos habetis hic claram ſolutionẽ ad Auerroem: quòd ſcilicet philoſophus naturalis conſiderat omne genus cauſarum, nõ tamen in omni genere primam: quia non conſiderat primam formam, nec primum finem: quia hæc conſiderantur à mathematico:philoſophus vero naturalis conſiderat primã materiam, & primum efficiens. Quare,&c. Eſt alia dubitatio in ſecundo capite Auerrois, circa ſcilicet vtilitatẽ philoſophiæ naturalis. dixerat enim quòd erant duæ vtilitates, vna, ꝙ, mediante ipſa philoſophia naturali, ducitur homo ad ſummam beatitudinem.duæ enim ſunt ſcientię ſpeculatiuæ,naturalis & metaphyſica, quæ ſunt homini via,& vita ſempiterna:quia ſciens ipſam,efficitur virtuoſus, & perfectus omnibus virtutibus moralibus. & rationes adducit Auerroes in prologo ſuo. circa primam vtilitatem eſt dubium: quia tertio de anima.13.&.36.dixit oppoſitum. dixit enim, ꝙ vltima hominis felicitas non conſiſtit in ſcientijs ſpeculatiuis,ſed in intuitione Dei,quę habetur per intellectum adeptum.Secũdo dubitatur, quia dixit hic,quòd beatitudo eſt ſempiterna vita,nedum vita:in octauo vero Phyſicorum in prologo ſuo videtur deridere hãc opinionem.inquit enim: Beatitudo iſta, quæ habetur ex ſcientijs ſpeculatiuis,ſecundum fatuos eſt vita ſempiterna: tertio vita eſt ſubſtantia.eſt enim eſſe viuentium: ex ſecundo de anima: & felicitas ipſa eſt accidens,quo modo ergo ſcientiæ ſpeculatiuæ, id eſt felicitas huiuſmodi hominis, eſt eius vita, cum ſit accidens? Dico primo,ꝙ ſcientiæ ſpeculatiuæ non ſunt ſumma hominis beatitudo,niſi diſpoſitiue: quia diſponũt nos ad vltimã beatitudinem. & hoc pacto exponitur dictum Auerrois in tertio de anima.36.ſic etiam Ariſto.quandoque à termino denominat viam ad terminũ, vt ſecundo Phyſicorum.14. cum dicit,generatio eſt natura: quia via eſt in naturam.inquit ergo Auerroes de anima,ꝙ felicitas noſtra conſiſtit in coniunctione intellectus noſtri cum intellectu agente: qui intellectus agens eſt pars animę noſtræ:intelligit,ꝙ felicitas in tali cõiunctione conſiſtit diſpoſitiue:quia in coniunctione recipiuntur ſubſtantiæ abſtractæ in nobis.& ita,cum dicit, eſt via, non intelligit proprie vitam, qui eſt actus.vita enim dupliciter ſumitur, pro actu primo ſcilicet: & ſic eſt ſubſtantia: quia eſt pars compoſiti ſecundo modo ſumitur pro actu ſecundo ſcilicet pro operatione: & ſic eſt accidẽs. eſt enim eius operatio actus ſecundus:intelligit ergo pro vita actum ſecundum.& hoc modo ſcientiæ ſpeculatiuæ ſunt vita, & ſunt ſempiterna vita in ſpecie, nõ in indiuiduo, vt dicebãt fatui. deridebat enim ſemper eos, qui ponebãt ſempiternam vitã in indiuiduo in alio,ſtatu,negat enim Auerroes dari alium ſtatum ab hoc.poſſumus ergo intelligere,ꝙ ſcientiæ ſpeculatiuæ ſunt homini vita ſempiterna, non quidem in indiuiduo, quoniam corruptibile eſt. Sed in ſpecie vel poſſumus etiam intelligere,ꝙ talis beatitudo eſt ſempiterna vita merito ſui,& in ſe,non autem merito indiuidui, in quo recipitur:quia tale indiuiduũ corrumpi poteſt. Quare,&c. Quòd ſi quæratis, quæ nam ſit beatitudo,quam ponit Auerroes in homine, expreſſe Auerroes declarat in Ethicis, ꝙ conſiſtit in cognitione perfectiſsimorum entium, & eorum amore: quoniam omnis virtus, & vltima beatitudo,aut felicitas alicuius operantis conſiſtit in perfectiſsima eius operatione.& quoniam homo inducit animam ſenſitiuam,& intellectiuam;ideo reſpectu vtriuſque animæ eſt propria,& vltima perfectio,& beatitudo. quo enim ad ſenſitiuam animam, prudentia & perfectiſsima eius operatio: & ſic omnes virtutes morales,quæ à prudentia originẽ retrahunt:

rahunt: quo vero ad intellectiuam animam, perfectiſsima eius operatio eſt cognitio perfectiſsimorũ entium. & tales ſunt ſubſtãtiæ abſtractæ. talis vero cognitio ſubſtantiarum abſtractarũ eſt duplex, ſimplex ſcilicet, & compoſita: compoſita, vt cum profertur, & noſcitur per propoſitiones: vt ſi dicamus quidquid motui & mutationi non eſt obnoxium, ęternum eſt. ſubſtantia abſtracta eſt huiuſmodi ergo ſubſtantia abſtracta eſt æterna, &c. & talis ratio non eſt beatitudo ſumma: quoniam errare poteſt, eſt enim diſcurſiua. vnde philoſophi non ponunt diſcurſum in Deo quoniam in ipſo potius diceret imperfectionem, quàm perfectionẽ. Alia eſt cognitio ſimplex & in hac cognitione Simplici cõſiſtit ſumma beatitudo, & talis cognitio poteſt eſſe biſariam, vel per modum imaginis, vt ſenſus apprehendunt res per imagines: & ita intellectio harũ rerum materialium fit per ſenſum, & imaginem: quia noſtra cognitio coniuncta eſt cum ſenſu, & hoc pacto etiam nos apprehendimus ſubſtantias abſtractas ſecundum imagines. tanta enim eſt colligantia intellectus cum ſenſu, vt nõ poſsimus cognoſcere aliquid, niſi mediante ſenſu. & quia ſubſtantiæ abſtractæ non cadũt ſub ſenſu intellectus, tamen eas per modum quanti per imaginationem: & quia apud diuerſos & diuerſa imaginatio. ideo diuerſi diuerſimode Deum apprehendunt: neque eadem eſt Dei cognitio apud omnes homines. Alia eſt cognitio ſimplex immediate ſubſtantiarum abſtractarum, quæ eſt intuitiua cognitio: quia tũc intellectus apprehẽdit Deũ: & cum cognitio Dei ſit ſui ſubſtantia, ita illa cognitio, quã habet intellectus, eſt ſumma beatitudo: quia eſt ſubſtantia dei: & talem beatitudinẽ ponit Auerroes in nobis, qualem poſuit Ariſtoteles in ſubſtãtijs ſeparatis. dicebat enim Ariſtoteles, ꝙ beatitudo ſubſtãtiæ inferioris cõſiſtit in apprehenſione ſubſtantiæ ſuperioris: quia in eius apprehenſione ſuperior inferiori vniebatur: q̃a eius cognitio eſt eius ſubſtantia: quia ſecunda recipit primam: & eius cognitio, ſcilicet ſecunda, eſt ſubſtantia primæ ponit enim notionem in ſubſtantijs abſtractis eſſe ſubſtantiam: quia nullum accidẽs eſt in ipſis. ita eſſe de anima noſtra imaginatus eſt Auerr. quia, ſicut intellectus agens vnitur intellectui potentiæ, ita ſubſtãtia abſtracta vnitur intellectui agenti: quia cognoſcit ipſam & eius cognitio eſt prima ſubſtãtia. Cognitio autem ſubſtantiarũ abſtractarum à materiali biſariam differt, primo, quia in nobis eſt obſcurior, in ipſis vero eſt amor clarior: & hoc ob earum perfectionẽ ſecundo, quia in ſubſtantijs abſtractis non requiritur præuia diſpoſitio. ſicut in nobis. in nobis enim requirũtur ſciẽtiæ ſpeculatiuæ, quæ ſunt præuiæ diſpoſitiones ad primi entis cognitionem recipiendam. Sed tu dicis quo modo beatitudo, quã ponunt Theologi, à beatitudine philoſophi differt? Dico, multiplicetur, primo quia beatitudo theologi, quæ eſt cognitio Dei, eſt accidens, & apprehendit tantũ, quãta ſunt eius merita: quia intellectus diuinus repræſentat tantam eius cognitionem beato, quantam vult voluntas, quæ vult tantam, quanta ſunt eius merita. ideo in patria cæleſti aliqui magis, aliqui minus beati ſunt. Auerroes vero vult, ꝙ talis cognitio ſit ſubſtantia. An illa notio ſit practica, vel ſpeculatiua ſecundũ Theologos; Scotus dicit, ꝙ eſt praxis: diuus Thomas, ꝙ eſt ſpeculatiua: & ita dicit philoſophus: quoniam ſpeculatiua cognitio eſt perfectior praxi. ideo rectior eſt opinio diui Thomę. Eſt etiam aliud litigium, an beatitudo principaliter cõſiſtat in illa notione, an in amore, ideſt in fruitione illius notionis. Scotus dicit, ꝙ principaliter cõſiſtit in amore: diuus: Thomas, in illa notione. & ita Auerroes dicit, ꝙ principaliter eſt in notione, ſecũdario in amore. Differt ſecũdo, quia beatitudo legis noſtræ eſt in alio ſtatu, illa vero philoſophi eſt in hoc ſtatu. apud enim philoſophos non datur alius ſtatus: quia nec ſenſus nec ratio alium ſtatum demonſtrat. tertio beatitudo legis noſtræ eſt præcedentibus meritis, quæ diſponunt: & ita voluntas diuina exhibet beatitudinem ſecundum merita præcedentia. beatitudo vero philoſophi ex neceſsitate naturæ. quia homo ſe diſponens ad acquiſitionẽ fælicitatis, & de neceſsitate acquirit ipſam, ſi ſcientias ſpeculatiuas adeptus ſit, quæ ſit diſpoſitio immediata ad fœlicitatem. quarto beatitudo legis noſtræ redundat in corpore. & ipſas ſequuntur quatuor dotes prima eſt impaſsibilitas. redditur enim corpus impaſsibile. ſecunda eſt ſublimitas, id eſt corporum penetratio. penetrant enim corpora ſe abſq; miraculo tertia eſt agilitas, id eſt motus inorganicus, quia mouentur moti, nec manibus, nec pedibus. quarta eſt diaphanitas, & claritas: quia illa corpora tranſparẽtia ſunt. beatitudinem vero philoſophi non ſequuntur hæ dotes: quia homo beatus etiam ſe periculis exponit, & alijs malis. quare talis beatitudo philoſophi in corpus non redundat. Sequitur alia dubitatio, an beatitudo philoſophi repugnet beatitudini legis noſtræ. aliqui enim tenent, ꝙ non, vt magiſter ſententiarũ. 17. diſtinct. primij & Gregorius Ariminenſis; qui dicũt, ꝙ claritas nihil aliud eſt, q̃ eſſentia diuina, ſpeciatim illabẽs ad ĩtellectũ noſtrũ, & intellectui noſtro aſsidẽs.

LECTIO VNDECIMA.

ERAT difficultas, quam dimiſimus, de beatitudine; quam ponit Auerroes in nobis, & dixit nos eam conſequi ex philoſophia naturali cum Metaphyſica. iſtę enim ſcientiæ ſecundũ Auerroem diſponunt animam rationalem ad betitudinẽ ſummam: quæ nihil aliud eſt, quàm notitia perfecta & clara primi entis, & intuitio ipſius faciei ad faciem, moderniorum verbis vtar. vult, id eſt Auerroes, ꝙ ex ſciẽtia ſpeculatiua anima rationalis totaliter diſponatur, vt in ſe recipiat primam cauſam, quę eſt amor, & finis ſui. & ita prima cauſa coniungitur animæ rationali, ſicut amor amanti. hoc pacto enim beatificatur anima rationalis ſecũdũ Auerroem, ſicut Ariſtoteles ponit, beatitudinem in ſubſtantijs abſtractis, niſi ꝙ ex parte animæ rationalis requirãtur prius ſcientiæ ſpeculatiuę, quibus mediãtibus diſponatur ad hanc beatitudinem. ſubſtantiæ vero abſtractæ non indigent aliqua ſcientia, vt diſponantur ad ſuam beatitudinem adipiſcendam: quia in ipſis nullum eſt accidens, ſed amor in ipſis beatitudo. Declaraui iam differentiam huius beatitudinis à beatitudine theologorum. ſed remanſit dubitatio; quia videtur ꝙ hæc beatitudo, quam ponit Auerroes, ſit figmentum. quis enim expertus eſt hoc, ꝙ ſibi cõiuncta fuerit prima cauſa? ſi enim eſſet verũ hoc; ſequeretur, ꝙ aliquis ſciret omnes veritates ſcientiarũ, & ſciret articulos fidei ex ſcientia naturali, & metaphyſica. quia ſicut hæ veritates habent ortum ex prima cauſa, ita etiam per ipſam cognoſcũtur. ille ergo, qui ſibi habebit hãc primam cauſam, coniunctam veritatẽ ſciet. Contra: quia Plato qui maxime circa diuina verſatus eſt, cõtemnit hãc beatitudinem, quia ponit Auerroes, hanc ſcilicet veram, & claram notitiam de Deo, dixit enim Plato in Philebo, & in Theeteto: Veram ſcientiam de Deo habere non poſſumus: ſed omnia de ipſo per metaphoram habentur, & ſimilitudinem. Idem dicit in epiſtola ſeptima ad Dionem: Diuina neque verbis, neque ſcriptis vere mandari poſſunt. Si ergo impoſsibilis, ſecundum Platonem; hæc notio de diuinis in nobis; quid dicit Auerroes? certe de hac opinione Auerrois poſſumus dicere, ꝙ eſt maximũ litigium; quia nuſquam vidi Ariſtotelem ponere hãc bea-

titudinem innobis, ſicut in ſubſtantijs ſeparatis, nihil minus ex ſcientijs ſpeculatiuis, quamuis multa de rebus diuinis cognoſcere poſſumus; vt, quod ſubſtantiæ abſtractæ intelligãt; & ꝙ nullum eſt accidens in ipſis, ſed ſua intellectio eſt ſui ſubſtantia; & quòd non erant, nec componũt, nec diuidunt, nec diſcurrũt: & multa alia de ipſis cognoſcere poſſumus; ſicut docet nos Ariſtoteles in libris Metaphys. Si tamen vellemus etiam tueri figmentum Auerrois, poſſemus, quia ſicut Ariſtoteles. 12. Metaphys. poſuit beatitudinem in ſubſtantijs abſtractis, & ꝙ illa notio eſt amor in ipſis, & non eſt accidens, ſed ſubſtantia; quæ ſubſtantiarũ abſtractarum beatitudo oritur, quum prima ſubſtantia, coniungitur ſecundæ & prima ſecunda tertiæ & ita procedendo; hoc pacto etiam Auerroes ſequens Ariſtotelem reſpectu ſubſtantiarum abſtractarũ poſuit hoc etiam ex parte noſtri, quòd anima rationalis in nobis ex ſcientijs ſpeculatiuis taliter diſponitur vt poſsit in ſe recipere primã ſubſtantiam, vt amorem in amante. & ſi ita teneamus, tunc ad argumenta dices & primo ad primum quod dicebas, ꝙ ſciens tunc ſciret omnes veritates ſcientiarum, & veritatem principiorum, & articulorum fidei. quis vero expertus eſt hoc? dico ad hoc, ꝙ etſi illa notio ſit nobis coniuncta ſcilicet animę rationali, & ipſam cognoſcamus tantum, vt poſſumus; non tamen, debilitate noſtri intellectus, eſt adeo clara illa notio, vt poſsimus in ipſa comprehendere omnes veritates, ita & hæc imperfectio cognitionis nõ ex ipſa notione, ſed ex defectu noſtri proueniat. Quod dicis de Platone, quia ipſe tam ſciens, & maxime verſatus circa diuina videtur, negare hanc notionem in anima rationali: dico, ꝙ Plato videtur bilinguis, etſi non ſit: quia ipſe in Philebo & Parmenide, diſputãs de ſumma hominis beatitudine parũ ab hac opinione differt. Ariſtoteles enim & Plato, eſſe beatitudinem duplicem in homine, poſuerunt. vnam in appetitu ſenſitiuo ſiue in anima ſenſitiua, ex prudentia etiam, ſi ſit habitu intellectus: ideoque non eſt virtus moralis. & hæc habetur ex ſcientijs moralibus. Aliam poſuerũt ex parte animę rationalis, quam ſupremam appellant. & hæc habetur ex ſcientijs ſpeculatiuis, loquẽs ergo Plato in ſupradictis locis de ſumma hominis beatitudine, dixit, ꝙ eſt perfecta animæ rationali cum Deo ſimilitudo: quia non in anima rationali erat ſecundæ partes, ſcilicet mens, & voluntas, ſecundum mentem Ariſtotelis & Platonis, ideo, quo ad duas ipſius potentias, ſcilicet quo ad mentem, & voluntatem. ex parte enim mentis poſuit contemplationem, id eſt notitiam Dei: & hæc erat ſapientia diuinarum rerum: ex parte vero voluntatis poſuit ſupremum gaudium, & voluptatem. & hæc duo appellat antiquitas, ambroſiam, & nectar. appellauit enim ambroſiam contemplationem rerum diuinarum. quæ eſt ex parte mẽtis: & nectar voluptatem, quæ eſt ex parte voluntatis, ex vnione ergo harum duarum virtutum, ſcilicet ex illa ſumma cõtemplatione diuinarũ & ſumma voluptate ſequitur beatitudo. cuius beatitudinis poſuit Plato tres cõditiones, ſcilicet ꝙ ens perfectum maxime ſufficiens, & ſumme appetendum, eſt maxime perfectum, quia ipſi beatitudini nihil deeſt, ſed omnes perfectiones comprehendit, & quia prima cauſa eſt, & ſecũ affert quicquid expetere poſſumus, ac deſiderare. Deinde ſequitur Plato, & inquit: Ad hãc autem ſummam beatitudinem adipiſcendam neceſſarium eſt vt expurgetur anima rationalis, à paſsionibus, & perturbationibus corporalibus, vt ipſam conſequi poſsit. hæc autem expurgatio bifariam fit, tum acquiſitione ſcientiarum ſpeculatiuarum, tum acquiſitione virtutum moraliũ. videatis ergo quemadmodum Auerroes fere eſt Platoni conformis de beatitudine. nunquid autem hæc beatitudo ſit per ſuſceptionem primæ cauſæ, id eſt ſubſtãtiæ eius, vel nõ, Plato non expreſsit, Auerroes autem poſuit ꝙ ſic. Sed vos dicetis, licet Plato hæc dixerit, tamen alibi ſibi contradicit, quia fere vbicunque deridet philoſophos, & maxime in Theeteto, quia ſint otioſi, & rebus agendis inepti. & eos appellat ſophiſtas, & mercatores, qui vendunt philoſophiam, vt nos, qui publico ſtipendio docemus: etiam, quia Plato laudat oraculum Apollinis: quod dicebat ſe vnum ſcire, ꝙ nihil ſciret. in perſona enim Socratis hæc dicit Plato in Theeteto. ſi ergo ex philoſophia ſequeretur hæc beatitudo, quare vilipendit tantum philoſophos Plato ipſe? qui vbique probat dictum Socratis ex oraculo, ꝙ ſcilicet ſuum ſcire eſt nihil ſcire, quo modo ergo ex philoſophia ſequetur hæc beatitudo, ſcilicet vera ſciẽtia primæ cauſæ? Dico, ꝙ Plato non irridet ſimpliciter omnes philoſophos, ſed tantum vanos & ſophiſtas, qui habuerunt falſas opiniones, vt erat opinio Heracliti; qui dicebat, omnia eſſe in fluxu, & nihil permanere. damnat etiam illos philoſophos, qui ſunt iactabũdi, qui dicũt ſe plura ſcire, quàm ſciãt, vnde comprobat dictum Socratis ex oraculo, vnum ſcire, ꝙ nihil ſciret, non quidem ſimpliciter, ꝙ nihil ſciret, ſed reſpectu ſcientiæ diuinæ: quia ſcientia hominis, reſpectu ſciẽtiæ diuinæ, nulla eſt. ideo nullus poteſt iactare ſe de ſua ſciẽtia. Eſt ſecunda vtilitas, quam ponit Auerroes ex ſcientijs ſpeculatiuis. ꝙ ſcilicet ex ipſis homo nedũ ſupremam beatitudinem conſequitur, verum etiam omnes virtutes morales. circa hanc eſt dubitatio: quia ipſæ virtutes morales ſunt vtiles ad ipſam philoſophiam capeſcendam: ergo philoſophia non eſt vtilis ipſis. ꝙ autem virtutes morales ſunt vtiles ad philoſophiam, patet ex Ariſtotele. 7. Phyſi. 2. vbi inquit. Sedendo & quieſcendo anima fit prudens: id eſt, ſedatis paſsionibus & perturbationibus appetitus ſenſitiui, addiſcimus. non ſedantur autem hæ paſsiones, niſi ex virtutibus moralibus: illæ igitur ſunt vtiles ad adipiſcendam philoſophiam: ergo philoſophia non eſt vtilis eis. etiam Simplicius dixit: Puer prius debet tradi moribus, quàm ſcientijs. ergo ex philoſophia non acquiruntur virtutes. Secundo ex Ariſtotele. 2. Ethicorum, qui inquit: ſcientię ſpeculatiuæ & naturales nihil iuuant ad virtutes morales: patet: quia virtutes morales acquiruntur à nobis ex iteratis actibus, ſicut actu abſtinendi à coitu, vbi, quãdo, & quantum oportet, efficimur caſti. ergo virtutes morales non acquiruntur ex ſcientijs, ſed ex iteratione talis actus: & Ariſtoteles alibi dixit: ille, qui quærit perfici in virtutibus moralibus acquirens philoſophiam & ſcientias ſpeculatiuas, ſimilis eſt ægro, qui audit pręcepta medici, & tamen non obſeruat. quid ergo dicit Auerroes? Tertio, arguitur: quia bonum honeſtum eſt appetibile propter ſe, nõ propter aliud bonũ; vtile vero eſt appetibile propter alterum: vnde bonum honeſtum eſt magis bonum, quàm bonum vtile: quia propter ſe, & propter ſuam perfectionem deſideratur, ſicut eſt de ſine reſpectu mediorum in fine, finis ipſe eſt bonum honeſtum, quoniam propter ſe appetibile eſt, & quicunque finis ipſe, non propter alterum deſideratur. media vero in fine ſunt bonum vtile: quoniam propter aliud deſideratur. ſed ſcientiæ omnes ſpeculatiuæ ſunt bonum honeſtum, quia propter ſe appetuntur, non autem propter alterum. quomodo, ergo dicit hic Auerroes, ꝙ ſciẽtiæ ſpeculatiuæ ſunt vtiles virtutibus moralibus, ſi ſunt bonũ honeſtum, quod tantum propter ſe deſideratur, non propter alterum? Quarto & vltimo, arguitur: quia ex principijs ſpeculatiuis nũquam deducitur practica, & de rebus agibilibus, de quibus ſunt virtutes morales: ſed principia philoſophiæ ſunt ſpeculatiua. quo modo ergo, eſt vtilis ſcientia ſpeculatiua ipſis virtutibus, ſiue ſciẽtijs moralibus. Dico, ꝙ dictum Auerrois re-

ctum

ctum eſt: quia virtutes morales omnes inuicem ſunt connexæ, & ſunt connexæ prudentiæ, & eſt ſententia Ariſto. 3. Ethicorum, & omnes habent ortum ex philoſophia naturali. & ita dico, ꝙ ſicut ſcientia ſubalternata habet ortum ex ſcientia ſubalternante: ita ſcientia moralis, quæ eſt ſcientia Practica, ortum habet ex ipſa ſciẽtia naturali, tãquam ſubalternata ex ſua ſubalternante. Ad primum argumentum, virtutes morales ſunt vtiles ſcientijs ſpeculatiuis: ergo non è contra. Dico, ꝙ non conuenit, ꝙ ſibi inuicem ſint vtiles. diuerſo tamen modo, & diuerſa ſpecie vtilitatis. Sicut (dicit primo Politicorum) de ſeruo & domino. dominus enim eſt vtilis ſeruo, & ſeruus domino; alia tamen & alia ſpecie vtilitatis; quia dominus eſt vtilis ſeruo, ꝙ dat ei victum, & veſtitum, & alia neceſſaria vitæ; Seruus eſt domino vtilis. quia facit alia, quæ dominus facere non vult, id eſt, quo ad obſequia. Ita eſt de virtutibus moralibus, & ſcientijs ſpeculatiuis. Sciẽtiæ ſpeculatiuæ ſunt vtiles virtutibus moralibus, & ex ipſis oriuntur virtutes morales. Similiter & ſine virtutibus moralibus nõ poſſumus incumbere diſciplinis, quoniam oportet delere paſsiones & perturbationes corporis, ꝙ faciunt virtutes morales. Quod addis quia ſecundo Ethicorum ratio nihil aut parum iuuat ad virtutes morales: Dico, ꝙ intelligitur ſic dictum Ariſtotelis, ꝙ ratio proprie & immediate non iuuat ad virtutes morales, ſed virtus moralis naſcitur ex iteratis actibus, & ſine actu non eſt virtus moralis apud Ariſtotelem. quod eſt contra Scotum. Voluit ergo dicere Ariſtoteles, ꝙ virtus moralis proprie & immediate non dependendet ex ratione, non tamen quod ſimpliciter non dependeat, quia remote dependet, vt declarabimus: ſed non dependet proprie, quia proprie & immediate dependet ex iterato actu. Et ideo Ariſtoteles recte aſſimilauit illum, qui putat acquirere virtutes morales ex ſcientijs ſpeculatiuis, & ea non obſeruat, (quod ex cauſa proxima) ægro, qui medicis non paret: ſicut enim æger ille non conſequitur ſanitatem: ita etiam ille non conſequitur virtutes morales, ex ſolis ſciẽtijs ſpeculatiuis: Sed oportet vt poſt ipſas operetur. & iteratis actibus ipſas virtutes acquirat.

Quod addis quia bonum honeſtum nõ eſt bonum vtile, quid ergo dicit Auerroes? Dico, reuera hic modus loquẽdi Auerrois eſt improprius, recte tamen intelligendus eſt, quod ſcientiæ ſpeculatiuæ, ex quo ſunt bonum honeſtum, tamen propter ſe ſunt appetendæ, & non propter vtilitatem alicuius: nõ tamen propter hoc tollitur, quin poſsint aliquibus ſuffragari, vt virtutibus moralibus, non tamen propter aliud ſunt appetendæ, quia honeſtius & dignius nunquam appetendum eſt propter ignobile, ſed propter ſe ipſum. Inde eſt illud, quod pluribus vtile eſt, ignobilius eſt illo, quod nulli vtile eſt, ſed tamen propter ſe expetendum. Et ideo iſti iuriſtæ tuẽtes partes ſuas aduerſus nos, dicunt, quod ius ciuile eſt nobilius noſtris ſcientijs, quia pluribus vtile eſt, vt ciuitatibus, domibus. ſed decipiũtur, & ſibi aduerſantur: quia bonum vtile vt eſt magis vtile & pluribus, ita & magis ignobile; ſic bonũ vtile ignobilius erit honorabili, quod nulli eſt vtile. Sed tantum propter ſe ipſum expetendum. Quare impropriè locutus eſt Auerr. Et iuriſtæ ſe ipſos ſuo telo vulnerant. Addebas vltimo, quia ex principijs ſpeculatiuis, non oritur concluſio practica, quæ eſt de rebus agibilibus, vt virtutes morales: Dico, ꝙ ſi omnia principia in eo diſcurſu eſſent ſpeculatiua, verum eſſet, ꝙ non ſequeretur concluſio practica; ſed cum volumus concludere aliquam concluſionem practicam, accipimus vnum principium ſpeculatiuum, alterum practicum: vt eſt in iſto exemplo: nullum vile præponendum nobiliori, ſed pecunia eſt vilior homine, quia eſt corpus inanimatũ: homo vero animatus ex anima rationali, ergo pecunia non eſt homini præponenda. Hic vnum principium eſt practicum, & maior propoſitio ſcilicet nullum vile præponendum nobiliori: quia hæc propoſitio dictat de opere. eſt enim de rebus agẽdis. minor vero propoſitio eſt ſpeculatiua: quia ex philoſophia ſcimus, ꝙ inanimatum vilius eſt animato, & præcipue anima rationali. Et ita patet, quomodo, & ex quibus principijs concludatur concluſio practica, etiam moralis. Eſt tertia dubitatio, nunquid virtutes morales ſint neceſſariæ ad cõſequendam beatitudinem; & ex auctoritate Platonis videtur ꝙ ſic: quia ipſe inquit ad beatitudinem acquirendam neceſſaria eſt expurgatio animæ, quæ tum ſcientijs ſpeculatiuis, tum virtutibus moralibus expurgatur. Dico, ꝙ virtutes morales, non quidem per ſe, ſed per accidens ſunt neceſſariæ ad beatitudinem conſequendam: quia cum ſcientiæ ſpeculatiuæ ſint neceſſariæ ad beatitudinẽ, & virtutes morales ex ipſis oriãtur. ideo ipſæ per accidens neceſſariæ ſunt ad beatitudinem acquirendam. Scientiæ vero ſpeculatiuæ per ſe neceſſariæ ſunt ad eandem beatitudinem conſequendam. ſed tu dicis, Auerroes cum dixit, naſcuntur omnes virtutes morales ex ſcientia ſpeculatiua: adiunxit illa verba, cum erimus diſpoſiti ſecundum naturam ad quid. videtur enim, ꝙ hoc nõ ſit verum etiã: quia multæ virtutes morales coniungi nõ poſſunt, quæ nullo modo omnes ſimul haberi poſſunt; vt magnanimitas & humilitas. Hæ duæ virtutes ſunt ſimul, ſed coniungi non poſſunt; quia magnanimitas eſt facere, ſed dignum magnis honoribus, humilitas paruis honoribus: ſed hæc repugnant ad inuicẽ, ergo coniungi non poſſunt. Tum ex alio, quia ſapiens non conſequitur fortitudinem. ſapiens enim non ſe exponit rebus periculoſis. ſimiliter etiam plurima pars ſapientum non poteſt eſſe liberalis: quoniam plurimi carent pecunijs. quomodo ergo cõſequuntur omnes virtutes morales ſecundum diſpoſitionem naturalem. Dico ad hæc, vt etiam dixit Ariſtoteles in libris Ethicorum, omnes virtutes morales ſunt inuicem connexæ, & vni prudentiæ connexæ: & vt qui vnam acquirit, omnes acquirat neceſſe eſt: & qui vna perfectus eſt, neceſſe eſt vt oĩbus perfectus ſit. Ad quid igitur addidit Auerroes, cum erimus diſpoſiti ſecũdum naturam. Dico, ꝙ virtutes morales ſimpliciter nõ ſequuntur ex ſciẽtia ſpeculatiua, ſed requiritur etiam quod ſit diſpoſitio naturalis in nobis. ideo recte addidit Auerroes, cum erimus diſpoſiti per naturam, vt paulo inferius declarabitur: quia virtus moralis eſt habitus electiuus ſequẽs electionem voluntariam: electio autem voluntaria ſequitur conſilium, quod quidem conſilium eſt ſyllogiſmus practicus in nobis. cõcludit enim in materia rerum agibilium. & iſte ſyllogiſmus eſt inſitus in mente, ſicuti ſi dicam ita, nullum vile eſt præferendum nobiliori: pecunia eſt homine vilior: ergo, &c. iſte ſyllogiſmus eſt cõſilium ex parte mentis in rebus agibilibus, quid agere debeamus dictãs. ex hoc autem conſilio ſequitur electio, id eſt actus voluntatis, quę vult hoc conſilium, & ipſum accipit. ꝙ ideo voluntas acceptet hoc conſilium vel cõtingenter, vel neceſſario, ſunt duo modi dicẽdi. illi enim, ſicuti Scotus, qui ponunt libertatem ex parte voluntatis, tenent, ꝙ ita dictio cõtingenter fiat ex voluntate, ita vt poſsit non eligere, & tunc intelligitur dictũ Auerrois, ſi erimus diſpoſiti ſecũdum naturam, id eſt, ſi voluntas erit taliter diſpoſiti, vt eligat cõſilium de virtute morali, tũc cum voluntas eligeret, ſequetur actus virtutis. ſi vero ponamus libertatẽ ex parte ĩtellectus, ſicuti iudicio meo, ſentit Ariſtoteles, & reuera ita eſt. vt enim dictat intellectus, ita voluntas eligit. vnde inquit Ariſtoteles, malitia voluntatis ſequitur ignorantiam intellectus: quoniam voluntas nõ poteſt renuere, quod ſibi dictatum eſt ab intellectu.

tuuc

tunc prauæ electionis non erit cauſa voluntas, ſed erit ipſa ignorantia intellectus: quia intellectus non aſſentit principijs veris operabiliũ, ſicuti deberet aſſentire: & ita male dictat, & vtitur malo diſcurſu. etiam voluntas male eligit de neceſſitate: quia neceſſe eſt, ꝙ ipſa eligat, quicquid dictat ſibi intellectus, bene, ille actus voluntatis eſt electio, illa tamẽ electio, etſi bene eligat, non eſt virtus moralis, ſed ex iſto actu, ſcilicet ex iſta electione iterata ſępius in voluntate, generatur habitus electiuus, nec tamẽ iſte habitus ſecundum Ariſtotelem eſt virtus moralis, quia etſi ego volo dare alicubi quando oportet, non dem tamen, quia non habeo pecunias, ille habitus voluntatit non eſt virtus moralis, niſi ponatur in actu. cũ enim ponã in actu quod ego dem, quãdo, vbi, & cui oportet, tunc ille actus dandi, qui dependet ab habitu, eſt virtus moralis, & eſt liberalitas. Hæc igitur propter Scotum, qui aliter tenet, & tũc ille actus eſt in appetitu ſenſitiuo: imperat enim voluntas appetitui ſenſitiuo, qui inferior eſt voluntate. cum ergo appetitus ſenſitiuus acceperit à voluntate actum illum, tunc dat, cui, vbi, & quãdo oportet. accipit autem tunc appetitus ſenſitiuus à voluntate, quando eſt recte diſpoſitus, ſcilicet vt obediat rõni. appetitus enim ſenſitiuus poteſt reclamare aduerſus voluntatem, dominatur enim ratio ſenſui dominio ciuili, vt poſſit reclamare aduerſus ipſam, non autem dominio ſeruili, vt anima corpori, quomodo non poteſt reclamare aduerſus ipſam. ideo ſi ſenſus eſt recte diſpoſitus, vt obediat rationi, accipit à voluntate actum illum, & ita conſequitur virtutem moralem, & liberalitatem ipſam.

LECTIO DVODECIMA.

ERAT dubitatio, quam tangebas in externa lectione, cur Auerroes dixiſſet, ex ſciẽtijs ſpeculatiuis haberi virtutes morales, ſed neceſſarius eſt ordo naturę, vt ſimus diſpoſiti ſecundum ordinem naturæ, quia, vt declarat Ariſtoteles in libris Ethicorum, in ordine naturæ alterũ ſe habet, vt princeps & dignius, alterũ vero vt poſterius & vilius, & illud quod habet rationẽ domini & principis, dominatur ac imperat poſteriori. vnus.n. alteri dominari põt vel dominio ciuili, vel dominio ſeruili. dominio ciuili alteri dominatur quiſcũ principi alter repugnare poteſt, vt princeps ciuibus ciuili dominio dominatur, quia aliquando ciues contra Imperatorem reclamare poſſunt. illa vero dominatur dominio ſeruili, quando is, cui dominatur, nõ poteſt repugnare: ſicut eſt anima & corpus, quoniã ita anima corpori dominatur, vt corpus non poſſit ei reluctari. Idem eſt in actionibus hominis. vnum eſt vt Princeps, quod eſt ratio, alterũ, vt poſterius & ſeruus, vt appetitus ſenſitiuus: ideo ratio dominatur ſenſui, & ei dominatur dominio ciuili, quia aliquãdo ſenſus poteſt repugnare rationi, quia ipſe ſenſus non mouetur ab anima & ratione, ſed propria ratione mouetur, vt propria delectatione, & propria cõtriſtatione. eſt ergo ordo in iſtis virtutibus hominis vt inferiores ſuperioribus pareãt, & hic eſt ordo naturæ, & tunc nos ſumus diſpoſiti ſecundum naturam. ſi vero econtra eueniat vt inferiores non pareant ſuperioribus, hic nõ eſt ordo naturalis, nec ſumus diſpoſiti ſecũdum naturã, quia etiam appetitus ſenſitiuus rationi ſubiacet, ideo ei obedire debet, & cum non parebit rationi, erit inordinate diſpoſitus. Ad generationem igitur virtutũ moralium in nobis, concurrunt plura, quàm ſcientię ſpeculatiuæ. requiruntur enim vt ſimus diſpoſiti ſecũdum ordinem naturæ, ita vt inferiora ſuperioribus pareãt: quia virtus moralis eſt habitus ſequens electionem, electio autem ſequitur conſilium, quod conſiliũ eſt ſyllogiſmus practicus in mente. Ideo, ſi Socrates in ſe ipſo vult generare virtutem moralem, puta liberalitatem, primo facit hunc ſyllogiſmum practicum, ſcilicet nullum vilius pręferendum nobiliori: pecunia eſt homine vilior, ergo ipſa non eſt præferenda, ſed diſtribuenda eſt pro commodis hominis, vbi & quãdo oportet. maior propoſitio ſumitur ex operabilibus, minor vero eſt ex philoſophia naturali. Poſt hunc ſyllogiſmum qui eſt ex parte mentis, ſit electio ex parte voluntatis, & voluntas eligit. pecunia eſt diſtribuẽda pro commodis hominis, vbi & quando oportet. id enim quod dictat intellectus voluntas eligit. & hic erat duplex opinio, ſicut dixi vobis: tenentes enim quod libertas ſit in voluntate, volunt quod ipſa voluntas poſſit repugnare intellectui, & ſit in libertate ſua eligendi hunc actum, & non eligendi. & tunc iſti interpretantur dictum Auerrois, cum erimus diſpoſiti ſecũdum naturam, id eſt cum voluntas non refragatur intellectui, ſed eligit ſicut dictauit ſibi intellectus. ſed quoniam ſecundum Ariſt. voluntas non poteſt refragari intellectui, quia Ariſtoteles non ponit libertatem ex parte voluntatis, ſed ex parte intellectus, ideo aliter dicendum eſt, ꝙ quidem voluntas eligit id quod ſibi dictauit intellectus, & iterum in voluntate ex iteratis actibus illius electionis ſit habitus in ipſa, non tamen ille habitus appellatur virtus moralis, quia virtus moralis ponitur in appetitu ſenſitiuo, non autem in voluntate, excepta ipſa iuſtitia, quæ impropriè eſt virtus moralis, quia non ponitur in appetitu ſenſitiuo ſed in voluntate. ipſa enim verſatur circa leges, & lex debet eſſe de vniuerſalibus, & nõ de particularibus, ideo leges debent eſſe paucæ, particulares caſus infiniti fere ſunt, deinde moderãtur æquitate, quæ eſt in voluntate. licet ergo ex iteratis actibus electionis, in voluntate generetur habitus, nõ tamen eſt virtus moralis, quia ſi habet eſſe virtus moralis, debet eſſe in appetitu ſenſitiuo, & ideo prudentia, licet ſit dictamen intellectus, impropriè tamen eſt virtus moralis, quia non fundatur in appetitu ſenſitiuo, ſed in intellectu, vt ille ſyllogiſmus: voluntas autem ipſa poſtquam eligit, quod ſibi intellectus dictauit, tunc ipſa iterum imperat appetitui ſenſitiuo, & ſi ipſe appetitus ſenſitiuus recipiat imperium voluntatis, tunc eſt ordo naturalis rectus, quoniam inferiora ſuperioribus parent, & nos ſumus diſpoſiti, ſecundum rectum ordinem naturæ, & tunc iſte actus in appetitu ſenſitiuo, eſt virtus moralis, quia ipſe appetitus ſenſitiuus operatur ſicut imperatum eſt à voluntate. quia autem iſte appetitus ſenſitiuus refragari poteſt imperio voluntatis, tunc ſi non paret voluntati & rationi, non eſt rectus ordo naturæ, ſed requiritur vt ſenſus ipſe voluntati & rationi pareat: ad hoc, vt ſimus diſpoſiti ſecundum naturam, ideo recte addit Auerroes, ꝙ ex philoſophia naturali ſequuntur omnes virtutes morales, ſi ſit rectus ordo naturæ, ita vt appetitus rationi pareat. Sed vos dicetis, quo modo verum eſt ꝙ appetitus ſenſitiuus poſſit refragari voluntati, cum non ſit liber, nec in ipſo ponitur libertas. Dico, ꝙ ideo refragatur, non quia ſit liber, ſed ex propria motione, ſcilicet ex propria delectatione & triſtitia quã cepit ex apprehẽſione proprij ſenſibilis, verbi gratia, ratio imperat vt abſtineam potu, appetitus ſenſitiuus tunc ex apprehenſione proprij ſenſibilis, id eſt ex memoria delectationis quam cepit in potu refragatur voluntati & non vult abſtinere potu, non autem propria libertate, quia etſi non haberet illam delectationis memoriam non poſſet refragari voluntati, ſed eſt ex propria motione, & apprehenſione propriorum ſenſibilium, ideo recte Auerroes poſuit illam particulam, cum erimus, &c. Erat tertia dubitatio circa verba Auerrois, quia non videtur verum, quod homo poſſit cõſequi omnes virtes

tutes morales,multæ enim ſunt, quæ coniungi non poſſunt, vt magnanimitas,& humilitas, quia magnanimitas eſt facere ſe dignum magnis honoribus, humilitas eſt facere ſe dignum paruis honoribus,& hæc pugnant, tum etiam quia ſapiens nõ ſe exponit periculis, etiam quia plurimi ſapientum non poſſunt eſſe liberales,quoniam pecunijs carent,& pauperes ſunt. ad primum dico, ꝙ ſicut ſcientia ſcientiæ coniungi non poteſt,neque prudentia prudentiæ,ita etiam virtus moralis coniungi non poteſt, ſed ſimul omnes eſſe poſſunt.& quòd dicis de magnanimitate & humilitate,non eſt verum quòd coniungi non poſſint, quia magnanimitas eſt facere ſe dignum magnis honoribus, vbi & quando oportet,humilitas eſt facere ſe dignum paruis honoribus, vbi & quando oportet, ſed hoc modo non ſunt incompoſſibilia, imo ſtãt ſimul,quia omnes virtutes ſimul eſſe poſſunt,& qui vna perfectus eſt,neceſſe eſt vt cęteris perfectus ſit. Quòd ſecundo addis, quia ſapiens non eſt perfectus ſecundũ fortitudinem,quia non exponit,ſe periculis.dico reuera,ſi non exponit ſe,non habet hanc virtutem,habet tamen aptitudinem ex philoſophia naturali proximam & immediatam,vt ſi accideret hæc pericula,ipſis ſe exponeret,quia autẽ ipſis non accidũt,ideo non operatur. eſt tamẽ diſpoſitus ex philoſophia,vt ſi accideret operaretur,& ipſis ſe exponeret.

Addebas de virtute liberalitatis, cum plurima pars philoſophorum caret pecunijs,pauperes ſunt. Dico,ꝙ ſi carent pecunijs,non ſunt reuera liberales perfecte:quia ſecundũ Ariſtotelem requiritur actus dandi, vnde inquit Ariſtoteles, Deus non poteſt eſſe liberalis t quia caret pecunijs,& voluntas non ſufficit. qui tamẽ habet electionem & voluntatem dandi pecunias, vbi & quando oportet, ſi ipſas haberet, eſt aliquo modo liberalis,ſ.imperfecte, & proxime accedit ad liberalitatem,& hic habitus habetur ex philoſophia. intelligitur ergo dictum Auerrois, quòd ex philoſophia ſequuntur virtutes morales,amoto omni impedimento.Eſt quarta dubitatio ſpecialis,circa dicta Auerrois, quia ait,quòd ſapiens ſe exponit morti, quãdo & vbi oportet. & inde ſequitur virtus fortitudinis,ſicut exemplificauit de Socrate.Hic eſt difficultas, quæ tangitur à Scoto.34.diſtinctione tertia &.45.diſtinctione, quarti ſententiarum, quæ quidem difficilior eſt philoſophis quàm theologis,quia philoſophi non ponunt alium ſtatũ,ſicut theologi.eſt ergo difficultas,nunquid ſapienti potius ſit moriendum quàm peccandum? hic Auerroes dicit de Socrate,'quòd potius elegit mortẽ quàm peccare, & hoc dictum millies inuenietis à Platone in perſona Socratis, quòd potius moriendum quàm peccandum ſapiẽti eſt.'videtur autem quòd hoc ſit falſum,quòd potius moriendum quàm peccandum ſit ſapienti: immo è contra potius peccandum eſt quàm moriendum.ꝙ probatur, quia nullo pacto mors eligẽda eſt, quia mors caret eſſe.nõ enim habet rationem eſſendi, caret ergo ratione boni, quia quòd non eſt, non poteſt eſſe bonũ, ens enim & bonum conuertuntur, ergo caret etiam ratione appetibilis. quo modo igitur poteſt appeti mors, & quo mõ potius eligẽda eſt mors quàm peccare,cum mors eligi non poſſit, quia caret ratione appetibilis,vt probauimus? Secundo arguitur ex regula tertij Top.duobus malis propoſitis, ſemper minus malum eſt eligendum quàm maius malum, ſed peccare eſt minus malum quam mors, ergo potius peccatum eſt eligendum quàm mors,& non è contra.maior patet, minor probatur, quòd peccatum ſit minus malum,primo,quia peccatum eſt tantum priuatio actus virtutis, loquendo de peccato ſecundum philoſophos. non enim accipio peccatum ſecundum theologos, quãdo ſcilicet intermittũtur præcepta Dei: peccatum igitur de quo loquimur eſt ſolum priuatio actus virtutis,mors vero eſt priuatio vitæ, & eſſe nedum actus virtutis deſtruit:adimit ergo plus mors, quàm peccatum:ergo potius eligendum peccatum quàm mors, quia minus malum, vt probauimus. contra etiam quia malum recuperabile minus malum eſt, quàm irrecuperabile: ſed peccatum malum eſt, ſeu damnum recuperabile, quia ſi hodie peccaui poſſum cras recte agere. mors vero eſt damnum irrecuperabile, quia ſemel corruptum amplius reuerti nõ poteſt. ergo tertium argumentũ contra philoſophos ponit D.Auguſtinus in tertio de ciuitate dei, quia ipſi philoſophi nõ poſuerunt alium ſtatum. tunc ergo ſi ſapienti potius moriendum,quàm peccandum, id eſt ſi ſapiens potius debet eligere mortem,quàm peccare:tunc quæritur,an ſapiens eligens mortem,aut volens moritur, aut nolens moritur,aut nec volens nec nolens, per ſufficientem diuiſionem, ſi tu dicas, ꝙ eligat mortem volens,tunc nõ eſt ſapiens,quia eligit actum malum. ille enim actus eſt malus, quia eſt actus voluntatis diſſonus appetitui naturæ,qui ſemper bonus, aut rectus eſt, inquit Ariſtoteles; quòd autem ſit diſſonus appetitui naturæ patet,quia appetitus naturæ nunquam eſt ad nõ eſſe, ſed ſemper ad eſſe,vt ad vitam;qui ergo eligit mortem vitioſus eſt in iſto actu, quia eſt actus diſſonus appetitus naturæ.ſi autem dicas,ꝙ talis moritur nolens,ergo non eſt actus fortitudinis: quia non ſequitur electionem conformem rationi, ergo non eſt actus fortitudinis. ſi vero dicas quòd hic moritur nec volens nec nolens, ergo fatuus eſt,inquit D.Auguſtinus,quia nec curat de ſuo maximo bono cõſeruando,ſcilicet de vita,nec de ſuo maximo malo fugiendo, ſcilicet de morte,ſequitur ergo quòd nullo modo ſapiens poteſt recte ſe exponere morti.quarto arguitur, quia ex quinto Ethicorum, quod eſt contra leges iniuſtum eſt, ſed interimere ſe ipſum eſt contra leges, ergo iniuſtum. Inquit enim Ariſtoteles, quòd iniuſtum eſt interimere ſe ipſum: nam data eſt pœna illis, qui ſe ipſos interimunt, vt priuentur ſepultura, ergo ſapienti non eſt potius moriẽdum quàm peccandum: quia ſapiens eſt iuſtus. Quinto & vltimo, ſapienti non eſt potius moriendum quàm peccandũ,quia apud philoſophos anima noſtra eſt mortalis,aut fere mortalis, quia etſi immortalis ſit,nunquam tamen eſt ſine corpore: quia ipſi non ponunt alium ſtatum,in quo de bonis ſuis actionibus remunerari poſſint.in nullo ergo caſu ſapiẽs ſe debet exponere morti.Apud theologos eſſet melius, quia ipſi ponunt, quod ſit tranſitus ad meliorem ac beatiorẽ vitam. iſtę pro nũc ſunt rationes,quę non paruam faciunt difficultatem,vtrum potius ſapienti ſit moriendum,quàm peccandum. ex alia parte eſt Ariſtoteles hic, & tertio Ethicorum,& nono, vbi is, qui eligit mortem pro amico, magnum bonũ conſequitur. item ex Ariſtotele tertio Ethicorum, laudat dictum Anaximandri,qui dicebat,quòd potius moriendum, quàm morte ſe dignum facere,id eſt peccare. & eſt ſententia Platonis vbique,potius moriendum quàm peccandũ. ideo ſoluamus dubitationes aduerſus factas. Ad primũ,cum dicis ꝙ mors non poteſt eligi,quia caret ratione eſſendi, ideo boni, ergo appetibilis:verum dicis, mors enim per ſe appeti nõ poteſt, ſed licet nemo poteſt per ſe deſiderare mortem, poteſt tamen deſiderare eam per accidens, ſcilicet deſiderando actu virtutis ad quem ſequitur mors, & ita cum dicitur ſapienti potius,&c.non intelligitur ꝙ per ſe eligat mortem:quoniam mors eligi non poteſt per ſe,ſed deſiderat & eligit actu virtutis,quæ eſt circa mortẽ,ideo per accidens mortẽ eligit,& deſiderat.at tu dicis,quare nõ deſideratur mors?nõne mors eſt per ſe obiectũ fortitudinis, ergo per ſe deſideratur.dico, quòd mors ſimpliciter non eſt obiectum fortitudinis,ſed ſimul cum ipſo actu fortitudinis.ideo non ſequitur quòd per

ſe appetat mortem.ideo Ariſtoteles dicit ſecũda Rhetoric. nemo poteſt iuſte eligere per ſe mori.bene poteſt per ſe eligere actũ virtutis, ſcilicet iuſtitiæ, ad quem ſequitur mors, & ita per accidens eligit mortem, ſicut generans per ſe generat,per accidens vero corrompit, quia ad corruptionem ſequitur generatio.eodem pacto ſoluitur ſecũda dubitatio, cum dicis ex duobus malis minus eſt eligendum. Dico,ꝙ illa regula non eſt ad propoſitũ hic: quia hic non eligimus malum.ſed bonum,ſcilicet actũ virtutis,quod eſt non peccare,per accidens poſtea eligimus mortem.verum admiſſo etiam quod hic eligas malum, non eſt verum quòd minus malũ ſit peccare quàm mori, at, tu probas. quòd plus boni mors adimit quam peccatum, quia adimit actum virtutis & vitam: peccatum vero actum virtutis tantum. Dico, ꝙ mors non adimit ſimpliciter vitam, quia hic debet mori in alio tempore,ſed adimit vitam pro longiori tempore,neceſſe tamen eſt quòd moriatur alio tempore.ideo tantum priuat ſe vita pro longiori tempore:& in iſta electione mortis in illo breui tempore antequã moriatur,elegit actum fortitudinis, & ita eligendo mortẽ eligit breuem vitam virtuoſam, ſcilicet cũ actu fortitudinis, qui vero eligit peccatum, eligit longiorem vitam vitioſam,& reddit ſe per lõgiorem vitam priuatum actu virtuoſo.quòd autem eſt minus malum,eligere vitam virtuoſam & breuem an longiorem vitioſam?certe ſatius eſt eligere vitam breuẽ virtuoſam. non ergo verum eſt,quòd tu probas,ꝙ maius malum ſit eligere mortem,quàm peccatum. imo declaraui eſſe è contra, longe enim præſtãtior eſt breuis vita virtuoſa,quàm longa vitioſa.erat tertia dubitatio diui Auguſtini, quoniam ex quo philoſophi nõ ponunt aliũ ſtatum, quæritur an ſapiens cum eligat mortem,an eligat quia velit,an nolit, an quia nec velit nec nolit, & qualitercunque dixeris, probaui ſapientem non poſſe recte eligere mortem.dico,ꝙ ſapiens eligit mortem nec volens nec nolens per ſe, quia actus voluntatis non cadit ſupra mortem per ſe, quia ipſa non habet rationẽ appetibilis,eligit autem mortem volẽs,per accidens,quoniam vult,& eligit per ſe actum virtutis, ad quem accidit mors, & ipſum ſequitur: ideo per accidens vult mortem, quia per ſe vult actum virtutis, ex quo ſequitur mors. dicebas ergo fatuus eſt iſte,qui moritur nec volens nec nolens, quia non curat de maximo bono ſuo ſeruando, nec de maximo malo ſuo fugiendo.dico,ꝙ non eſt verum,nec hoc ſequitur, immo ſequitur quòd curat de maximo ſuo bono, quia curat de vita breui cum actu virtutis, quare nõ recte infertes. Dicebas quarto ex Ariſtotele, eſt contra leges quod quis ſeipſum interimat, ideo carere debet ſepultura. Dico, non propter hoc ſeipſum interimit ſapiens, etſi potius eligat mori, quàm peccare,quia eligit vt ab alijs interimatur, & præbet ſe alijs interficiendum. ideo talis non eſt priuandus ſepultura, ſed dignus eſt vt magnis honoribus extollatur. iõ quod vltimo dicis, ꝙ ſecundum philoſophos non eſt alius ſtatus: ergo ſapienti potius nõ eſt moriendum, quàm peccandum. nego argumẽtum.at, propter quid eligi poteſt mori ſi non ſit ſpes melioris vitæ.Dico,ꝙ eligit actum volũtatis,at non præmiatur de iſto actu:quia non eſt alius ſtatus, nego,quia præmiatur in hoc ſtatu & in hoc ſtatu capit delectationem de illo actu virtuoſo vnde dicitur,oderũt peccare boni virtutis amore.oderunt peccare mali formidine pœnæ.itaque ergo boni nolunt peccare & virtuoſe operantur ſecundum philoſophos, non quòd ſperent ſe conſecuturos præmium in alia vita ſed in præſenti ſtatu, quia ille actus virtutis eſt ſibi ipſis prẽmiũ, vti iam diximus. Eſt vltima dubitatio principalis circa proœmium Auerrois de ordine doctrinæ,quia Auerroes enumerat multa inſtrumẽta, quibus mediantibus acquiritur doctrina, & enumerat triplex genus demonſtrationis.ſed eſt dubitatio quia non videtur, quòd Auerr.enumeret omnia inſtrumenta,quia omittit ſyllogiſmum hypotheticum,de quo fecit Ariſtoteles mentionem primo Phyſicorum, eoque vtitur & in ſecundo Phyſicorũ. ſicut enim erat duplex propoſitio hypothetica, ſcilicet conditionalis, & diſiũctiua, ita non eſt duplex ſyllogiſmus hypotheticus ſcilicet conditionalis & diſiunctiuus.at dices, illi alij logici ponũt,tres propoſitiones hypotheticas, vt Paulus Venetus, & alij. connumerant enim copulatiuam inter cõditionales: faciunt imperite: quia copulatiua non eſt hypothetica, & tantum eſt duplex propoſitio hypothetica, ſcilicet conditionalis & diſiunctiua.at dices,neque eſt hypothetica,verum etiam neque eſt categorica.& Ariſtoteles non ita diuiſit propoſitiones, ſicuti faciunt iſti. in primo enim Perihermenias Ariſtoteles diuiſit propoſitionẽ in vnã,& plures: deinde vnam in vnam ſimpliciter, & eſt categorica, & cõiunctione vna: & ſunt tres,conditionalis,diſiunctiua, & copulatiua.& ita copulatiua propoſitio eſt coniunctione vna, & non eſt neque categorica, neq; hypothetica. ita enim Boetius in ſuo libro de ſyllogiſmo hypothetico non enumerauit, niſi duas propoſitiones hypotheticas,& dimiſit copulatiuam.dubitatur ergo cur Auerroes enumerans inſtrumenta doctrinæ taceat ſyllogiſmum hypotheticum;cum tamen eo ſępiſsime vtatur Ariſtoteles ad confirmandum per ſe nota, & vtitur eo Ariſtoteles infra, cũ velit nobis declarare hoc principium, quòd natura eſt principium motus,& quietis.Secundo dubitatur: quia inquit Auerroes, ꝙ philoſophus naturalis ſæpiſsime vtitur demõſtratione ſigni; rariſsime vero demonſtratione cauſæ: ergo rariſsime ſciet, cum ſcire ſit per cauſam: ergo philoſophus naturalis improprie ſciet, & per accidens: ergo nullam ſcientiam veram acquiret. quod non eſt dicendũ.Dico de primo,quòd Auerroes reuera omiſit ſyllogiſmum hypotheticum ſpecialiter, ſed comprehendit ipſum ſub inductione: quia ſicut inductio non demonſtrat, ſed ea vtitur philoſophus ad confirmãda ea,quæ clara ſunt, ita etiam vtitur ſyllogiſmo hypothetico.& ſyllogiſmus hypotheticus eſt duplex, ſcilicet ſyllogiſmus hypotheticus,potentia categoricus,id eſt qui cõſtat ex vna propoſitione hypothetica per ſe nota,alia non,quæ indiget, vt probetur ſyllogiſmo categorico. ſyllogiſmus ille,qui conſtat ex duabus propoſitionibus.is eſt ſyllogiſmus potẽtia categoricus hypotheticus, & eſt, quo vtitur Ariſtoteles ſecundo huius libri.naturalia differũt ab artificialibus: quia naturalia habẽt in ſe principium motus,& quietis:artificialia non, tunc natura eſt principium motus, & quietis, ſed propter hoc differunt: ergo,&c. Ecce quòd in hoc ſyllogiſmo eſt minor propoſitio categorica, quæ indiget ſyllogiſmo categorico, vt probetur: manifeſta eſt maior. alius ſyllogiſmus eſt hypotheticus ex duplicibus propoſitionibus, hypotheticus,& hic appellatur ſyllogiſmus hypotheticus per nomẽ,ſed qualitercunque ſit comprehenditur ſub inductione: quia ſicut inductio non probat,ſed declarat quædam, quaſi manifeſta,vt principia,ita iſti ſyllogiſmi non probant,ſed declarãt vt inductio. ideo recte Auerroes comprehendit ipſum ſyllogiſmum hypotheticum ſub inductione: quia nota confirmat,non probat.De ſecundo:quia ex quo inquit Auerr.ꝙ philoſophus naturalis ſæpeſsime vtitur demonſtratione ſigni:rariſsime autem demonſtratione cauſæ, & propter ſe, ſpie ergo philoſophus naturalis rariſsime ſciet:quia ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere. & quoniam illius eſt cauſa.Dico,ꝙ habetur ex Ariſto.primo Poſt.quòd duplex eſt genus demonſtrationis.eſt vna demonſtratio oſtenſiua:alia ad impoſsibile.Oſtenſiua eſt, quando verum ex varijs præmiſsis

conclu-

concluditur. ad impoſsibile vero eſt quādo ex oppoſito cōcluſionis cum altera præmiſſarum inſertur oppoſitum alterius præmiſſæ. Oſtenſiua demonſtratio ad huc duplex eſt: vna eſt, quando arguitur ab effectu in effectum: altera vero cum demonſtratur ab effectu in cauſam. ſi arguitur ab effectu in effectum, hæc appellatur demonſtratio: cum ſcilicet demonſtratur paſsio de paſsione, vt paſsio poſterior demōſtratur ex paſsione priori; vt ſi demonſtretur, quòd homo ſit diſciplinabilis. ex riſibilitate autem eius hæc demonſtratio eſt ab effectu in effectum: quoniá alter non alterius cauſa eſt. vna.n. paſsio nō eſt cauſa alterius, vt credidit Egidius ſed ſicut ambæ paſsiones fundantur in ſubiecto, ita æqualiter dependent, & cauſantur à ſubiecto; & non vna paſsio eſt cauſa eſſendi alterius, ſed eſt eadem cauſa ambarum, ſcilicet ſubiectum, & iſti effectus ſe conſequūtur ordine quodam. Alia eſt demonſtratio, quando arguitur ab effectu in cauſam. & hoc poteſt eſſe bifariam: quia aut effectus eſt cōuertibilis cum cauſa, aut non: ſi non ſit conuertibilis cum cauſa, tunc ille modus arguendi non eſt demonſtratio, ſed coniectura quędam. vt ſi dicas, mulier languet, & pallet: ergo peperit. hic effectus non conuertitur cū cauſa. ideo, quando ab ipſo tali effectu ad cauſam arguitur, non eſt demonſtratio, ſed coniectura quædam. ſi vero effectus eſt conuertibilis cum cauſa, tunc hic modus arguendi eſt demonſtratio ſigni: vt ſi dicamus, luna eclipſatur: ergo terra eſt interpoſita inter ſolem & lunam. Alia eſt demonſtratio è cōtra; vt diximus, cum argumentatur, à cauſa in effectum: & hęc etiam eſt bifariā: quia vel procedimus à cauſa proxima vel remota in ipſum cauſatum. ſi procedimus à cauſa remota, tunc iterum eſt demonſtratio: ſi autem procedimus à cauſa proxima in cauſatum; hæc eſt demonſtratio propriedicta: & hoc eſt quod dicit Auerroes, quòd demōſtrationum alia eſt à ſigno, vt cum argumētamur ab effectu in cauſam: alia eſt demonſtratio cauſę, quę dat cauſam tantum: alia eſt demonſtratio ſimpliciter, quæ dat cauſam, & eſſe; ſicut dedi vobis exemplum alia die. ſiquis viderit lunam eclipſari; & ſuperueniat Aſtrologus, qui dicat, Nunc terra interponitur inter ſolem & lunam: ergo luna eclipſatur. hæc eſt demonſtratio cauſæ tantum: quia ille ſciebat effectum eſſe, ſcilicet lunam eclipſari. ſi vero non viderit lunam eclipſatam, & eodem modo ſuperueniat Aſtrologus, adducens eandem rationem; tunc illa erit demonſtratio ſimpliciter: quia dat cauſam, & eſſe effectus: quia ille prius neſciebat lunam eclipſari. hæc tum duo genera demonſtrationū ex parte rei ſunt eadem apud Ariſtotelem; ſolum differunt ex parte noſtri, & accidentaliter; quia accidit, ꝙ hic viderit lunam eclipſari, antequàm ſuperueniat Aſtrologus; aliter non. ſolum ergo ex parte noſtri eſt hic diuerſitas: quia quantum eſt ex parte demonſtrationis, omnis demonſtratio dicens propter quid, dicit etiam eſſe, quod, etſi aliquando non deceat eſſe, hoc eſt accidentaliter, vt diximus. nihil minus Ariſtoteles etiá, primo Poſteriorum, quoquo modo fecit mentionem de hoc genere demonſtrationis, ſcilicet cauſæ tantū. non enim omnino eum prætermiſit. inquit enim, illa demonſtratio, quæ ſimul duo facit ſcire, ſcilicet & quia eſt, & propter quid eſt, eſt certior ea, quæ facit ſcire tantum quid. & ſecundo Poſteriorum dicit multoties nos ſcientes, quia eſt quęrimus propter quid. & ita aliquo pacto Ariſtoteles meminit huius generis demōſtrationis. quod ſi fortaſſe omiſit facere mentionem de hac diuiſione ſpecialiter, eſt propter iam dictam cauſam: quia hæ duæ demonſtrationes re nō differunt, ſed tantum ex parte noſtri & per accidens. neque tamen propter hoc reprehendendus eſt Ariſto. ſicut fecit diuus Thomas. eas enim poſuit Ariſtoteles, nec omnino eas prętermiſit. Ad argumentum. quia arguitur quia philoſophus naturalis rariſsime vtitur demonſtratione ſimpliciter, ſæpiſsime demonſtratione ſigni: ergo philoſophus rariſsime ſcit; quia ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere. ſolus enim ſyllogiſmus à cauſa, & à cauſa proxime facit ſcire. Dico, quòd nō ſequitur: & ſi philoſophus naturalis ſæpiſsime vtitur demōſtratione ſigni; non tamē rariſsime, immo ſemper ſcit. & ratio eſt. quia ibi non ſiſtit, ſed poſtquam eſt argumentatus ab effectu in cauſam, reuertitur à cauſa in cauſatū, & ſic ex iſto ſecundo proceſſu acquirit ſcientiam: quia poſtquam ex effectu inuenerit cauſam: reuertitur à cauſa ad effectum, & facit ſcire propter quid ipſius effectus. ſed tu dicis, cauſa, & effectus ſūt correlatiua: & correlatiua ſunt ſimul natura; quia & ſimul nota: ergo cauſa & effectus ſunt ſimul nota: & ita ex primo proceſſu apprehēditur effectus, & cauſa, id eſt effectum eſſe & cauſam eſſe, & cauſam hanc eſſe huius effectus cauſam applicamus in primo proceſſu: quia correlatiua ſunt: & correlatiua eodem tempore cognoſcūtur: & vno cognito, cognoſcitur & reliquum. ſi ergo ex primo proceſſu cognoſcitur effectus; cognoſcitur etiam cauſa: ſuperfluit ergo iſte regreſſus, quem tu ponis, ſcilicet iſte duplex proceſſus. ſecundo non videtur, ꝙ ſit ponendus iſte duplex proceſſus: quia ſic idem erit notius, & ignotius reſpectu eiuſdē, quia in primo proceſſu effectus erit notior cauſa: in ſecundo vero proceſſu erit ignotior. immò quod plus eſt, idē dependebit à ſeipſo: quia in proceſſu primo cognitio cauſę depēdet ab effectu: item in ſecundo effectus cognoſcitur per cauſam; & ita ab ipſa dependet: ergo à primu ad vltimū effectus ad effectum in cognitione dependet. Propter has difficultates inuenti ſunt duo modi dicendi: vnus eſt latinorum, vt diui Thomæ: quòd quidem datur iſte duplex proceſſus, à cauſa in effectum poſt primum, ſed non immediate poſt ipſum primum: quia ſic ſequerentur argumenta: ita ergo nō licet ſtatim reuerti, & immediate, inquit D. Thomas: ſed oppoſitum prius, vt venētur quandam maiorem notitiam de ipſa cauſa quàm fuerit illa, quā habuimus ex effectu: & venamur hāc maiorem notitiam de ipſa cauſa per alia media, quàm per effectum. qua notitia iuncta, habet poſt modum argumentari à cauſa ſuper effectum; & ſic acquirimus ſciētiam: & ſic non ſequitur, quòd idem ſit notius, & ignotius reſpectu eiuſdem: quia in primo proceſſu nō habet tantam notitiam cauſæ; ſicut poſtea per alia media acquiſita eſt ſibi. Sed, iudicio meo, hæc. opinio diui Thomæ valde peccat. primo, quia Ariſtoteles octauo Phyſicorū immediate reuertitur à cauſa ſuper effectum abſque hoc, quòd venetur maiorem notitiam cauſæ ex alijs medijs, quàm habebat ex effectu. arguit enim: primus motus ęternus: ergo primus motor æternus. deinde ſtatim reuertitur, & imediate: primus motor æternus eſt: ergo primus motus æternus: nulla facta indagatione maioris notitiæ cauſæ, quàm prius habuerit ex effectu. Item etiam ſecundo cœli vſus eſt Ariſtoteles regreſſu, vt anno ſuperiori vobis annotaui ex Simplicio, & eodē modo quare quęrimus illam inquiſitionem mediam; an, vt cauſa ſit ſimpliciter, an cauſa, & effectus nō vt cauſa ſit: quia ex primo proceſſu ſcimus, ꝙ cauſa ſit ſimpliciter, & non ſiſtit, primus progreſſus, nec etiā cauſam eſſe: ergo ſuperfluit alia intermedia inquiſitio, ſecundo quia media inquiſitio intendit aliam notionē, cauſæ diuerſam ſpecie à prima: quia ſi media differt ſpecie, & notiones differunt ſpecie: quia inquiſitio media intendit notionem ſuam, & non illam primi progreſſus. dico ergo quòd illi duo proceſſus fiunt in eodē inſtanti. itaque in primo proceſſu in eodem inſtanti ſuorum effectuum: quia & cauſa effectus bene prior origine eſt cauſa, quàm effectus; ſed natura ſunt ſimul. Ex ſecundo proceſ-

ſu,nedum ſcio effectum, quia:ſed etiam propter quid effectus. Eſt etiam ratio contra D. Thomam: quia ipſe inquit, quòd poſt primũ proceſſum requiritur maior inquiſitio,& indagatio notitiæ cauſæ ad hoc, vt poſsimus reuerti ſuper effectum,& ipſa cauſa fiat nobis notior. Quęritur modo,an hæc inquiſitio ſit neceſſaria.vel, vt cauſa ipſa ſit magis nota,quàm ſit ſimpliciter: vel quoad, vt ſciamus magis ipſam eſſe non ſimpliciter, ſed ipſã eſſe cauſam huius effectus: ſed neutrum horum dici poteſt:ergo nulla inquiſitio neceſſaria eſt.ꝙ vero ita ſit,patet:quia in proceſſu vtrũq; habemus ſufficienter.ex primo enim proceſſu ſcimus cauſam ipſam ſimpliciter:ex ſecundo vero proceſſu nedum ſcio effectũ, quia ſed etiam propter quid effectus.cum dicis idem eſſe notius, & ignotius non inconuenit, quo ad diuerſam notitiam:quia effectus eſt notior, quo ad quia eſt.in ſecundo proceſſu cauſa eſt notior quoad propter quid.cum dicis, idem dependet à ſemetipſo. Dico, ꝙ non ſequitur: quia ex notitia effectus dependet cognitio cauſæ, quo ad quia eſt: ex notitia cauſæ dependet notitia effectus, quo ad propter quid effectus. & ita notitia effectus, quo ad quia dependet à ſeipſo, quo ad quid eſt cauſa, non inconuenit hoc;ſed eſſet inconueniens. quòd idem dependeret à ſeipſo, quo ad eandem notitiam. ſequitur textus primus.

LECTIO DECIMATERTIA.

QVONIAM quidem intelligere, & ſcire contingit circa omnes ſciẽtias,&c. Iſti textus ſunt difficillimi, & à diuerſis expoſitoribus diuerſimode exponũtur: nihilominus,ſi bene aduertatis ego claram vobis expoſitionem tradam. Ariſt.ergo in his primis verbis intendit tradere nobis intentionem, & ſcopum huius libri Phyſicorum. Aliqui tamen expoſitorũ dubitarunt,an hoc procemium ſit procemiũ totius philoſophiæ natrualis:an potius libri tantum.quicquid tamen ſit ſatis nobis eſt,quòd Ariſt. in his primis verbis tradit nobis tantum intentionem præſentis libri Phyſicorũ,& inquit Ariſt. quòd philoſopho naturali dicendum eſt primo de principijs, intelligatis, id eſt de principijs communibus rerum naturalium. non enim in hoc libro habentur propria,ſed communia principia,& accidentia communia: tota ergo intentio in hoc libro noſtro eſt tradere, inquit philoſophus, notitiam principiorũ communium, rerum naturalium. & probat Ariſtoteles propoſitum ſuum. non enim ſine ratione loquitur. nunc venio ad ſenſum literæ, in qua vtitur hoc modo arguendi. quæcunq; habent principia,&c. non cognoſcuntur niſi, ex horum cognitione:ſed res naturales habent principia:ergo non ſciuntur, niſi ex horum cognitione: ergo primo agendum eſt de principijs à nobis in philoſophia naturali: ſed primo agendum eſt à nobis de principijs primis:ergo de ipſis agendum eſt in hoc libro:quia hic liber eſt primus inter libros philoſophiæ naturalis.iſte eſt ſenſus huius literæ:ſed tantum poſuit maiorem propoſitionem, & probationem ipſius maioris:minorem vero,& concluſionem tacet: & ponit id,quod ſequitur ex concluſione,quod erat, primo:ergo agẽdum eſt à nobis de principijs communibus rerum naturalium. iſta eſt tota ſententia primorum verborum Ariſtotelis. quo vero ad verba attinet; hic ſunt myſteria: quia verba ſunt obſcura,& non poſſum non mirari de ſolertia & artificio, quo vſus eſt Ariſtoteles circa modum ſcribendi. nec tam miror de doctrina eius,ſicut de artificio, quod in ſcribendo obſeruauit. circa igitur verba eius inquit Ioãnes Grammaticus, hunc morem ſeruauit Ariſtoteles,vt à quibuſdam dignitatibus & communitatibus faceret initiũ ſuorum librorum; veluti librorum Metaphy. à communitate quadam incepit. Quoniam,inquit, omnes homines natura ſcire deſiderant: ſignum autem eſt ſenſuum dilectio, &c. Idem fecit in libro Ethicorum inquiens,omnis ars,doctrinaque, ſimiliter autem actus,& electio bonum quoddã proſequi videtur,&c. Idem in libro.Poſt.in principio, omnis doctrina, & omnis diſciplina intellectiua fit ex pręexiſtenti cognitione,&c. Ita etiam hic Ariſtoteles(inquit Ioannes Grammaticus)in hoc libro à quadam dignitate initium facit, quod eſt huius libri,omnis ſcientia, quæ habet principia, vel cauſas, vel elementa,comprehenditur ex ipſorum cognitione. hãc dignitatẽ ſuam,vt diximus, probat Ariſtoteles inductione ſumpta ex communi hominum conſenſu, inquiens, tunc enim arbitramur vnumquodque cognoſcere, cum cauſas primas prima principia, & vſque ad prima elementa cognoſcimus. ita etiã inquit in primis ſuis verbis, Incipit Ariſtoteles hũc ſuum librum à cauſa, propter quàm fuit conſideratio huius ſcientiæ in cognitione cauſarum rerum naturalium, à qua iam incipitur. quid eſt illa cauſa? quid intelligit Auerroes illam cauſam? Dico, quòd intelligit per illam cauſam dignitatem: quia Ariſtoteles incepit ab illa dignitate: illa dignitas eſt cauſa, quare in philoſophia neceſſariũ ſit tradere prima principia rerum naturalium,id eſt illa,ſcilicet,quoniam intelligere eſt ſcire,&c. Addit Simplicius verbũ obſcurum; & inquit,quòd clarior erit dignitas illa Ariſtotelis,ſi ab ipſa demonſtramus illam coniunctionem cauſalem: quoniam, ſcilicet tunc clarior erit illa dignitas, inquit Simplicius. ſed tu dices,inquit Simplicius: cur ergo adiunxit Ariſtoteles illam coniunctionem cauſalem? Dico,dicit Simplicius, ideo Ariſt. adiecit illam notam, vt oſtenderet quod ſuus ſyllogiſmus non eſt categoricus, vel quod ſumpſit ſyllogiſmum ex forma categorica. ſyllogiſmus enim categoricus eſt, qui cõſtat ex propoſitionibus categoricis:ſyllogiſmus vero hypotheticus eſt,qui conſtat ex altera præmiſſarum hypothetica,&c. adiecit ergo Ariſt. illam notam cauſalem, in loco notæ conditionalis, vt conſtitueret ſuum ſyllogiſmum ex altera pręmiſſarum hypothetica:& docet nos ſyllogiſmũ ſuum eſſe hypotheticum,& non categoricum. Sed tu dices,litem lite ſoluis;quoniam dicis, ꝙ adiecit notã cauſalem loco notæ conditionalis, vt doceret ſuum ſyllogiſmum eſſe hypotheticum: ſed cur permutauit notam conditionalem in cauſalem? nanque ita etiam docuiſſet, ſyllogiſmum eſſe hypotheticum per notam cõditionalem. Dico,dicit Simplicius, & hic bene aduertatis;quoniam optime dicit Simplicius,& à nullo alio expoſitore vidi hanc declarationẽ,præterquam à Simplicio; qui etiam tertio cœli ad principium tangit hãc difficultatem:inquit ergo Simplicius,ideo Ariſtoteles permutauit notam conditionalẽ in notam cauſalem, vt demonſtraret neceſsitatem antecedentis, & per conſequens totam rationem neceſſariam: quia nota conditionalis non ſignificat nobis veritatem propoſitionum,ſcilicet antecedentis,& conſequentis: ſed ſolum neceſsitatem illationis. vt ſi dicam ſi homo volat, homo habet alas. hæc illatio neceſſaria eſt propoſitiones tamen falſæ ſunt. ſimiliter ſi dicam, in nocte ſi ſol eſt,ſuper terrã dies eſt, illatio neceſſaria eſt:tamen nulla illarum propoſitionum vera exiſtit: quia falſum eſt,quòd ſit ſol ſuper terram; quia nox eſt:& falſum, quòd dies eſt, per eandem rationem;illa tamẽ eſt neceſſaria: quia ergo ex nota conditionis tantum habetur neceſsitas illationis; non autem antecedentis,nec conſequentis. & in demonſtratione Ariſtotelis,non tantum eſt neceſsitas illationis,ſed & neceſsitas propoſitionũ, ſcilicet neceſsitas antecedentis & conſequentis,quare vt Ariſto.hoc oſtenderet nobis rationabi-

liter

liter, vſus eſt nota cauſali, quæ non tantum ponit neceſsitatem illationis, ſed & neceſsitatem propoſitionis & illationis. ſi enim diximus, quoniã ſi ſol eſt ſuper terram, dies eſt: hic eſt neceſsitas illationis, & neceſsitas antecedentis, & cõſequentis: & nedum hic eſt horum neceſsitas, ſed manifeſta neceſsitas, & veritas eorum. & ita, vt tota oſtenſio ſit, requiritur veritas antecedentis, & conſequentis, & manifeſta neceſsitas vtriuſque, & non ſicut hypothetica conditionalis, quæ nihil plus vult, quàm quòd illatio ſit neceſſaria. & ita tantum ponit neceſsitatem illationis. cauſalis vero non tantum ponit neceſsitatem illationis, ſed & veritatem, & manifeſtam veritatem antecedentis, & conſequentis. & ideo colligatis cõtra logicaſtros, vt Pau. Venetum, & alios, quod cauſalis propoſitio eſt hypothetica, & non categorica quia æquiualet conditionali. colligatis etiam, ꝙ aliqua conditionalis ponit ineſſe: quia cõditio aliqua ęquiualet cauſali propoſitioni, quæ ponit ineſſe, quia ponit veritatem & antecedentis, & conſequentis, & manifeſtam vt diximus nedum illationis tantum, vt conditionalis; ad cuius neceſsitatẽ non requiritur veritas manifeſta antecedentis, & conſequentis: ſed tantum illationis ſecundum Simplicium. igitur aliqua conditionalis ponit ineſſe, ſcilicet in qua eſt nota cauſalis. & ratio eſt quo modo diximus. Secundo in textu inquit Ariſtoteles, Quoniam quidem noſſe & ſcire, dupliciter exponuntur hæc verba, vno modo, inquit Simplicius, auctoritate Platonis in Phedone, quidam exponunt, ꝙ ſint ſynonima, & idem important, ꝙ eodem modo vſus eſt Plato ipſis, & ſic Ariſtoteles vtitur ſynonimis. ſynonima ponuntur gratia ornatus, quod non quæritur in ſcientijs. ideo, vt dicit Auerroes, in ſcientijs non eſt vtendum nominibus ſynonimis: & inquit, quia philoſophus ipſe debet imitari naturam, ſed ipſa natura, quod æque benefacere paucioribus poteſt, ad id agendum non vtitur pluribus, non vtitur pluribus: ergo eodẽ modo debet facere philoſophus. fruſtra fit per plura quod per pauciora; ſcilicet æque bene facere poteſt, &c. aliter exponit Simplicius ideo hæc verba, quòd Ariſtoteles vſus eſt his duobus nominibus; vno tamen ſicut genus, altero vero, vt ſpecies: quia magis ſe limitat: quia notitia eſt, quaſi genus ſcientiæ. dixit ergo noſſe & ſcire, id eſt, notitia, quę eſt ſcientia, ſicut ſi diceremus animal homo, id eſt animal, qui eſt homo. inquit ergo Ariſtoteles, quoniam noſſe & ſcire, id eſt quoniam notitia, quæ eſt ſcientia habens principia, cauſas, & elementa, non habetur niſi ex horum comprehenſione, ideo, &c. Sed tu dices, quia Ariſtoteles limitauit ſe ad ſcientiam, & nõ dixit potius ſimpliciter quoniam omnis notitia habens principia & etiam non cognoſcitur niſi horum cognitione, &c. Dico, propter hoc, quia propoſitio tunc eſſet falſa. Non enim verum eſt, quòd omnis notitia, quæ habet principia, cauſas, & etiam non poſsit apprehendi, niſi ex apprehẽſione principiorum, & cauſarum, vnde inquit Galenus, fatuus eſt ille, qui poteſt habere notitiã alicuius ex ſenſu, & quærat rationem. & quoniam aliqui textus habent literam hoc pacto, id eſt quoniam quidem noſſe & ſcire cõtingit circa omnes methodos. ideo Ioãnes Grammaticus exponit, quid ſit methodus: & nihil aliud eſt, ꝗ quidem habitus, qui viam præſtat cum ratione cuique quo ad aliquas ſcientias vel artes capeſcendas promouetur. ſed quia obſcura ſunt hæc verba Ioannes Grammatici, clariora habentur ab Auerroe. & ideo clarius exponit, & inquit, quòd per methodum generaliter intelligimus omnem diſciplinam, & artem totalem, compendioſam, quibus comprehendimus totam artem, vel diſciplinam: quia omnis diſciplina ex principijs primis per immediate peruenit ad concluſiones: & totus ille proceſſus à principijs per media ad concluſiones vocatur methodus: & per methodum intellexit omnes artes ac ſcientias. ideo, &c.

LECTIO DECIMAQVARTA.

REMANSIT illa particula textus, ſcilicet quarum principia, cauſæ, & elementa declaranda. tribus nominibus enim Ariſt. ſpecificauit nobis ſubiectũ illius dignitatis aſſumptę. ſ. quoniã quidem intelligere, & ſcire contingit circa omnes methodos, quarum ſunt principia, cauſæ, aut elementa. inculcauit hæc tria nomina in illa maiore; & per hęc tria nomina ſpecificauit Ariſtoteles quatuor genera cauſarum, ſcilicet efficiens, formam, materiam, & finem. quod autẽ genus cauſarum ſpeciale intelligat Ariſtoteles, ac nobis denotet per illa tria nomina, diuerſi ſunt expoſitores. Alexander enim ſecutus eſt Eudemũ, inquit Simplicius, dicit, quòd Ariſtoteles nomine principiorum denotauit cauſam efficientem: per cauſam autem intendit cauſam finalem: & quia huic coincidit forma, ideo etiam ſub ratione cauſæ comprehendit cauſam formalem: per elementa autem ſpecificat cauſam materialem. ſed Alexãdro obijcit Simplicius, ꝙ Ariſtoteles, quinto Metaphyſices definiens elementa dixit, quòd elementum eſt id, ex quo aliquid fit, cum inſit: ſed res, nedum ex materia, ſed ex forma fit. ergo ita forma eſt elemẽtum, ſicut materia. ergo per elementum non tantum cauſam materialem, ſed & cauſam formalem nobis denotauit Ariſtote. ſed, pace Simplicij, mihi videtur, quòd non recte improbet Alexandrum: & ſit recta opinio Alexandri: quia quinto Metaphyſices, ad finem in vltimis verbis Ariſtotelis expreſſe dicit, ꝙ nomen elementi ſolum materiæ conuenit: & inquit Ariſtoteles, ꝙ tota natura, quæ dicitur forma, eſt ſubſtantia addita elemento, cum ſit neq; elementum, neque ex elemento. elementum enim, inquit Ariſtoteles, eſt illud, in quo reſoluitur res, & in re quaſi materia fit. res ex elemento in ipſam materiam reſoluitur: primo autem corrumpitur forma. ſicut enim res vere reſoluitur in materiam, ita vere fit ex ipſa, & inde illa eſt vere elementum: quare minime increpandus eſt Alexander. Ideo Simplicius ponit ſecundã opinionem de hoc, quæ eſt Porphyrij; inquit Porphyrius, quòd Ariſtoteles nomine principij & cauſæ idem intellexit: quia principium & cauſa cõuertuntur. quicquid enim eſt principium: eſt cauſa: & econtra ſola ratione differunt: quia illud dicitur principium, quatenus principium eſt aliquid: vero dicitur cauſa, non quatenus cauſa eſt, ſi quatenus illi alterum ſubſequitur: ꝙ vero hæc conuertantur inuicem, probat Porphyrius: quia quot modis dicitur materia, tot modis dicitur cauſa. nam ex quo aliquid fit, dicitur materia: per quod autem, fit dicitur forma: à quo fit, dicitur efficiens: gratia cuius, dicitur finis. ita etiam de cauſa: quia iam ex quo fit aliquid, eſt materia: per quam forma, à qua efficiens gratia cuius finis dicitur. Conuertuntur ergo principium & cauſa, ac idem ſignificant, inquit Porphyrius. in propoſito autem per hæc duo nomina Ariſtoteles intendit cauſas externas, inquit ipſe, ſcilicet efficientem & finem: iſtæ ſunt duæ cauſæ extrinſecæ rei: quia ipſam non ingrediuntur. Nomine autem elementi intelligit duo genera cauſarum intrinſecarum, ſcilicet formam, & materiã, & ita per hæc tria nomina comprehendit quatuor genera cauſarum. & inquit Ioannes Grãmaticus, differt Plato ab Ariſtotele, quia Plato poſuit ſex genera cauſarum. addit enim exemplarem, & inſtrumentariam. Plato enim ponit, quòd in mente diuina ſint ſimulacra omnium rerum, ſicut domificator habet ſimulacrum domus fiendę in men

te ſua: notiones igitur illas in mēte diuina appellat Plato cauſam exemplarem: quia ſunt exemplar rerū producēdarum. res enim quas producit Deus, facit ad ſimilitudinē illarum notionum. poſuit etiam Plato cauſam inſtrumentariam, per quam fiunt res ad ſimilitudinē exemplaris, quod eſt in mēte diuina, ſicut in rebus artificialibus inſtrumentum, quod mouetur, ab artifice ad producendum aliquod opus ſecundum ſimilitudinem exemplaris, quod habet in mēte ſua artifex, dicitur inſtrumentum; vt faber vtitur ſerra ad fabricādum ſcānum. ſerra ipſa dicitur inſtrumentum, quod mouetur ab artifice ad perducendum opus, ſcilicet ſcamnum ipſum ad ſimilitudinem exemplaris, quod eſt in artificis mēte. ſicut etiam cauſæ ſublunares, vt ſemen, dicuntur cauſæ inſtrumentales, & ſecundariæ: quia, ipſis mediantibus, primus artifex producit cunctas res ſecūdum exemplar, quod habet in mēte. ita, inquit Plato, inſtrumentū illud quo Deus vtitur ad producendas res in eſſe, cauſa inſtrumentaria dicitur. & iſtæ ſunt cauſæ omnes ſecundæ à prima cauſa. Deus enim, vt prima cauſa, producit per ſecundas cauſas, & operatur in his inferioribus tanquam per inſtrumenta. Ariſt. autem fuit contentus tantū quatuor generibus cauſarum, qui inſtrumentalem, & exemplarem cauſam, vt naturalis philoſophus, omiſit, inquit Ioannes Grammaticus: & ratio, quia apud ipſum cauſæ ſecūdariæ ſine cognitione, & ſciētia producunt ſuos effectus: nō ergo ad ſimilitudinē alicuius exemplaris, nihil ad exemplar alicuius natura producit: ſicut virtus actiua ſeminis producit animal, ac operatur abſque alicuius ſimilitudine: quia operatur ſine cognitione, vnde nō cognoſcit exemplar. an vero iſtud exemplar omniū rerum ſit in mente diuina, vel ne, alias dicemus, cum de prouidentia diuina loquemur. Ariſtoteles breuiter ſecūdo Metaphyſices ponit opinionem ſuam. inquit enim, ꝙ Deus in conſideratione horum inferiorum vileſceret, & ſibi detraheret: & ideo dixit, melius eſt Deum non noſſe quædam, quā hęc noſſe: negauit igitur Ariſtoteles cauſam exemplarem: negauit etiam cauſam inſtrumentalem: quia cauſæ ſecundariæ non operantur ad exemplar alicuius. natura enim nō habet cognitionem ſui effectus, ſed eſt vita quædam ſine cognitione operans: vnde iſtæ cauſæ ſecundariæ poſſunt dici, primę ſecundū Ariſtotelem, in ſuo genere. etſi Ariſtoteles etiam ipſe quinto Phyſicorum omnes cauſas ſecundas appellauię inſtrumentales: quia non operantur, niſi concurrente prima cauſa: quia tamen non recipiunt actionē ſuam à prima cauſa, etſi ſine prima cauſa operari nō poſſunt, ſicut inſtrumentum artificis recipit actionem ab artifice, ideo improprie dicuntur inſtrumentales: & improprie eas Ariſtoteles ſic nominauit. exponit ergo Porphyrius illa tertia nomina, ꝙ principia & cauſas intellexit duo genera cauſarum extrinſeca per elementa autem duo genera extrinſeca, ſcilicet materiam & formā. ſed rurſus obijcit Simplicius Porphyrio, & Alexan. & inquit quod hæc expoſitio Porphyrij falſa eſt: quia non eſt verū, ꝙ principiū & cauſa conuertantur: quia in plus ſe habet principium, quàm cauſa. quod patet ab Ariſtotele, quinto Metaphyſices ad principium in plus quàm cauſa: quia punctum eſt principiū lineæ: non tamen eſt cauſa lineæ: item pars animalis generalis & principiū, ſicut cor: non tamen eſt cauſa: immo & ipſum eſt pars animalis. Ita ſolum nauis eſt principium nauis, nō tamen ipſius cauſa. ſic de fundamentis domus. ſic non eſt verum quod iſte dicit. ſecundo ꝙ etiam cauſa & principium non conuertantur. probatur: quia omnis cauſa, quatenus cauſa eſt, præcedit rem, cuius eſt cauſa: principiū vero, quà principium eſt, non precedit omne id, cuius eſt principium. ergo, &c. Quòd cauſa præcedat, patet: quia cauſa præſupponit ordinem naturæ: ordo vero naturæ ſic ſe habet, vt cauſa ad cauſatum. quod vero nō omne principiū præcedat id, cuius eſt principium, probat: quia punctum eſt principium lineæ: non tamen ſimul cauſa præcedit, ſed ſimul eſt cum linea. Ita cor animalis eſt principium generationis animalis: non tamen præcedit animalis generationem: ſed eſt pars generationis. Alexandro autem obijcit Simplicius: quia dicebat Alexander, quòd nomine principij Ariſtoteles intendebat cauſam efficientem. inquit Simplicius, rectius dixiſſet Alexander: ſi nomine principij expoſuiſſet Ariſtotelem intelligere cauſam finalem. & probat Simplicius: quia omnis cauſa eſt principium: (de ratione enim eſt, vt ſit principium) ergo cauſa, quæ eſt potiſsima, eo magis eſt principium, ſed finis & principium cauſarum: ergo finis maxime eſt principium: ergo Ariſtoteles nomine principij, inquit Simplicius, magis intendit cauſam finalem, quàm cauſam efficientem. Sed hoc, quod dicit Simplicius aduerſus illos, nihil eſt, & miror de Simplicio hic in parua intellectione dictorum Ariſtotelis: quia inquit Porphyrius, quod principium, & cauſa inuicem conuertūtur, nec in plus eſt principium quàm cauſa. inquit enim Ariſtoteles quarto Metaphyſi. 3. cauſa & principium conſequuntur ſe inuicem, ſicut ens, & vnum conuertibiliter conuertuntur: ergo principium & cauſa. At tu dicis, ergo ſibi repugnat Ariſtoteles: quia quinto inquit, quòd principium in plus ſe habet, quàm cauſa, & punctum eſt principium lineæ, non cauſa. Dico, ꝙ Ariſtoteles ſoluit hanc difficultatem, & apparentem contradictionem. dicit enim ꝙ termini aliquando pro diuerſa ſignificatione ſumi poſſunt. ideo etiam principium, inquit, ipſum cum ipſa cōuertetur. habent enim hi termini varias ſignificationes: punctū enim in linea aliquando nominabitur principium: aliquando ipſa cauſa erit principium. ita ꝙ cōuertetur, &c. Quod etiam arguit Simplicius contra Alexandrum, ꝙ rectius expoſuiſſet, ſi dixiſſet nomine principij Ariſt. intellexiſſe finem & non efficiens: quia omnis cauſa, quà cauſa, eſt principium: ergo omnis cauſa, quà magis cauſa, erit etiam magis principium. Dico, hoc nō ſequitur, vt omnis cauſa, quà magis cauſa, ſit magis principium: quia appellatione cauſę, & de ratione ſua qua cauſa eſt, vt præcedat in cauſando. ideo illa erit magis cauſa, quę magis præcedit: non autem, vt ſit principium, ſed finis, præcedit omnes alias cauſas: quia efficiens mouetur à fine; mox autem formam propter finem ad materiam: prima ergo earū eſt finis: ergo finis eſt maxime cauſa iſte eſt ordo naturæ: ſicut ignis mouetur ad producendum alium ignem, à quo? à fine, vt ſcilicet producat ſibi ſimile in ſpecie. quia ergo de ratione cauſæ eſt pręcedere, ideo finis, qui pręcedit, eſt maxime cauſa. cum dicis ergo finis, debet nominari nomine principij; dico, propter hoc non ſequitur, ꝙ finis ſit nominandus nomine principij, immo improprie appellaretur principiū: quia de ratione principij eſt, vt ſubſiſtat, vt ſcilicet ſit res & cauſa in ſubſiſtendo eſt efficiens ipſum, quod primo ſubſiſtit, & in re eſt. nō dico, ꝙ ſit cauſa prima efficiens, ſed eſt prima in ſubſiſtēdo: quia præcedit alias formas ſubſiſtentes. ideo meretur nomē principij. finis autem nō meretur nomē principij: quia, licet finis ſit maxime cauſa, & ſit prior reliquis; nihilominus, quia non ſubſiſtit (non enim finis eſt in re, ſed ſolum in appetitu agentis naturalis: de ratione vero principij eſt, vt ſubſiſtat) ideo nō recte ſortitur nomen principij. quia principium eſt principium in ſubſiſtendo. nomen vero cauſæ maximè conuenit fini: quia eſt magis cauſa. cauſa enim, quà cauſa eſt, vt ſit prima in cauſando, vt finis eſt, &c. Ideo Simplicius dat duas alias expoſitiones, quarum primam ſequitur Ioannes Grammaticus. alterā Auerroes. prima expoſitio eſt, vt dicamus ꝙ Ariſto-

teles

teles per hæc tria nomina principia, cauſas, & elementa denotat nobis quatuor genera cauſarum. poſuit autem principium tanquam genus omnium cauſarum: quia principium eſt quædam cauſa ad omnes cauſas. per cauſam vero, & elementū ſpecificat illud genus, inquit Simplicius. & per cauſam intēdit duo alia interna, ſcilicet materiam, & formam. & hanc expoſitionem, ſicut dixi, ſequitur Ioānes Grammaticus, ipſamque probat, tum quia Ariſtoteles infra, hoc pacto vtitur nomine principij, per quoddā commune ad omnes cauſas, inquit enim generaliter loquēs de oībus principijs, neceſſario eſt vnū, aut plura pricipia eſſe. & paulo poſt, cum de materia, & forma egit, ſic inquit, vnum igitur principium, ſcilicet materia, & alterum cuius ratio forma, &c. quare, &c. ſecunda expoſitio Simplicij, cui adhæret Auerroes, eſt, vt nomine principij intendat Ariſtoteles cauſam efficientem, vt dicebat Alexander. videatis primo, reiecit opinionem Alexādri. vt ſupra: modo eam approbat. nomine vero cauſæ intendit cauſam finalem: per elementum vero cauſas internas, ſcilicet materialem, & formalē. ſed omnes hę expoſitiones defendi poſſunt. quia in ſententia idem dicunt, ſolum diſcordant de nominibus. omnes enim intendunt, ꝙ per hæc tertia nomina Ariſtoteles intēdat quatuor genera cauſarum. differentia vero in verbis parui mouenti. quare omnes verę ſunt, &c. Eſt etiam aduertendum in verbis Ariſtotelis, quando dicit, quarū ſunt principia, aut cauſę aut elementa. cur ita limitate loquitur Ariſtoteles, & non ſimpliciter dicit & abſolute? quoniam quidem intelligere, & ſcire cōtingit circa omnes methodos ex cognitione principiorum, &c. & non limitare, ſuam propoſitione dicendo, quarum ſunt principia, & &c. huius cauſam reddit Ioannes Grammaticus inquiens, ideo Ariſtotelem ita limitaſſe ſubiectum ſuę propoſitionis: quia aliquarum rerum habetur ſcientia ſine cognitione quatuor cauſarum. immo alicuius habetur ſciētia ſine aliqua cauſa, vt primi entis habetur ſciētia ſine cognitione alicuius cauſæ. primū enim ens nullam habet cauſam. & 12. Metaphyſices tradit Ariſtoteles ſcientiam primi entis: & tamen caret cauſa. ſecundo inquit Ioannes Grammaticus: & prima principia, quæ indemonſtrabilia ſunt, quibus reliqua demonſtramus ipſa, ſcimus ſine aliqua cauſa: & ipſa magis ſcimus quām concluſiones, quæ ex ipſis demonſtrantur. tamen hæc principia non habent cauſas, Addit Ioānes, ſicut eſt dialectica, & rhetorica: quia iſtæ ſunt ſcientiæ, & tamen nō habentur ex proprijs principijs: iſtæ enim peculiaribus principijs, non potiuntur, ſed alienis vtuntur: quia circa omnes ſcientias verſantur, ac omnes ingrediuntur. Ioannes inquit, ideo Ariſtoteles adiecit hanc limitationem, quia non quæuis ſcientia vel diſciplina vtitur proprijs principijs, ſed quædam ſunt, quæ diuerſarum ſciētiarum principia ſibi ipſis accommodāt. Iccirco inquit Ioannes, conſimilis dialecticę rhetorica ab Ariſtotele dici ſolet, eo, ꝙ vtræque circa eadem verſentur: ſed hoc, quod dicit Ioannes tum de ſimilitudine dialecticæ cum rhetorica, tum quòd vtræque careant proprijs principijs, falſum. non enim verum eſt, quòd careant vtræque principijs proprijs: quia logica habet propria principia, quibus procedit, vt locos communes, quibus dialecticus argumentari poteſt. in libris enim logices Ariſtoteles tradit nobis propria principia. at dices, dialectica ingreditur omnes ſcientias, & circa ipſas verſatur: ergo vtitur principijs alienis. Dico, dupliciter accipi poteſt dialectica, vt pro dialectica docente, id eſt pro ſcientia ipſa, quæ traditur ab Ariſtotele in libris logices: & ita hæc habent principia propria, & docet nos Ariſtoteles argumentari. & hoc falſum dicit Ioannes quòd non habēt proprię principia. alio mō poteſt accipi dialectica pro dialectica vtente, vt ſcilicet verſatur circa alias ſcientias, & vt vtimur ea in modo arguēdi circa alias ſcientias; & hoc modo nō vtitur proprijs principijs, ſed externis: quia verſatur circa propoſitiones externas, ſcilicet aliarum ſcientiarum. neque verum eſt, quod dicit de rhetorica, quòd ſit conſimilis dialecticæ: quia ſi vt dialectica verſatur circa omne ens, ita & rhetorica. non enim verum, ꝙ rhetorica verſetur circa omne genus entis, ſed tātum verſatur circa omne genus dicendi, vt circa genus deliberatiuum, aut iudiciale. & hac ratione Ariſtoteles dixit rhetoricam ipſam eſſe cōſimilem logicæ: quia ſicut logica verſatur circa omne genus entis, ita rhetorica verſatur circa omne genus dicendi: non tamē abſolute circa omne genus entis. & ambo ex communibus probabilibus argumentis, & eadem fere proportione, &c. Dixit Ariſtoteles in textu, quarum principia aut cauſæ, aut elementa. ita deſiunctiue loquitur, & non copulatiue. dixit, quarum ſunt principia cauſæ, & elementa. Quare ita loquitur Ariſtoteles: non erat forſan vera propoſitio Ariſtotelis, cū nota copulationis? optime erat vera, cum nota copulationis. cur ergo Ariſtoteles permutauit notam copulationis in notam diſiunctionis? Dico, dicit Ioannes, ideo permutauit: non quia propoſitio non eſſet vera, ſed vt illa dignitas ſua ſit vniuerſalior, & cōmunior, & pluribus ſcientijs competat: vt ergo plures ſcientias Ariſtoteles comprehenderet, ita diſiunctiue locutus eſt. ſi enim vſus fuiſſet nota copulationis, ſermo ſuus locum haberet tantum in ſcientia naturali: quia ſcientia naturalis tantum habet quatuor genera cauſarum. hoc modo autem comprehendit omnes ſcientias mathematicam naturalem, & diuinam. mathematica autē naturalis & diuina non habent omnia genera cauſarum. mathematicus naturalis habet tantum cauſam formalem: & diuinus tantum habet duo genera cauſarum. conſiderat enim ille finem, & formam tātum; materiam autem & efficiens non conſiderat: quia concernunt motum. diuinus autem abſtrahit à motu. vt ergo comprehenderet omnes ſcientias Ariſtoteles vſus eſt nota diſiunctionis. In propoſitione vero Ariſtotelis. & hic notetis mirū Ariſtotelis artificium: quia in probatione maioris poſtea vſus eſt nota copulationis. inquit enim, tūc enim opinamur vnumquodque cognoſcere, cū cauſas primas, & principia prima vſque ad elementa cognoſcimus. hic vſus eſt nota copulationis, vt denotaret nobis primam ſuam dignitatem eſſe quidem veram cum nota copulationis; ſed vſus eſt nota diſiunctionis Ariſto: artificioſe vt plura comprehenderet. In iſta probatione maioris ſunt aduertēda verba Ariſtotelis. dicit enim arbitramur vnumquodque cognoſcere, cum cauſas primas principia prima vſque ad elementa cognoſcimus. in his verbis iterum ingeſſit difficultatem Ariſtoteles: quorum verborum triplex eſt expoſitio. apud Græcos primo Alexander exponit, vt inquit Simplicius, quòd ita intelligēda ſunt illa verba, tunc enim arbitramur vnumquodque cognoſcere, cum cauſas primas, & principia prima cognoſcimus vſque ad elemēta. exponit vnumquodq;, id eſt alicuius generationis ſciētiā nō habeamus, niſi ſciamus ſimpliciter principia prima, per quæ probatur talis concluſio, & principia prima, in quæ ſcilicet dignitates complexas, & propoſitiones primas illius ſcientiæ, cuius eſt talis concluſio, ad elementa ergo propoſitiones proximas illius concluſionis, ſicut nō poſſumus ſcire aliquam concluſionem naturalem, niſi ſciamus prima principia ſimpliciter, quæ duo ſūt principia metaphyſicalia, vt de quolibet eſt affirmatio, vel negatio, &, de nullo ſimul, & propoſitiones primas ſcientiæ naturalis vt quòd natura eſt principiū motus, &c. quòd motus eſt, &c. vſque ad elementa, id eſt & propoſitiones proximas. & pro-

bat

bat ſententiam ſuam Alexander ex Platone:;quia ipſe Plato dixit, ꝙ ſcientiæ ex ſuppoſitione inter proprios limites non ſunt ſcientiæ,id eſt ſcientiæ ſubalternatæ non ſunt veræ,& propriæ ſciẽtię in proprio genere:quia oportet,vt reſoluantur ſua principia in ſcientiam ſuperiorem,& ſubalternantem;& ſciens in talibus ſcientijs non ſciet in proprio genere, niſi ſciat reſoluere ſua principia in ſcientias ſuperiores.tres autem ſunt ſciẽtiæ ſubalternatæ, id eſt muſica,perſpectiua,& geometria.iſtæ tres ſcientiæ, inquit Plato,intra proprios terminos nõ ſunt ſcientię,niſi accipiant probationem ſuorum principiorum propriorũ ex ſuperioribus,&c.

LECTIO DECIMAQVINTA.

PROBAT Ariſtoteles in textu dignitatem ſuam,quæ erat,ꝙ omnis ſcientia,quę habet principia, cauſas,&c.non cognoſcitur, niſi ex cognitione principiorum,&c.probabat ipſam per inductionem inductam ſupra à communi hominum conſenſu, vt etiam primo Poſteriorum,in definitione ſcire,ſcilicet, tunc enim vnumquodque opinamur cognoſcere, cum cauſas primas cognoſcimus,& prima principia vſque ad elementa. tripliciter exponebantur hæc verba,vt diximus in externa lectione. prima expoſitio erat Alex.quòd iſte eſt ſenſus verborum, ꝙ tunc opinamur vnumquodq; cognoſcere, cum cauſas primas, & prima principia vſque ad elemẽta cognoſcimus, id eſt,cum cognoſcimus principia remotiſsima, & ſimpliciter prima, & intermedia vſque ad elemẽta, id eſt, vſque ad principia proxima demõſtrationis: & comprobat Alexãder ſententiam ſuam teſtimonio Platonis dicentis, ꝙ ſcientiæ ſubalternatę in proprio genere,nõ ſunt ſcientię,&c.Sed huic expoſitioni Alexandri obijcit Simplicius: quia non videtur verum, quòd philoſophus naturalis in cognitione rerũ naturalium indigeat principijs ſimpliciter primis: quia ipſe habet ſua principia per ſe nota, quæ non reſoluit in aliqua alia principia.non enim ad illa duo ſimpliciter prima metaphyſicalia, vt de quolibet, eſt vera affirmatio, vel negatio, & de nullo ſimul: ſed in proprio genere habet ſua principia manifeſta, ex quibus cognoſcit concluſiones abſque quòd reſoluat ipſa in ſimpliciter prima. ſed hoc argumentum Simplicij parum cogit:quia Ariſtot.primo Poſteriorum docuit, ꝙ dignitates illæ,ſcilicet prima illa principia neceſſaria ſunt cuilibet erudiendo. duplex enim eſt dignitas, quædam prima in genere,quædam ſimpliciter prima.dignitates enim in genere primæ,quę ſunt determinatę cauſæ,vt in geometria,ſi ab æqualibus æqualia demas,&c.iſtæ nõ ſunt neceſſarię cuilibet erudiendo, ſed tantum erudiendo in ſcientijs geometriæ.dignitates vero ſimpliciter primę,illæ ſcilicet duæ metaphyſicæ, ſunt neceſſariæ cuilibet erudiendo, in quacunq; ſcientia.nemo.n.poteſt erudiri in aliqua ſciẽtia, niſi illis adhæreat:& ideo illæ ingrediuntur omnes demonſtrationes, non quidem formaliter, ſed virtualiter.& rationem addit, quare iſtæ dignitates ſimpliciter primę cuilibet erudiendo ſint neceſſariæ:quia, ſiquis nõ aſſentiat illis, quæ manifeſtiſſimæ ſunt, minus aſſentiet, quæ minus manifeſtæ ſunt: illis igitur ignoratis, non poteſt aliquis acquirere aliquam doctrinam virtualiter:ergo hęc prima principia ingrediuntur omnes demonſtrationes.cum ergo dicit Simplicius, philoſophus naturalis cognoſcit propria principia abſque hoc ꝙ reſoluat ipſa in ſimpliciter prima,ergo ad cognoſcendas res naturales nõ requiritur cognitio primorum principiorum: nego argumentum: quia, ſiquis nõ cognoſcat illa principia clariſsima,& illis non aſſentiat, non poterit etiam ſcire minus manifeſta:ignoratis ergo illis primis principijs,impoſsibile eſt habere ſcientiam de aliquo: quare ad omnes ſcientias ſunt neceſſaria. exponit ergo Alexander verba Ariſtotelis primas cauſas,id eſt primas dignitates, & ſimpliciter prima principia: per principia vero prima, principia intermedia:per elementa vero, propoſitiones proximas, & immediatas.ita enim Ariſto.ſæpiſsime nomine elementi vſus eſt,de propoſitionibus indemonſtrabilibus. ſicut etiam libri primi Geom. Euclidis demonſtratur de elementis:quia primus liber fere totus eſt de propoſitionibus indemõſtrabilibus. & ita etiã accipit Ariſtoteles primo Poſteriorum; cum dicit,ꝙ tot ſunt elementa, quot ſunt propoſitiones indemonſtrabiles.& quinto Metaphyſi.ita etiam accipit elementa pro propoſitionibus indemonſtrabilibus. ideo Simplicius dat ſecundam expoſitionem horũ verborum Ariſtotelis,quòd ſcilicet per cauſas primas non intendit Ariſtoteles principia communia,& ſimpliciter prima. non enim, inquit Simplicius, illi termini hic in probatione debent ſumi eodẽ modo,ſicut ſumebãtur in dignitate: quia hic Ariſtoteles in probatione maioris non loquitur de principijs complexis,ſed de incomplexis.ideo inquit Simplicius,cum ipſe Ariſtoteles ponat quatuor genera cauſarum, ſcilicet efficiens,finem, formam, & materiam: iſta ſunt principia incomplexa.tunc per id, quod dicit primas cauſas,intendit ſecundas primas cauſas externas in ſuo genere, vt in genere cauſæ efficientis primũ efficiens,in genere cauſę finalis primum finem.per id vero,quod dicit elementa, intendit ſecũdas primas cauſas internas in ſuo genere, ſcilicet in genere cauſæ formalis primam formam,in genere cauſæ materialis primam materiam.;cum vero addit & prima principia, per hoc,inquit Simplicius, nullũ genus cauſæ exprimitur: quia iam per illa duo expreſsit; ſed per hoc intendit quoddam cauſæ ad omnes cauſas, ſcilicet commune & primis cauſis, & primis elementis.& ita per illa duo verba,ſcilicet cauſas, & elementa ſpecificat Ariſtoteles quod comprehendit ſub principio.ꝙ vero per principium primum id intendat Ariſtoteles,patet, inquit Simplicius:quia de ratione primi principij eſt,vt ipſum ex nullo fiat,ſed omnia ex ipſo fiãt,& dependeant: vt ex ipſo omnia, ex nullaque alia cauſa fiant in eo genere. recte ergo adiecit Ariſtoteles prima principia, tanquam quoddam commune primis cauſis,& primis elementis.rationabiliter enim,vt diximus,hæc appellat prima principia; quia de ratione primi principij eſt, vt omnia ex ipſo fiant, & principium ex nullo, & ex nullo alio fiãt in eo genere.ideo appellat cauſas nomine principij: quia ex ipſis omnia fiunt,& ipſæ ex nullo.ſed poteſt etiam eſſe alia expoſitio horũ verborum,inquit Simplicius, vt Ariſtoteles per ipſa innuat modum pertractãdi cauſas in ſuo genere: quòd ſcilicet illæ tractandæ ſunt via reſolutionis; vt, cum volumus tradere notitiam alicuius generis cauſarum, via reſolutiua procedere debemus, incipiendo ſcilicet à cauſis proximis,magis compoſitis, ſcilicet per media procedendo, ſcilicet à cauſis proximis, magis compoſitis procedendo per intermedia vſque ad prima principia, & ſimpliciſsima in illo genere: vt in gñe cauſæ materialis animalis, ſi volumus pertractare has cauſas, incipiemus à partibus organicis, deinde procedemus ad partes ſimilares.proximæ enim quantitatis animal,& immediate ex partibus organicis,quæ diſſimilares dicuntur;mox ex ſimilaribus,poſtea procedemus ad humores,deinde ad elementa: vltimo in materiam primam. indicat ergo nobis Ariſtoteles in his verbis, ꝙ, cum volumus pertractare de aliquo genere cauſarũ, incipiamus à cauſis proximis procedendo via reſolutiua ad primas cauſas ſimpliciter;vt exemplificauimus in genere cauſę materialis

rialis circa animal. idem etiam eſſet agendũ in genere cauſæ finalis, vt in homine: quia primus finis eſt animal, ideo ab ipſa incipiemus. ſecundus finis ſunt virtutes morales: tertius cognitio primi entis. Item cauſæ efficientis genus proximum efficiens animal eſt: ſemẽ vero remotius: pater adhuc remotius: cœlum poſtremo remotiſsimum efficiẽs eſt, hæc eſt .2. expoſitio Simpl. Sed, quod dicit Simpl. nõ eſt verum, quòd .ſ. Ariſtot. doceat, à quibus cauſis ſit incipiẽdum in his pertractandis, & quòd à proximis ſit procedendum via reſolutiua: quia ipſe in hoc libro in pertractatione rerũ naturalium, incipit à prima materia, quæ ſuprema eſt in genere cauſæ materialis. ideo non incipiendum eſt in cauſis à proximis, ſed à cõmunibus, vt hic facit Ariſtoteles de materia prima. Ideo rectior eſt expoſitio Ioannis Grammatici, & Auerrois, id eſt ꝙ Ariſtoteles per hæc verba, ſcilicet, tunc arbitramur vnumquodque ſcire, cum cauſas primas, & principia prima cognoſcimus, vſque ad elementa. intendit per cauſas primas, primas cauſas internas rei, id eſt primam materiam, & primam formam: per prima principia, primas cauſas externas, id eſt primum efficiens & primum finem: deinde, vſque ad elemẽta, ait, id eſt donec veniamus ad cauſas propinquas. per elementa enim, inquiunt iſti, intendit cauſas exiſtentes in re propinquas, & eſſentiales. & huic verbo Ariſtotelis poſſumus nos addere, inquit Auerroes, & vſque ad proximum efficiens, & proximum finem. ita ꝙ incipiendum à primis cauſis internis, & externis, donec deueniamus ad proximas tum internas, tum externas, ſcilicet ad proximam formam, & primam materiam, proximum efficiens, & proximũ finem. & ita, inquit Auerroes Ariſtoteles dat nobis ordinem tradendi cauſam in ſuo genere, ꝙ incipiendum eſt à prima cauſa in eo genere, per intermedia procedendo vſq; ad elementa, id eſt vſque ad proxima. & iſte eſt ordo compoſitiuus, & hunc ordinem ſeruauit Ariſtoteles in demonſtratione rerum naturalium: quia à prima materia incipit, vt patet &c. Auerroes addit hic verbum obſcurum. Domini, ego non intendo declarare vobis omnes intricationes Auerrois: ſed tãtum, quæ mihi obſcura, & vtilia videbuntur. dicit ergo Auerroes, ꝙ Ariſtoteles per primas cauſas intendit intrinſecas, ſcilicet primam materiam, & vltimam formam: quia inquit Auerroes præter primam materiam, & vltimam formam cuiuslibet rei naturalis, omnes aliæ formæ, & materiæ ſunt formæ compoſitę. vnde recte dixit Ioannes, quòd Ariſtoteles hic in tradẽdo, cauſas in ſuo genere intendit, ꝙ procedendum eſt via compoſitiua, & non reſolutiua. Addit aliud verbum Auerroes, ꝙ hic Ariſtoteles alio modo vtitur his terminis, principiũ, cauſa & elementum, quàm vſus fuerat in dignitate ſua. dicebat enim ibi, quòd per principia intendebat cauſas efficiẽtes, per cauſas, finem: per elementa, materiam, & formam. hoc modo in alia ſignificatione accipiuntur hi termini. per principia enim intendit primas cauſas externas, ſcilicet primum efficiens, & primum finem: per cauſas primas, internas cauſas, ſcilicet materiam primam, & primam formam: per elementa vero, cauſas proximas internas, vt in homine partes inſtrumentales hominis poſſumus etiam addere cauſas proximas externas, & ita inquit Auerroes. exponimus, ſicut etiam dicit Ioannes Grammaticus, vſque ad elementa, id eſt vſque ad cauſas proximas internas, & externas: & addit Ioannes vnum verbum, ꝙ hoc, quod dicit Ariſtoteles, non eſt ſimpliciter verum, ꝙ ſcilicet in tradendo cauſas ſit incipiendum à prima cauſa: quia nec ipſe ſemper incipit à prima cauſa. in libris enim Meteororum, in tradendo cauſas eorum, quæ in ſublimi fiunt, non incipit à prima materia ſimpliciter, ſed incipit à materia propinqua, ſcilicet ab habitu. & ita neque in genere efficiẽtis incipit à prima cauſa ſimpliciter: quia, vt dixi, in genere cauſæ materialis incipit à duplici habitu, ſcilicet humido, & ſicco, qui reſoluuntur in materiam primam, & non à materia prima; vt idem in genere cauſæ efficientis, non incipit à cauſa prima, ſcilicet à cœlo, ſed à ſole. iſtæ enim cauſæ tum habitus, tum ſol reſoluitur in primam. hæc quidem in primam materiam: illa vero in cælum ipſum. Ideo exponenda ſunt verba Ariſtotelis, inquit Ioannes, ꝙ in omni genere cauſarum incipiendum eſt à prima in illo genere, ſi res illæ, circa quas verſamur, ſimpliciter, ex prima cauſa dependent: & ſi talis cauſa conuenit illi rei, prout conſideratur, ſed earum rerum, quæ in ſublimi fiunt, non eſt ſimpliciter cognoſcere prima principia, vt materiam primam, & primam formam; ſed eſt cognoſcere principia illorum corporum, vt illum duplicẽ habitum. eſt autem ſimpliciter cognoſcere principia prima in ſuo genere non determinate, vt diximus eorũ, quæ in ſublimi fiunt. intelligendus ergo eſt Ariſto. inquit Ioan. Gram. quòd in omni re, cũ quęrimus eius cauſas, ſemper incipiendum à prima cauſa generis illius: ſi tamen prima cauſa conuenit illi. ideo in parte ſcientię debemus incipere à materia communi his, quæ debent tradi, ibi non à materia ſimpliciter, &c. Sed hoc, quod dicit Ioannes, non eſt verum: quia præceptum quod hic ponit Ariſt. quòd ſcilicet in pertractatione cauſarum incipiendum eſt à ſuprema cauſa illius generis. hoc non eſt verum de aliqua parte ſcientiæ naturalis; vt de illa, quæ traditur in libris Meteororum, ſicut exponit Ioannes: ſed de totali ſcientia loquitur, ꝙ cum pertractandę ſunt cauſæ ſcientiæ totalis, vt ſcientiæ naturalis, incipiendũ eſt à prima cauſa. cum igitur philoſophus egerit de prima materia in proprio libro totali, non amplius de ea incipiet, nec de cauſa principali declarabit in alio loco. in pertractatione ergo plantarum non incipit à prima cauſa: quia cum de principijs communibus totalis ſcientię naturalis ageret, incepit à prima cauſa, & abunde de materia prima pertractauit. & ideo in partialibus libris amplius non repetet primam materiam: quia eam tradidit in hoc libro Phyſicorũ. non oportebat igitur ibi fieri mentionem de ipſa: quia eſt partialis liber. Super his verbis eſt dubitatio. cum Ariſtoteles in maiori ſua propoſitione numerando cauſas permutauit notam copulationis in notã diſiunctionis. diximus, non ideo permutaſſe, quia propoſitio non eſſet vera cum nota copulationis, ſed vt comprehenderet omnes ſcientias: quia ſola ſcientia naturalis ſpeculatur omnia genera cauſarũ. mathematica autem tantum, videlicet genus cauſæ ſcilicet formam. metaphyſica duo genera cauſarum tantum conſiderat, ſcilicet formam, & finem; non conſiderat efficiens neq; materiam: quia hæc motum concernunt, vt ergo Ariſtoteles ſcilicet comprehenderet, tum ſcientiam diuinam, tum metaphyſicam, dicunt iſti, Ariſtoteles diſiunctiue locutus fuit: Sed eſt dubitatio primo de metaphyſico: quia dicunt, quòd metaphyſicus non conſiderat materiã, neque efficiẽs. Contra: quia Ariſtoteles, octauo Metaphyſices, longo ſermone tradit nobis notitiã de materia. oſtendit enim ibi materiam eſſe, & quid ſit materia, & qualiter. ex tranſmutatione enim venatur primam materiam; deinde oſtendit, quòd alia eſt materia generabilium: alia cœleſtium. tãdem dicit, ꝙ ſatisfaciendum eſt quęſtioni quærenti, de quo eſt res per cognitionem: de materia ſimiliter: de efficiẽte, quatenus alterum tranſmutat alterum. quomodo ergo dicũt iſti, quòd metaphyſicus non conſiderat materiam neque efficiens. ſecunda dubitatio eſt de mathematico: quia dicunt, ꝙ mathematicus non vtitur niſi forma. Contra. quia muſica ſubalternatur ipſi arithmeticę, & habet cauſam materialem&

formalem

formalem.habet enim numeros, qui proportionantur materiæ,& habet proportionem ipſorum numerorum; vt dupla, ſexquialtera, quę gerit vicē formæ: ergo nō eſt verum, quod iſti dicunt, quòd mathematicus tātum forma vtatur. tertio dubitatur, quia videtur etiam, quòd mathematicus conſideret finem: quia omnis ſcientia ſpeculatiua eſt gratia ſui, & gratia ſuæ contemplationis: quomodo ergo ipſa geometria eſt tantum circa formam, & non conſiderat finem, cum geometria ſit ſcientia ſpeculatiua. etiam, quia geometria, quæ traditur in. 10. libro Euclidis, ſubalternātur omnes artes mechanicæ. illæ vero habent finē: quia ordinatur in opus ad vtilitatem, & commodum hominis: quomodo ergo non habent finem. Etiam ego addo, quia ſi mathematicus conſiderat formam: ergo & materiam: quia correlatiua ſunt: & correlatiuorum eſt eadem diſciplina, vt dicit Ariſtoteles ſecundo Phyſicorū. tum auctoritate Ariſtotelis ſecundo Poſteriorū dicentis, quòd mathematicus demonſtrat per cauſam materialem. tum etiam, quia eadem eſt quantitas, quæ conſideratur à mathematico, & à naturali. eadem enim eſt quātitas mathematici, & naturalis: ſed naturalis perfectam ſcientiā habere non poteſt de ipſa quantitate ſine cauſa materiali. De primo cum dicis, quòd metaphyſicus conſiderat genus cauſæ materialis: quia Ariſtoteles octauo Metaphy. longo ſermone tradit notitiam de materia. Albertus Alemanus repondet, quòd metaphyſicus conſiderat materiam non pro materia, ſed vt comprehenditur ſub communitatibus metaphyſici, vt ſcilicet habet rationem entis & ſubſtantiæ, &c. At Ariſt. ibi octauo Metaphyſi. cōſiderat ipſam vt transmutatur. ex trāſmutatione enim venatur materiam primam. propter hoc aliqui fatui dixerunt, ꝙ quidem metaphyſicus conſiderat. ſed ideo dicitur metaphyſicus carere materia, quia nō vtitur ipſa, neque per ipſam aliquid demonſtrat: quia, &c. Sed obſtat apud Ariſtotelem ſecundo Poſt. quòd per omne genus cauſæ licet demonſtrare. ſi ergo habet metaphyſicus tale genus; quare per ipſum non poterit demonſtrare? Ideo dicatis, quòd metaphyſicus conſiderat quidem materiam in vniuerſali, & habet rationē vniuerſalis, & entis: omnia enim hac ratione conſiderat. in ſpeciali autem tantum duo genera cauſæ cōſiderat, ſcilicet formalem, & finalem. & hæc duo genera definit, vt metaphyſicus: reliqua autem duo genera in ſpeciali non conſiderat metaphyſicus: At Ariſtoteles. 8. Metaphyſices tradit notitiam materiæ. Dico, tradit quidem, ſed non vt metaphyſicus, ſed vt naturalis. induit enim tunc habitū naturalis philoſophi. mediante enim tranſmutatione inuenit materiam, & hoc eſt naturalis, & omnia ibi de materia prima, vt naturalis tradit, nō vt metaphyſicus. ſimiliter neque definit efficiens quinto, & nono metaphy. non vt metaphyſicus, ſed vt naturalis, qui eum definit per trāſmutationes. dicit enim principium trāſmutandi alterum, in eo, quod alterum, &c. De ſecunda dubitatione, de mathematico dicit Simplicius, propter hoc reprehēdendus eſt Alex. qui dixit ſcientias mathematicas non vti niſi vno genere cauſę: quia pluribus vtitur. muſica enim conſiderat numeros, qui habent rationem materiæ reſpectu proportionum ipſarum: quia proportio gerit vicem formæ. Et geometria conſiderat finē: quia omnis ſcientia ſpeculatiua eſt gratia ſui. ſed Simplicio obſtat; quia materia, vt materia, circumſcribit motum, & efficiens, vt efficiens. ergo ſolius naturalis philoſophiæ eſt conſideratio hæc. mathematicus enim abſtrahit à materia conſequenti. inde ſequitur, ꝙ materia cœleſtis reſpectu motus, dicitur materia: quia vt materia circumcernit motum: reſpectu vero formæ cœleſtis dicitur ſubiectum: quia ſic eſt ſine motu, quia abſq; tranſmutatione illa forma eſt in materia.

ideo rectius dicatis cum Alexandro, & Auerroe, ꝙ ſcientia mathematica non habet niſi vnum genus cauſæ, ſcilicet formalis. At dicis, muſica conſiderat numeros, qui habent rationem materiæ, & proportionem, quæ habet rationem formæ. Dico, & ſi habeant numeri rationem materiæ, impropriè tamen ſunt materia: quia illa materia non eſt materia tranſmutationis. non enim eſt cum tranſmutatione. hic autem nos loquimur non de illa materia, quæ non eſt vera materia, ſed de materia tranſmutationis, quæ vera materia eſt; quare nihil ad propoſitum: quia eodem modo genus reſpectu propriæ differentiæ appellatur materia, ſed impropriè, et cetera. Sed ſaltem non effugies, quin geometria conſideret cauſam finalem, & ita plus vno genere cauſæ conſiderabit. geometria enim eſt gratia ſui. ſcientia enim ſpeculatiua in alium finem non ordinatur, ſed eſt gratia ſuæ ſpeculationis. Dico, quòd, ſi cōſideratur geometria in ſeipſa, vt eſt ſciētia ſpeculatiua, ſic habet finem, quatenus eſt ſciētia: quia eſt gratia ſui, & omnis ſcientia ſpeculatiua habet hunc talem finem. ſed qui dicunt, quòd mathematica non habet finem; non ſic loquuntur, quo ſcilicet ad ipſas ſcientias ſed quo ad id, quod conſideratur in ipſa: quia omnia, quæ conſiderantur in ipſa, vt lineæ, ſuperficies, & &c. non habent eſſe in re niſi in imagine. mathematicus enim præſcindit à ſubſtantia. ergo inter res, quæ carent ſubſtantia, vt ita cōſiderantur, carent etiam fine: quia finis non eſt niſi rerum ſubſiſtentiū. hæ vero res mathematices carent ſubſiſtentia: ergo & fine. ſcientia autem, quia eſt ſibi finis eo modo, quo eſt ſibi finis, &c. Quod addis, quia ſi ſcientia mathematica conſiderat formam: ergo & materiam; nam correlatiua ſunt. dico, quòd apud Ariſtotelē duplex eſt forma, ſcilicet forma declarans rem, & forma ipſam rem perficiens, ſiue materiam. forma declarās eſt ipſa definitio, quæ declarat quidditatem rei. & quòd hoc ſit verum, quòd talis definitio, quæ declarat rei quidditatem, dicatur forma, videatis Ariſtotelem ſecundo Metaphy. vbi declarat rei quidditatem, vbi manifeſte dicit, quòd omnes partes definitionis ſunt formæ, &c. & ſecundo Poſt. & ita Alexāder conformiter Ariſtoteli dicit, ꝙ metaphyſicus ſola cauſa formali vtitur. forma vero perficiens materiam eſt, quę dat eſſe rei, & ex ipſa omnes res cōponuntur. cum ergo dicit, quòd mathematicus vtitur cauſa formali, intelligitur de hac cauſa formali declarante, ſcilicet de definitione ipſa, quæ declarat quidditatem rei, non autem de forma materiam perficiente. quare, nec ipſam cum tranſmutatione conſiderat, ſed ſicut conſiderat definitionē, quę eſt forma declarans, ita conſiderat definitum, quod eſt materia declarata, & hęc correlatiua ſunt, quare patet, quomodo mathematicus conſideret materiam non perficientem ſed declarantem. ideo patet argumētum, &c. Sed tu dicis, primo Euclidis. 32. demonſtramus triangulum habere non per definitionem trianguli, ſed per paſſionē tum priorem, tum poſteriorē; vt per habere angulum extrinſecum duobus ſibi appoſitis ęqualiter intrinſecis, illa non eſt definitio: ergo per aliam cauſam demonſtrat mathematicus ꝙ per definitionē, & formam declarantem, &c. Dico, omiſſis aliorum nugis, quòd mathematicus ſemper demōſtrat per definitionem ſubiecti. Contra, dices, hic per paſſiones demonſtrat. Dico, ꝙ per illam paſſionē priorem deſcribit nobis definitionē trianguli, & ita definitionē ſubiecti: & hoc modo eſt demonſtratio potiſſima, ſcilicet per definitionē ſubiecti. non dico autē per definitionem paſſionis: quia illa non eſt demonſtratio potiſſima: quia potiſſima debet eſſe per cauſam, vt ſubiectum eſt cauſa omnium paſſionum ab ipſo emanantium: & non prima eſt cauſa, ſecundo, vt capacitas diſciplinæ non eſt cauſa riſibilitatis hominis: quia vna

paſsio

paſsio non eſt cauſa alterius, vt credidit Egidius, ſed ſubiectum ambarum: ideo definitio ſubiecti, nõ paſsionis debet eſſe medium in demonſtratione potiſsima, &c.

LECTIO DECIMASEXTA.

ERAT dubitatio de mathematico, quia ſecũdum ſententiam Alexandri & Auerrois videbatur tantum genere cauſæ formalis, & ſoluimus illam dubitationem, quo modo forma & materia correlatiua ſunt, & quòd aliquis poteſt vnum genus cauſæ formalis conſiderare, non conſiderato genere cauſæ materialis. diſtinguebamus enim de forma, & diximus mathematicum ſola forma declarante vti diſtinctione ipſa, nõ perficiẽte, vt diximus, ſcilicet, &c. Erat alia difficultas, quia Ariſtoteles ſecũdo Poſteriorum dicit, ꝙ mathematicus demonſtrat per materiam: ergo ipſam conſiderat. Dico, quòd duplex eſt materia, quædam ſenſibilis, quędam intelligibilis; & eſt diſtinctio Ariſtotelis ſeptimo Metaphyſi. materia ſenſibilis eſt quæ motum concernit, & eſt cum tranſmutatione: & de hac non loquitur Ariſtoteles ſecundo Poſteriorum cum dicit, mathematicus demõſtrat per materiam materia autem intelligibilis eſt, ſicut continuum reſpectu figuræ. Alio modo ſicut partes reſpectu totius. partes enim appellant materiam totius, vt ſemicirculus eſt materia circuli, & hoc modo vtitur mathematicus materia, & hoc pacto dixit Ariſtoteles, quòd mathematicus demonſtrat per materiam partem ad probandum totum: demonſtrat ergo mathematicus per materiam, id eſt totum per partes. & ſic Ariſtoteles dixit, quòd hæc demonſtratio, in. 32. primi Elementorum, erat ex materia: quia procedebat ex partibus. & etiam demõſtratio talis eſt. omnis angulus ſuper arcum in ſemicirculo conſiſtens eſt dimidium duorum angulorũ rectorum: ſed omne dimidium angulorum rectorum eſt rectus: ergo omnis angulus, qui eſt medius duorum angulorum rectorum, eſt rectus. procedit enim hæc demonſtratio ex materia, quia ex partibus anguli. & vide probationem in tertio Euclidis, propoſitione. 30. & Linconenſem ſecundo Poſt. cap. tertio, &c. Ad aliam dubitationem, quia eadẽ eſt quantitas, quæ cõſideratur à mathematico & naturali. ſicut ergo naturalis nõ poteſt ſcire ipſam ſine materia, ita & mathematicus conſiderat quantitatem in materia, dependet. n. à materia ipſa quantitas: nõ poteſt autẽ cauſatum ſciri ignorata ſui cauſa: ergo ignorata materia quantitas ſciri non poteſt. Dico, quòd licet vna eadem quantitas ſit naturalis, & mathematica (reuera enim ita eſt, vt dicet etiam Ariſtoteles ſecundo huius) differunt tamen hæ quantitates in modo conſiderandi: quia quantitas à naturali conſideratur, vt eſt affectio corporis, & ipſius corporis terminus. ideo cum materia ipſa cognoſcit. geometra autẽ non conſiderat quãtitatem, vt eſt affectio corporis & terminus; ſed conſiderat vt in propria eſſentia, & propria definitione. hoc pacto ipſam ſequeſtrat à materia, & ſi ab ipſa dependeat. mathematicus enim abſtrahit quantitatem à materia, & à corpore, & ipſam conſiderat, nõ vt in affectione corporis, ſed vt in propria eſſentia & definitione: non reperitur tamen talis quantitas in re ſed ſolum in imaginatione: nec propter hoc differunt hæ quantitates, ſed idem ſunt: & eſt tãtum vna eadem quantitas diuerſimode conſiderata: quia à naturali conſideratur, vt eſt in re, ſed à mathematico ſecundũ propriam definitionem & in ſe, &c. Sed cum dicis, quãtitas ſecũdum ſui eſſe dependet à materia? quomodo mathematicus poteſt eã conſiderare perfecte ſine materia. nõ poteſt enim cauſatum perfecte cognoſci abſq; cognitione cauſę? Dico, ꝙ mathematicus poteſt perfecte comprehendere quantitatem ſine materia. At dependet à materia. verum eſt; ſi mathematicus non cõſiderat ipſam, vt habet eſſe ſubſiſtentiæ, ſed vt habet eſſe in cognitione, vt ſcilicet abſtracta eſt à corpore, & à materia, & hoc per opus intellectus. ſed adhuc dicis, quo modo poteſt habere eſſe in cognitione ſine materia, cum quantitas naturalis & mathematica ſint eadem, &c. D. Thomas propter hoc argumentum dixit, ꝙ mathematicus conſiderare materiam ſine quantitate reuera non poteſt, nec etiam conſiderare quantitatem ſine materia: quia poſterius nõ poteſt ſeparari à ſuo priori: ſed quantitas poſterior eſt materia prima: ergo non poteſt ab ea ſeparari. & ſic eam conſiderat quia ita res ſe habet ad cognoſci, ſicut ſe habet ad eſſe, vt in ſecũdo Metaphy. &c. ideo dixit diuus Thom. quòd duplex eſt materia, ſenſibilis, & intelligibilis. materia ſenſibilis eſt materia prima qualitatibus affecta: materia autem intelligibilis eſt materia ſine ſenſibilibus conditionibus. & mathematicus conſiderat materiam intelligibilem in conditione quantitatis, nõ autem materiam ſenſibilem. Sed hoc quod dicit D. Thom. nõ eſt verum: quia ſi mathematicus poteſt conſiderare quãtitatem ſine materia ſenſibili, poteſt etiam ipſam conſiderare abſque alia materia: quia vel quantitas habet eſſe ſubſiſtens in re: vel habet tãtum eſſe in cognitione. ſi primum non poteſt conſiderari abſque materia ſenſibili, ſic ſecũdum nullam materiam requirit in eius cognitione: quia ſi aliqua requirerentur, maxime eſſet ſenſibilis: quia ab ipſa dependet in eſſe, ſed ipſa non requiritur: ergo nec intelligibilis. At dices, non eſt verum, quòd ita in cognitione habeat eſſe à materia ſenſibili: ergo nec à materia intelligibili: quia eſt vna, & eadem quantitas cum quantitate naturali; conſideratur tamen à mathematico ſine materia: quia poteſt ipſe in ſui intellectione eam præſcindere à materia: & ita eandem quantitatem conſiderat, ſed ſolum adimit illud, quod addit philoſophus naturalis, ſcilicet materiam, & eſſe corporis affectionem: & hoc dempto reliquum, quod remanet de eſſentia quantitatis eſt; & hoc conſiderat mathematicus, ſed in conſideratione philoſophi naturalis non requirebatur materia intelligibilis: ergo nec in cõſideratione mathematici: quia totum eſſe quantitatis conſiderat, quod cõſiderabat philoſophus excepta materia: quia etiam abſcindit à materia, & ipſam ponit in cognitione tantũ. volo enim vt imaginemini aliam eſſe quantitatẽ mathematici, & philoſophi naturalis, &c. Ad illam propoſitionem diui Thomæ, nullum poſterius ſeparatur à ſuo priori. Dico, quòd vera eſt hæc propoſitio tantũ, quando poſterius eſt de eſſentia prioris, cuius non eſt quantitas, reſpectu materiæ primæ: quia quantitas non eſt de eſſentia primæ materiæ. pro hoc vide Zimaram Theoremate. 78. & . 81. & quòd dicũt Ariſtotelẽ dicere quarto Metaphy. tot eſſe partes philoſophiæ, quot ſubſtantiæ. Dico, ꝙ Ariſtoteles loquitur tunc de partibus primæ philoſophiæ, vt ibi Alexander, & Auerroes annotarunt, &c. ſed vos dicetis, quare non eſt ſic de alijs accidentibus, ſicuti de quantitate, ꝙ alia accidentia à materia abſtracta nõ poſſunt taliter, vt ſine materia conſiderentur. Dico, hoc ideo eſſe: quia omnia alia accidentia habẽt ſubiectum proprium, & determinatũ: ideo ſine illo definiri non poſſunt, nec conſiderari. quantitas vero omnibus cauſis eſt & omnibus conuenit, & nulli eſt propria, ac nullum determinatum ſubiectum ſibi determinauit: ideo ſine materia, & ſubiecto definiri poſſunt, & conſiderari, & perfecte cognoſci ſine materia. caret enim ſubiecto proprio: & ratio diuerſitatis ſumitur ab Ariſtotele ſeptimo Metaphyſices. 35. Alia accidentia determinatione ſibi proprium, & particulare ſubiectum, ideo definiri nõ poſſunt: quare, &c. Se-

quitur ſecunda difficultas in verbis Ariſtotelis: quia dixit Auerroes ſicut reuera eſt, ꝙ Ariſtoteles ſumit aliter hęc nomina, ſcilicet principia, cauſas, & elementa in maiori propoſitione. & alio modo ipſis vſus eſt in probatione illius maioris. exponebatur enim, quòd in maiori per principia intendebat genus cauſæ efficientis: per cauſas, genus cauſę finalis: per elementa, materiam, & formam. in probatione autem exponitur, ꝙ per principia intendit primas cauſas externas, ſcilicet primum agens, & primum finem: per cauſas vero, primas internas, ſcilicet primam materiam, & primam formam: per elementa vero, cauſas internas proximas, ſcilicet materiam, & formam proximam: vtitur ergo his terminis Ariſtoteles alio modo ex parte antecedentis: & alio modo ex parte conſequentis: argumentum ergo Ariſtotelis peccat fallacia æquiuocationis, &c. Secundo dubitatur: quia fere ab omnibus expoſitoribus dictum eſt, ideo Ariſt. in ſua maiore permutaſſe notā copulationis in notam deſiunctionis, cum dicit, quarū ſunt principia cauſæ, aut elementa. non dixit, ideo dico. hoc facit, vt inquit Ioannes Grammaticus, vt ſcilicet cōprehenderet omnes ſcientias: quia, ſi vſus fuiſſet nota copulationis, ſolum verificaretur illa propoſitio de ſcientia naturali: quia ſola ſcientia naturalis verſatur circa quatuor genera cauſarum. aliæ duæ autem non: quia phyſicus tantum duo conſiderat, ſcilicet finem, & formam. metaphyſicus vero tātum formam, ſcilicet definitionem, ideo vt omnes ſcientias comprehēderet vſus eſt nota diſiunctionis. Eſt dubitatio, quia philoſophus naturalis non conſiderat primum finem, & primam formam: quia hæc abſcindūt à motu. omnis enim cognitio philoſophi naturalis eſt cum motu: ergo non eſt verum, quòd philoſophus naturalis verſetur circa quatuor genera cauſarum. vnde etiam non eſt verum, ꝙ iſti dicunt, quòd ſi Ariſtoteles vſus eſſet nota copulationis, ſolum comprehendiſſet ſcientias naturales; immo nec ipſam comprehendiſſet: quia non omnia genera cauſarum conſiderant primum finem, nec primam formā. remanet ergo, ꝙ falſa ſit propoſitionis maioris probatio, in qua vſus eſt Ariſtoteles nota copulationis in enumeratione cauſarum, &c. Tertio, & difficilius dubitatur, quia circa illam probationem maioris Ariſtotelis, ſcilicet, tunc enim opinamur vnumquodque cognoſcere, cum cauſas primas, & principia prima vſque ad elementa cognoſcimus, dicebat Ioannes Grammaticus per hunc modum loquēdi Ariſtotelem nobis dixiſſe ordinem pertractandi cauſas in eodem genere: quia ſcilicet incipiendum à prima cauſa in eodem genere per intermedia ad proximas cauſas. Item eſt ordo doctrinæ tractandi cauſas eiuſdem generis dicebat Ioannes: & ratio erat: quia ordo doctrinę, debet eſſe conformis ordini naturæ, vt ſemper priora natura prius pertractentur: cum ergo cauſæ altiores ſint natura priores ipſis poſterioribus: ergo ordine naturæ ab altioribus eiuſdem generis in pertractando cauſas eſt incipiēdū. de hoc eſt dubitatio: quia octauo Metaphyſi. ad principium inquit, cum quærimus cauſas alicuius generis, primo quęrēda eſt cauſa proxima: deinde remota, vt ſi quęramus cauſam efficientem hominis, inquit Ariſtoteles prius reſpōdebimus per cauſas proximas, quàm per remotam, vt ſcilicet per ſemen: deinde per hominem: deinde per cœlum. idem in genere cauſæ materialis, ſi quęramus, ex quo cōſtituitur homo, alias prius reſpondendum per partes, id eſt per materiā proximam, vt eſt ex partibus organicis: deinde ex ſimilaribus: deinde ex humoribus: deinde ex elementis, ex materia, & forma, tum & difficilius: quia ſi hoc eſſet verum in tradendis cauſis eiuſdem generis, ab altioribus eſſet inchoandum, vt ſeruetur ordo naturæ. Itidem eſſe deberet in tradendis omnibus generibus cauſarum. in tradendis enim omnibus generibus cauſarū, eſſet incipiendum ab altiori genere ſecundum naturam; & ita à genere cauſæ finalis. ita enim eſt ordo naturæ: ſecundum naturam enim prius eſt genus cauſæ finalis omnibus alijs generibus cauſarum. finis quidem ponit neceſſitatem efficiēti: efficiens neceſſitate formam: forma materiam. in tradenda ergo notitia omnium generum cauſarum, eſſet incipiendum à priori, & altiori genere, ſcilicet à finali: quia ordo doctrinæ debet eſſe conformis ordini naturæ. oppoſitū vero fecit Ariſtoteles hic: quia in tractandis generibus cauſarum incepit à genere cauſæ materialis, ſcilicet à prima materia: poſtea ad formam: deinde ad efficiens: vltimo ad finē deſcendit: quomodo ergo, ſi ita eſſet, vt dictum eſt, Ariſtoteles ſeruaſſet ordinem doctrinæ in his tradendis. Eſt quarta dubitatio, & vltima circa verba eiuſdem propoſitionis maioris: quia Auerroes declarans, quid nam Ariſtoteles intelligeret per primas cauſas, & elementa. inquit, per prima principia intendit primas cauſas internas, ſcilicet primam materiam, & primam formā. quæ enim ſunt præter primam materiam, & vltimam formā rerum naturaliū, inquit Auerroes, ſunt materiæ compoſitæ, & formæ compoſitæ. dubitatur quid nam intelligit per primam formam, & quomodo omnes formæ præter primam ſint compoſitæ: quia omnis forma quà forma eſt ſimplex eſſentia: quo modo ergo præter primas omnes ſunt compoſitæ. ſic etiam de materia quo modo, alię à prima ſint compoſitę. Ad has dubitationes reſpondeo. ad primam, cum dicitur, quia Ariſtoteles in ſuo argumēto aliter aſſumit terminos in antecedēte, quàm aſſumpſerat in conſequente, ideo peccare videtur fallacia æquiuocationis. Dico, ꝙ verum eſt, quòd Ariſtoteles aliter ſumit terminos, ſcilicet principia, cauſas, & elementa in maiori propoſitione, quàm facit in probatione eius de facto: ita eſt ſicut exponit Auerroes, nihilominus non eſt fallacia æquiuocationis: quia propter hoc non variatur neque remouetur veritas propoſitionis, ſed ſemper remanet vera. [illegible] quòd ſecundum variam ſignificationem ſumantur termini in antecedente & conſequente; iſta tamen varietas terminorum non variat veritatem propoſitionum: quia ſemper per illos terminos intelligimus quatuor genera cauſarum: quia ergo non variatur ſenſus, neque veritas propoſitionis, ideo nec committitur fallacia, vt credis, &c. Dubitabas ſecundo, quia in reddendo cauſam, cur Ariſtoteles in dignitate ſua permutauerit notam copulationis in notam diſiunctionis enumerando principia: & dicebatur ideo, vt comprehenderet omnes ſcientias: quia cum nota copulationis tantum ſcientiam naturalem comprehendiſſet. ſola enim illa verſatur circa quatuor genera cauſarum. Dubitabatur ergo, quia philoſophia naturalis non cōſiderat primum finē, nec primam formam. hæc enim abſcindunt à motu: ergo non omnia quatuor genera cauſarum. Dico, falſum eſt. Tu dices, at, nō conſiderat primum finem, nec primam formā. Dico, non conſiderat quidem primum finem, nec primam formam ſimpliciter: quoniam iſta abſcindunt à motu, ſed in ſuo genere inter proprios terminos, quatenus naturalis eſt, conſiderat primum finem, & primam formam. Conſiderat enim primū finem, qui eſt illi vltimus finis in ſua conſideratione, & in ſuo proprio genere: & primam formam, quæ eſt illi vltima forma. conſiderat enim primum finem, qui annectitur generationi, & motui iungitur. & hic eſt primus finis naturalis: quia alium priorem natura conſiderat. etiam cōſiderat primam formam non ſimpliciter quidem, ſed primam formam naturalium, quatenus naturalia ſunt, ſcilicet quatenus ſunt cum tranſmutatione, & motu, id eſt quatenus habent hoc, ꝙ ſint principia motus, & quietis. & hæc

hæc eſt anima rationalis hominis, quæ dependet ex ſenſibus: ideo tota eius conſideratio eſt cũ tranſmutatione. Adducebatur tertia difficultas circa ordinẽ pertractandi cauſas in ſuo genere. dicebat enim Ioannes Ariſtotelem hic docere, quòd à prima cauſa in vnoquoque genere eſt incipiendum per intermedia, ad proximas cauſas progrediẽdo. hic eſt ordo doctrinæ pertractandi cauſas in vnoquoque genere, ſcilicet via compoſitionis. in oppoſitum vero erat auctoritas Ariſtotelis octauo Metaphyſices, dicentis, cum quæritur cauſa alicuius rei, reſpondendum eſt per cauſam proximam in vnoquoq; genere. Dico, ꝙ verum eſt, quod dicit Ariſtoteles octauo Metaphyſices, nec repugnat huic, quod dicit hic Ioannes; quia verum dicit Io. octauo enim Metaphyſi. Ariſtoteles loquitur de ordine quærendi, & reſpondendi, quòd in hoc ordine incipiendũ eſt à cauſa proxima, id eſt cum aliquis quærit cauſas alicuius generis, reſpondẽdum eſt prius per cauſas proximas: quia hic eſt ordo reſolutionis. in ordine vero pertractandi cauſas incipiendũ eſt à prima cauſa eiuſdẽ generis. & de hoc ordine loquitur hic Ioannes: quia hic ordo doctrinę eſt compoſitionis ordo. & cauſa eſt: quia ordo doctrinæ debet imitari ordinem naturæ. eo enim modo de neceſsitate pertractãtur res, ſicut ſunt in natura; ſed priores & ſimpliciores cauſæ in natura ſunt: à primis ergo ordine doctrinæ incipiendum eſt. Item ordo debet ſeruari in definitione, inquit Ariſtoteles, vt res ſcilicet definiantur, ſicut ſunt in natura. genus ergo debet præcedere differẽtiam: quia natura prius eſt. vnde inquit Ariſtoteles, iſta non erit definitio. homo eſt rationale animal: ordo ergo doctrinæ debet imitari naturam. & nihil aliud eſt ordo doctrinæ, quàm ordo inter partes ſcientiæ, quem ſcilicet habent inuicem: ex quo ergo ordo quærendi, & reſpondendi eſt ordo reſolutionis; & ordo doctrinæ eſt ordo compoſitionis: opponuntur ergo iſti ordines: non ergo mirum ſi Ariſtoteles de ipſis diuerſimode loquitur. Addebatur argumentum difficilius: quia, ſi ita eſſet, quòd in ordine pertractandi cauſas eiuſdem generis eſſet incipiendũ à prima, vt imitatur ordinem naturæ. At, itidem in pertractandis totius generibus cauſatum incipiẽdum eſſet à priori genere, ſcilicet à genere cauſæ finalis, prius. natura enim eſt hoc genus cauſæ: & quod eſt natura prius, etiã de ipſo prius agendum: oppoſitum autem facit Ariſt. quia primo agit de materia. vltimo de fine. Dico, ꝙ verum dicis, eadem ratione pertractandi debuit Ariſt. incipere à genere cauſæ finalis. peruertit autem Ariſt. ordinem doctrinæ propter commodiorem doctrinã; nec hoc inconuenit. ſicut & prius erat agendum de plantis, quàm de animalibus: ob commodiorem tamen doctrinam peruertit ordinem Ariſt. quia prius agit de animalibus, quia partes plantarum, ex animalium partibus nobis innoteſcunt. & in hoc errauit Auerr. qui putauit librum plantarum librum de animalibus præcedere. in propoſito igitur debuit Ariſt. incipere à genere cauſæ finalis: quia materia prima erat nobis notior, quia ſenſibilior eſt. ſubijcitur enim ſenſibus ratione accidentium, & merito trãſmutationis: finis autem ignotior: quia nullum eſſe poteſt præter quàm in imagine. rationabiliter ergo Ariſt. initium fecit à prima materia tanquã à nobis notioribus. Erat quarta dubitatio, quia Auerroes dicebat, præter primã formam, & primam materiam omnes formæ, & materiæ ſunt compoſitæ: dubitabatur, quidnã intelligeret Auerroes, per primam formam, & quid per compoſitam. ſimiliter, quid per materiam compoſitam, & materiam primam. Dico, prima materia hic apud Auerroem bifariam poteſt intelligi, vel prima materia generabilium, cuius eſſe demonſtratur per tranſmutationem. poteſt etiam intelligi materia prima ſimpliciter, ſcilicet corporum cœleſtium, & hæc eſt alterius rationis materia generabilium, vt oſtendit Ariſtoteles. 8. Phyſicorum: quia de facto ita vult Ariſtoteles; licet alij aliter teneant. de vtraque harum materiarum poſſunt verificari verba Auerrois, ſcilicet quòd per primam materiam intelligatur vtrunque: maxime tamen verificatur de materia generabilium. cum vero dicit, omnes præter primam ſunt compoſitæ materiæ, intelligit quòd omnes materiæ præter primam generabilium ſunt compoſitæ intrinſeca compoſitione, vt ſi dicam, ex materia prima generantur elementa: ex elementis autem generantur humores. hæc materia humorum eſt compoſita ſecundum Auerroem intrinſeca compoſitione: quia ad generationem humorum requirũtur elementa, quæ includunt primam materiam. hic autem per primam formam intelligit Auerroes primam formam ſubſtãtialem generabilium, & corruptibilium, ſcilicet formas ſubſtantiales elementorum. hæ enim dicuntur primæ cauſæ in genere generabilium, & corruptibilium: quia in nullas alias poſſunt reſolui per formam compoſitam. Auerroes præter has formas, ſcilicet ſubſtantiales elementorũ, intelligit omnes alias formas mixtorum in genere, vt diximus, generabilium. & improprie nec reuera Auerroes appellat has formas compoſitas, ſed tantum virtute quadam, & reſolutione quadam: quia ſcilicet non poſſunt eſſe formæ aliquæ in cõpoſitis, niſi præceſſerint formæ ſimpliciũ: quia omnia mixta componuntur ex ſimplicibus. ideo forma mixti in ſuo genere præſupponit formam ſimplicium, & ipſa forma mixti reſoluitur etiam in formam ſimplicium; ideo hoc pacto vocatur compoſita, ſed improprie, vt videtis, &c. Sed vos dicetis, nunquid, ſicut tu ponis in ſubſtantijs formas ſimplices & compoſitas, ita ſit in accidentibus, ꝙ ſcilicet aliquæ formæ accidentium ſint ſimplices, & aliquæ compoſitæ, &c. Secundo quæritur, nunquid, ſicut tu ponis in ſubſtantijs generabilibus & corruptibilibus compoſitionem formarum, ita ſit in ſubſtantijs ſimpliciter primis, & abſtractis hæc cõpoſitio formarum, &c. Dico ad primum, ꝙ eadem eſt ſimplicitas & compoſitio formarum in accidentibus, ſicut poſuimus in ſubſtantijs eſſe formas ſubſtantiales elementorũ, & omnes alias eſſe compoſitas: quia in ſui generatione præſupponunt ipſas, & in eaſdem reſoluuntur, ita eſt in generatione accidentium: quia qualitates elementorum ſunt primæ qualitates & omnes aliæ ſunt ſecundariæ, & præſupponunt primas, & in eas reſoluuntur, ſicut compoſitio communis, ſeu tẽperamentũ cõponitur ex primis qualitatibus, & ipſas præſupponunt, ita etiã, cũ reſoluitur, reſoluitur in ipſas, qualis ergo eſt in ſubſtantijs ordo, talis eſt in accidentibus, &c. De ſecũdo dico, ꝙ etiam in formis ſeparatis eſt quędam compoſitio: quia formæ inferiores recipiunt ſuperiores, tãquam in notionem, & amorem ſui, vt forma ſecunda recipit primam in ſe tanquam notionem & amorem, ita tertia recipit primam, & ſecundam, & ſic ſucceſsiue. eſt etiam quædam reſolutio, vt infima reſoluatur in ſuperiorem, & ſuperior in ſuperiorem, vſque ad vltimã, ſcilicet ad Deum: quia, vt dicit Auerroes, omnis ſubſtãtia præter primam eſt aliquo modo compoſita, & ſic tota conſideratio ſubſtantię inferioris, tota notio, & totus amor eſt in conſideratione ſuperioris ſubſtantiæ. & ita recipit reſolutionem in aliam. & ſic aliquo modo ſunt compoſitæ. patet ergo quòd intellexerit per primam materiam, & primam formam, & materiam compoſitam, & formam compoſitam:

LECTIO DECIMASEPTIMA.

SEQVITVR tertia dubitatio circa minorem propoſitionẽ: quia ipſe ſumit ſuam maiorem tanquam manifeſtã, & ipſam non probat, immo nec eam ponit in textu. videtur ergo petere principium Ariſtotelis, quia aſſumit, quod probatum erat. hic tunc duo modi dicendi, inquit Simplicius, primus eſt Porphyrij: quod ideo Ariſtoteles omiſit hanc minoris probationem, & ipſam aſſumit tanquam manifeſtam, quia non ſpectat ad philoſophum naturalem eam probare. non enim, inquit Porphyrius, ſpectat ad philoſophum naturalẽ probare ipſum verſari circa quatuor genera cauſarum, ſed ſpectat ad ſuperiorem artificem. hoc enim eſt mathematici munus. ideo dimiſit eam probationem ſuperiori artifici, & vtitur hac probatione, tãquam demonſtrata in ſuperiori arte, &c. Sed Porphyrio obijcit Simplicius quia non eſt verum, quod ipſe dicit, ꝙ nulla ſcientia poſsit demonſtrare ſua principia: quia medicus probat corpus conſtare ex quatuor elementis, & grammaticus probat orationem vocalem conſtare ex. 24. literis, & ita, dicit Simplicius, etiam philoſophus naturalis poteſt probare ſua principia, verum eſt, inquit ipſe, quod nulla ſcientia poteſt probare vim, & naturam ſuorum principiorum: poteſt tamen probare principia: ergo medicus poteſt oſtẽdere corpus humanum conſtare ex quatuor elementis: non tamen poteſt oſtẽdere vim & naturam, & facultatem quatuor elementorũ. ſed hoc eſt munus philoſophi naturalis. ita grammaticus poteſt oſtendere orationem vocalem conſtare ex. 24. literis: non tamen poteſt oſtendere vim, & naturam, & facultatem. 24. literarum, ſed hoc eſt muſici. eodem pacto philoſophus naturalis demõſtrat corpora naturalia conſtare ex principijs ſuis, vt ex materia, & forma: non tamen poteſt oſtendere vim, naturam, & facultatem ipſorum principiorum, ſed ſpectat ad ſuperiorem artificem. & ideo, inquit Simplicius, cum Ariſtoteles in hoc libro inquit, ꝙ materia prima non comprehenditur, niſi ex analogia ad formam: loquitur ibi, vt metaphyſicus, non vt naturalis: quoniã non eſt ipſius naturalis oſtendere vim illam, & proprietatem de materia. vnde conſequitur, inquit Simplicius, quòd Ariſto. paulo infra loquens de forma primo, huius vltimo inquit: De principio autem formali nunquid vnum, vel plura ſit. dicit enim munus metaphyſici, id eſt primi philoſophi eſt oſtendere, nunquid genus cauſæ formalis ſit vnum vel plura. inquit enim Ariſtoteles, ad aliud tempus dicemus. eſt enim hoc alterius negocij: quia & deſignat eſſe munus metaphyſici; & ſi aliquid dicat de principijs, loquitur tanquam metaphyſicus, non vt philoſophus naturalis. ſed hoc, quod dicit Simplicius, longe alienum eſt à veritate. primo dicit, quòd licet grammaticus poſsit oſtendere orationem vocalẽ conſtare ex 24. literis, nihil minus nõ poteſt oſtendere vim, naturam, & facultatem literarum, ſed hoc eſt munus muſici. ſequitur ergo quòd muſica ordine doctrinæ pręcedit grammaticam. hoc autem falſum eſt, & omnino abſurdum: quia grammatica ordine doctrinæ omnes ſcientias, ac artes præcedit. cum male dicit Simplicius, quòd Ariſtoteles infra declarans, quòd materia prima non comprehenditur niſi analogia ad formam, ibi quatenus metaphyſicus non naturalis loquatur. hoc falſum eſt: quia Ariſtoteles docebit nos hanc proprietatem ex tranſmutatione, quatenus eſt tranſmutabilis: ergo vt philoſophus naturalis. nihil. n. cõſiderat metaphyſicus ſecundum tranſmutationem, at motum. cognoſcimus igitur materiam primam ex eo, quòd imaginamur ſubiectum quoddam expers omni forma: omnem tamen formam recipere poteſt. Quod etiam dicit Simplicius de illis verbis Ariſtotelis de cauſa formali: ꝙ ſcilicet, an principium formale ſit vnum, vel plura, alterius eſt negotij: interpretatur Simplicius verba Ariſtotelis de forma naturali, & ſimpliciter de omni forma. ſed errat Simplicius: quia Ariſtoteles ibi loquitur de primo principio naturali, nõ de forma naturali concernẽte materiam. poſtquam enim Ariſtoteles dixerat, quòd philoſophus naturalis nõ conſiderat de omni forma, ſed tantum de forma concernente materiam; quia omnia cum motu conſiderat: ſubiungit deinde Ariſtoteles: de formali autem principio ſeparato à materia, nunquid vnum ſit, vel plura, primi philoſophi eſt oſtendere. & ita reſponſio Simplicij non ſatis vera eſt, &c. Ideo aliter inquit Ioannes Grammaticus, quòd ſcilicet ideo Ariſtoteles omiſit probationem illius minoris, quia erat quaſi manifeſta. Theophraſtus autem, inquit Ioannes Grammaticus, ſic eã probauit, quia omnes res naturales vel corpora ſunt, vel in corporibus conſtitutæ, vt ſunt accidentia: ſed omnia corpora, & quę in corporibus ſunt cõſtituta, cõpoſita ſunt: ergo res naturales habent principia cauſas, & elementa. minorem propoſitionem huius ſyllogiſmi probat Theophraſtus: quia, quod corpora ſint compoſita, clarum eſt. ꝙ autẽ, ꝙ in corporibus conſtituta ſunt, compoſita ſint, probatur: quia omnes res, & accidentia, & affectus corporis definiuntur: omnis autem definitio conſtat ex genere & differentia (componitur enim ex genere & differentia tanquã ex principijs) ergo hæc, quæ in corporibus ſunt conſtituta, conſtãt ex genere & differentia: ergo compoſita ſunt: ergo habent principia, ex quibus componuntur. ſed Theophraſto obijcit Ioannes Grammaticus, quia tu non probas hæc eſſe cõpoſita compoſitione reali, & ſubſiſtẽte. definitio enim quæ conſtat ex genere, & differentia, non eſt in re, & non ſubſiſtit, & tantum iſta compoſitio eſt apud intellectum: genus & differentia ſunt partes rei apud intellectum, & nullam habent ſubſiſtentiam, ſed abſtracta ſunt à materia. nõ ergo eſt philoſophi naturalis, vt materia, & forma non ingrediantur hanc talem definitionem, &c. vnde aliam reſpõſionem dat Ioannes quòd Ariſtoteles reuera omiſit hanc minoris probationem, tanquam manifeſtam: quia omnes res naturales, aut ſunt corpora, aut accidentia in corporibus. ſi ſunt corpora, ſunt compoſita; hoc clarum eſt. ſi autem ſunt accidentia, ſunt etiam compoſita, quia ſubſiſtunt: non poſſunt autem ſubſiſtere niſi in corpore naturali: ſunt in corpore naturali: ergo ſunt compoſita, inquit Ioãnes, hoc pacto ſcilicet, quia componũtur cum corporibus ſuis, in quibus ſubſiſtunt, &c. Sed hoc, quòd dicit Ioannes, abſurdum eſt, primo, quia corpora naturalia habere principia non eſt manifeſtum. nec iõ hic Ariſtoteles omiſit probationem ſuæ minoris, quia eſſet manifeſta. probauit enim Ariſtoteles corpora naturalia cõſtare ex forma, & materia: non ergo omiſit hanc probationem, tanquam manifeſta eſſet illa propoſitio. Quòd etiam vult probare Ioannes accidentia eſſe compoſita, fruſtra laborat ad id probandum: quia per res naturales nõ intelligit Ariſtoteles accidentia, ſed corpora naturalia, quæ ſubſiſtũt, hæc habent principia, cauſas, & elementa realia, & ea etiã, quę fiunt in ſublimi: quia fruſtra laborat Ioannes in probãdo accidentia cõponi cũ ſuis ſubſtantijs, & corporibus, &c. Ideo ego aliter dico, ſicut videtur dicere Sĩplicius ex Theophraſto. notaui enim quædam verba Simplicij, ex quibus dici poteſt hoc ꝙ ſcilicet ideo Ariſtoteles hic omiſit probationem ſuæ minoris: non quia ſit manifeſta, ſed ipſum reliquit ad ſequentes diſputationes. inferius enim Ariſtoteles cõuenientius oſtendet omnia corpora naturalia componi ex materia & forma mediãte tranſmutatione, ſcilicet ſi ſint

corpora

corpora generabilia,& corruptibilia. ſi autem ſunt corpora æterna, vt cœleſtia, oſtendet ipſa conſtare ex materia,& forma per motũ localem, vt facies infra: ergo philoſophus ex hoc, quia omne quod mouetur, ab alio mouetur: ergo conſtant ex duabus naturis, vna, quę rationem habet agendi,& motoris: altera, quæ habet rationem patiendi,& moti. Eſt quarta,& vltima difficultas ſuper hunc textum: quia, ſicut expoſuit Simplicius, Alexander, teſtimonio Platonis, inquit, quòd ſcientiæ ſubalternatæ in proprio genere, ſ inter proprios terminos nõ ſunt ſcientia: quia demonſtrantur ex principijs, quorum eſt altera demonſtratio. ideo non ſciũtur hæc principia, niſi aſcendamus ad ſciẽtiam ſuperiorem, in qua probatur, ignoratis principijs ignorantur & concluſiones: ergo ſcientię ſubalternatæ in proprio genere nõ ſunt ſcientię: quia oportet aſcendere ad ſcientiam ſuperiorẽ eius principia probantem. Quæritur an hoc, quod dicit Alexander, ſit verum. Dico, veriſsima eſt ſententia Alexandri, quia eſt etiã Ariſtotelis 1. Poſterio. inquit.n. Ariſtoteles ꝙ omnis demõſtratio debet eẽ ex primis,& imediatis, & oportet reſoluere propoſitiones mediatas ad imediatas,& indemõſtrabiles, ſi aliquis debeat ſcire, non eſt ſciens nõ habens demonſtrationem. non enim poſſumus, ſcire aliquam concluſionẽ, niſi reſoluamus præmiſſas ad propoſitiones primas, & indemonſtrabiles. ideo iſti patres quærunt, an Theologia in proprijs terminis ſit ſcientia: quia habet ſua principia à metaphyſico: ſcientia ergo ſubalternata ſolum, vt aſcendit, id eſt vt reſoluit ſua principia ad ſuperiorem ſcientiam: ideo recte dixit Alexander ex ſententia Platonis, quę etiam eſt Ariſtotelis primo Poſt. Innata eſt autẽ via ex notioribus nobis, &c. horum textuum difficultatem indicant diuerſæ expoſitiones à diuerſis expoſitoribus datæ. tot.n. fere ſunt expoſitiones, quot expoſitores ſunt. ideo bene aduertatis. ego vobis prius tradam expoſitionem græcorum: & initium ſumã ab expoſitione Ioannis Grammatici, poſtea declarabo expoſitionem Simplicij,&c. Expoſitio Ioãnis eſt quòd Ariſtoteles, hic in tota ſerie horum verborum vſque ad textũ ſextum, ibi ſcilicet, neceſſe eſt autem vnum eſſe principium, aut plura,&c. In toto hoc proceſſu Ariſtoteles loquitur de ordine doctrinæ:& aduertatis, ꝙ Ioannes in hac expoſitione non ſibi conſtat. videtur enim in principio exponere hic Ariſtoteles intendere viam doctrinæ expreſſe, tamen ſecundum Ioannis expoſitionem videtur hic Ariſtoteles non loqui de ordine doctrinę. & ego oſtendam vobis, ꝙ in multis errauit Ioannes in expoſitione horũ verborum. inquit enim hic Ariſtotelem intendere tradere nobis ordinem inter partes naturalis ſcientiæ deſcriptæ, & ita ponit primam expoſitionem horum textuum, quam reprobat: intendit ergo hic Ariſtoteles tradere nobis ordinem inter partes ſcientiæ naturalis:& primo Ioannes ponit continuationem horum textuum cum præcedẽti, & inquit, cum dictum ſit in prima procemij parte, quòd non poſſumus acquirere aliam ſcientiam ſine cognitione principiorum, cauſarum, & elementorum. hic vult nobis Ariſtoteles tradere modum, quo poſsimus aſſequi hãc principiorum cognitionem: & ita in diſputatione ſequenti intendit Ariſtoteles docere nos, à quo incipiendum ſit in horum principiorum cognitionem, & quis eſt iſte modus cognoſcẽdi principia. dicit Ioannes, quia principia ex alijs prioribus oſtendi, ac probari non poſſunt. ſic enim rerum probatio abiret in infinitum: ideo principium doctrinæ, quo inueſtigare debemus principia, ſumendum eſt à nobis notioribus, ac magis manifeſtis ad notiora, magiſque manifeſta naturę: doctrina ergo ſequens, in qua intendimus notitiam principiorum, inchoanda eſt à nobis notioribus, & prioribus ad notiora & priora naturæ. hic eſt ordo doctrinæ tradẽdi principia, ſed quæ ſunt iſta nobis notiora, & priora, ignotiora naturæ, à quibus ſumimus initiũ in tradendis principijs. At ſunt vniuerſalia, quę Ariſtot. appellat confuſa. inquit ergo Ioannes, quòd Ariſtoteles deſcribens nobis ordinem doctrinæ de principijs ait, ꝙ initium doctrinæ ſumendũ eſt à nobis notioribus: ignotiora autem naturę; ad ignotiora nobis. & notiora naturæ. & reddit cauſas Ioannes, quare ſit ita procedendum, quia, inquit, ordine doctrinæ in ſcientia principiorum naturalium incipiendũ eſt à notioribus nobis,& prioribus ad poſteriora & ignotiora naturæ: quia primis principijs, quæ hic quærimus, non ſunt alia principia priora,& notiora naturæ, ſed ipſa ſunt ſimpliciter priora, & notiora; quia vero non eſt idem nobis notum. & naturæ, ideo à nobis notioribus ſumendum eſt initium doctrinæ. iſta vero nobis notiora, ignotiora autẽ naturæ, ſunt vniuerſalia, quæ Ariſtoteles appellat confuſa, &c. Sed tu dicis, quæ ſunt illa vniuerſalia confuſa, à quibus ſumendum eſt initium doctrinę, tanquam à nobis notioribus hic bipartita eſt expoſitio. ego loquor hic, de expoſitionibus: quia nunc non intendo aliud niſi expoſitionem Ioannis ſolam declarare: duplex ergo opinio eſt de iſtis vniuerſalibus confuſis. Aliqui dicunt, & hęc poteſt eſſe expoſitio D. Tho.& Alberti Alamani. dicunt ergo iſti, quòd cũ vniuerſale ſit duplex, vnum eſt ante multa, ꝙ eſt ante rem: & hoc eſt notio rei fiendæ in mente diuina. eſt enim ante rẽ: quia prius & ab æterno eſt illa notio Dei, quã producatur res. ideo appellatur vniuerſale ante rem. Aliud eſt vniuerſale poſt rem, ſcilicet notio vniuerſalis collecta ex ſuis ſingularibus, & ex conuenientia ſingularium in ipſa: quia talia ſingularia in ipſa conueniunt, & eſt notio generis, vel ſpeciei, vt animal & homo: nullus poteſt habere hanc notionem niſi ex notitia ſingularium. tertium vniuerſale eſt, quod eſt in re, ſcilicet natura quædam communis, quæ à pluribus participatur. & reuera tale nõ eſt vniuerſale: quia in re eſt, ſcilicet in particularibus: dicitur tamẽ vniuerſale, per participationem: quia à pluribus particularibus participatur, vt in me eſt proprietas, quæ ideo dicitur vniuerſalis: quia etiam alijs ineſt. nõ enim taliter eſt in me, quin pluribus ineſſe poſsit. hac ratione dicitur vniuerſale in re: quia à pluribus participatur. & de hoc vniuerſali hic loquitur Ariſtoteles, dicunt iſti, ſcilicet ꝙ iſta natura communis, ꝙ ſcilicet eſt notius nobis hoc vniuerſale,& ab hoc ſumendum eſt initium doctrinæ. non enim loquitur de vniuerſali ante rem: quia hoc ſpectat ad Theologum, neque de vniuerſali poſt rem: quia ſpectat ad logicum. reliquum ergo eſt, vt de vniuerſali in re loquatur ſcilicet de iſta natura communi, per participationẽ plurium ſingularium. inquit ergo Ariſtoteles, ſecundum iſtos, ꝙ ad cognitionem principiorum ſumendũm eſt initium doctrinæ à nobis notioribus, & prioribus ad ignotiora & poſteriora naturæ,&c. per hęc autem vniuerſalia confuſa intendit vniuerſale in re, ſcilicet materiam illam communem per participationem. & quòd ita ſit, probat Ariſtoteles triplici ſigno: primo, quia inquit Ariſtoteles, ita eſt ex parte intellectus, ſicuti ex parte ſenſus eſt. ſed totum eſt notius: ergo ſic etiam erit ex parte intellectus. ſed vniuerſale eſt quoddam totum: quia multa comprehendit: ergo ſimpliciter ex parte intellectus vniuerſale cum ſit quoddam totum, eſt notius, & vti declaraui, ꝙ vniuerſale iſtud confuſum ſit notius intellectus quoddam exemplo: quia, cum aliquem eminus venientem intuemur, prius per vniuerſalia illum cognoſcimus, quàm per particularia, vt primo cognoſcimus, ꝙ eſt corpus, quoniam ſubſiſtit: deinde, ꝙ eſt animal, quia mouetur: deinde, ꝙ eſt homo, quia eſt erectæ figuræ. vltimo, ꝙ eſt Socrates, ex pro-

prijs conditionibus ſingularibus,&c. ſecundum ſignum po nit Ariſtoteles ad probandum idem per difficile indefinitum, ex quo quoddam totum diſtinctum notius eſt, quàm definitio ipſa quæ eſt, ſicut partes definiti. eodẽ pacto pueri comprehendunt hoc vniuerſale cõfuſum: quia prius appellant omnes viros patres,& omnes mulieres matres, non diſtinguentes: primo ergo vniuerſaliter & confuſe apprehendunt: deinde diſtinguunt patrẽ verum ab alijs, qui nõ ſunt patres. & ita nobis declarat Ariſtoteles ordinem doctrinæ de principijs ꝙ ab vniuerſali eſt incipiendum. ꝙ autẽ hũc ordinem ſeruauerit, patet, dicit Ioannes: quia volens facere ſermonem de principijs naturalibus initium ſumit à quodam vniuerſali indiſtincto. inquit enim, neceſſe eſt autem aut vnum, aut plura eſſe principia. Item facturus ſermonẽ de prima materia, primo incipit à materia communi, quæ indifferẽs magis eſt generabilibus, & corruptibilibus, quàm corporibus cœleſtibus. poſtea procedit ad materiam generabilium, cum dicit, quòd per ſe eſt expers omnium formarum: eſt tamen in potẽtia ad omnem formam. quare patet, ꝙ Ariſtoteles in notitia principiorum naturalium fecit initium ab vniuerſalibus, quæ ſunt in re,&c. Sed hæc expoſitio non placet Ioanni Grammatico, ſed conuenit cum ipſa hucuſq;, quia Ariſtoteles in his textibus agat de ordine doctrinæ,& quòd ab vniuerſalibus confuſis ſit incipiendum. exponendo vero quæ ſint hæc vniuerſalia confuſa, diſſentit à prima opinione:& ideo ipſam reprobat. & primo, quia ipſi exponunt illud vniuerſale, quod eſt in re. ſed huic expoſitioni obſtant exempla, quæ ipſi ponunt. non enim exemplificãt de vniuerſali, quod eſt in re, cum dicunt, quòd ſi aliquem eminus veniẽtem intuetur, primo illum percipimus vt corpus, deinde vt animal; modo animal non eſt vniuerſale in re, nullam enim habet ſubſiſtentiam, ſed eſt vniuerſale, ꝙ prædicatur de multis: quia eſt ſingularium,&c. Secundo falſa eſt opinio iſtorum in alio, inquit Ioannes, quia exemplum de pueris exponunt, ꝙ pueri primo comprehendunt patrem ſub ratione vniuerſali, & eſt quædam natura cõmunis in particularibus.& ſic vniuerſale eſt in re.& ideo omnes viros appellant patres. poſtea diſcernit verũ patrem à falſo; quia comprehendunt patrem ſub ratione particulari ex particularibus conditionibus. ſed inquit Ioannes, quo modo poteſt hoc eſſe verum, quòd pueri habeant cognitionem vniuerſalis: quia puer nondum habet verã diſcretionẽ: neque tenet figuras diſtinctas ſingularis. cum enim ita cõfundit, nõ recte apprehendit puer: quia nõdum ſcit diſcernere, neque cognitionem habere vniuerſalis. Tertio, inquit Ioãnes, errat hæc opinio: quia vniuerſale illud ita ignotum eſt nobis, ſicut naturæ: quia natura tantum ſcit, quod efficit. at ipſa nullum vniuerſale efficit, ſed ſolũ ſingularia: ideo primo ſcit ipſa ſingularia. ita etiã nobis vniuerſale eſt ignotius ſingularibus. notitiam enim vniuerſalium acquirimus ex collectione ſingulariũ: ergo vniuerſale nobis poſterius notum eſt & ignotius ſingularibus. nam primũ ſingularia percipimus: deinde intellectus colligens particularia ſenſu cognita facit congregationem vniuerſalem, quam poſterius ſcit: quo modo ergo, ſi ab his humilibus initium ſumemus, inquit Ioannes, procedemus, à nobis notioribus, & prioribus.&c. Quarto, & vltimo, peccat in alio hæc opinio: quia per vniuerſale exponendo vniuerſale, in re, vt genus ſcilicet, animal dicit, quod ſignificat nobis cõfuſum. per vniuerſale enim confuſum intelligit hoc vniuerſale in multis, vt animal: quia Ariſtoteles hic loquitur de vniuerſali confuſo. ſed hoc non eſt verum, inquit Ioannes ꝙ animal cõfuſe ſignificet, immo diſtincte,& determinate ſignificat naturam animalis. genus enim,& ſpecies,& differentia ſignificant diſtincte ſuam naturam: quoniam, quando animal dico, inquit Ioannes, iam ipſe definio ſubſtantiam quæ etſi de infinitis, vel de vno diceretur, non magis vel minus animalis ſubſtantia cognoſceretur: quomodo ergo iſti per vniuerſale confuſum exponunt de vniuerſali in re, quod eſt animal,&c. Quid ergo dicendum. At, inquit Ioannes, Ego aliter expono verba Ariſtotelis. conuenit enim Ioãn. cum hac expoſitione ſuperiori, quòd hic Ariſtoteles tradat ordinem doctrinæ, ſed de principijs ſolum diſcrepat in declaratione, inquiens, quòd intendat Ariſtoteles per vniuerſale confuſum, vniuerſale non quidem proprie vniuerſale; ſed indiuiduum indeterminatũ, ſcilicet particulare ipſum quod Alexander appellat indiuiduum vagum. & hoc particulare ait Ioann. diſtinguitur à ſingulari, vt docet nos Ariſtoteles in libro Perihermenias, ꝙ ſingulare, definitum eſſe videtur: ipſum vero particulare, indiſtinctum. & quòd ita ſit, dicit Ioannes, patet, quia, ſi per particulare intelligimus genus, vel ſpeciem, hæc non ſunt confuſa: quia ſignificant aliquid determinatum. animal enim ſignificat determinatam naturam animalis,& homo determinatam naturã hominis. ſi vero per vniuerſale intelleximus particulare ipſum vt aliquis homo, vel aliquod animal, hoc quidem eſt confuſum, & indiſtinctum quoddam: quia non ſignificat nobis naturam aliquam diſtinctam, & determinatam; ſed confuſe, indiſtincte,& indeterminate competit his, quibus competit. aliquod enim animal eſt homo, equus & vnumquodque cęterorum animalium. ita aliquis homo poteſt eſſe Socrates,& Plato,& vnuſquiſque homo: confuſe ergo & indiſtincte nobis ſignificat hoc particulare. poteſt etiam dici vniuerſale, ait Ioannes, quia pluribus competere poteſt: ſingulare vero non vni ſoli. merito ergo Ariſtoteles per vniuerſale confuſum intelligit particulare ipſum, ſcilicet indiſtinctum,& indeterminatum, vt aliquod animal,& aliquis homo. inquit ergo Ariſtoteles, cum intendamus cognoſcere cauſas naturales. cognoſcitur vnumquodque, cognitis eius principijs.& quia non eſt principiorum alia inuenire priora, ideo à poſterioribus & ignotioribus naturæ nobis non notioribus ſumendum initium ad cognitionem horũ principiorum. hæc autem ſunt vniuerſalia, quæ pluribus competunt,& confuſa ſunt, ſcilicet indiſtincta ſingularia. ideo ab ipſis confuſis eſt inchoandum, quandoquidem communiores & indiſtinctæ imagines nobis ſemper prius occurrant: deinde ad ſingularia procedemus, id eſt ad magis proprias, & determinatas notiones. quæ autem ſint iſta ſingularia ad quæ procedendum eſt, exponit Ioannes dicens eſſe res naturales, quæ ideo ſingularia ſunt, quoniam ſubſiſtũt. nullum enim vniuerſale, inquit Ioannes, per ſe ſubſiſtit, ſed ſolum ſingularia. cũ ergo res naturales ſubſiſtant, ſingularia ſunt. & ita facit maximas confuſiones in dictis ſuis Ioannes, & miror paruam eius cõſiderationem. ad cognitionem igitur principiorum inchoandum eſt à nobis notioribus ad notiora naturæ,& quæ ſunt iſta? ſunt vniuerſalia. & quæ vniuerſalia? confuſa.& quid eſt hoc vniuerſale confuſum? particulare ipſum: deinde oportet nos procedere in ſingularia, id eſt in cognitione rerũ naturalium, quæ ideo ſingularia ſunt, quia ſubſiſtunt.& ideo hoc faciendũ, quia indiſtinctæ imagines ſemper nobis prius occurrunt, & exemplificat Ioannes, vt, cum aliquem hominem, puta Socratem à longe intuemur, illum prius cognoſco eſſe aliquid corpus,& ita eius cognitio, quà corpus, eſt confuſa: quia non diſtincte cognoſco, quòd corpus ſit: deinde ipſum cognoſco, ꝙ eſt aliquod animal: poſtea, ꝙ eſt aliquis homo, mox, cum propinquius ei factus ſum, eius exactiſsimam, & certiſsimam cognitionem aſſequor. cũ ergo communes indiſtinctæq; notiones,

ſemper

ſemper prius occurrunt, ex quibus procedimus ad magis proprias, ac diſtinctas: ergo in notitiam principiorū ex vniuerſalibus ad ſingularia nos procedere oportet. & quod ita ſit, declarat Ariſtot. triplici ſigno. primo, quia eſt ita ex parte intellectus, ſicut eſt ex parte ſenſus; ſed ſenſus primi apprehendit totum, quàm partes. ſi enim aliquid animal longe accedat, profectò viſus primo apprehendit totū animal, quàm ipſius partes, ſcilicet quàm caput, manum. ita etiam eſt ex parte intellectus: quia vniuerſaliora & communiora nobis notiora ſunt, quàm proxima, & propria, &c. Secundo patet, ꝙ totum ex parte intellectus eſt notius ſuis partibus. & patet de re definiēda: quia omnis res, quæ definitur, confuſe, nobis eas partes ſignificat, quas definitio clare, diſtincte, & explicite declarat, & nomen rei definiendæ prius nobis innoteſcit definitione ipſius, vt prius nobis innoteſcit nomen circuli, quàm quid ſit eſſe ipſius. itidem nobis prius innoteſcat nomen hominis, quàm quid eſt homo. nomen enim vniuerſaliter, & confuſe ſubſtantiam rei ſignificat: definitio vero diſtincte, diuiſimque ſignificat vnumquodque eorum, quæ rei inſunt tertium ſignum dat Ariſtoteles de pueris: quia pueri primo appellant omnes viros patres, & omnes mulieres matres: quia primo eis occurrit notio vniuerſalis confuſa. prius enim cognoſcunt patres ſub ratione patris ſimpliciter: poſtea, cum acquirunt vim diſcretiuam, diſcernunt verum patrem à falſo: quia tunc comprehendunt patrem ſub ratione huius patris, non amplius ſub ratione ſimpliciter. confuſum ergo vniuerſale notius eſt nobis quàm ſingulare ipſum. hæc eſt tota expoſitio horū textuum Ioannis Grammatici quam, nunquid vera ſit in ſequenti declarabimus.

LECTIO DECIMAOCTAVA.

DECLARAVI vobis opinionem Ioannis Grammatici, quomodo exponebat illos textus, ſcilicet de ordine, ꝙ ad cognitionem principiorum erat inchoandum ab vniuerſalibus confuſis ad ſingularia: & exponebat per vniuerſale confuſum particulare ipſum, quod mediat inter ſpeciem & ſingularem, ſcilicet inter hominem & Socratem. incipimus. n. ab vniuerſali confuſo, vt eſt aliquis homo: poſtea progredimur in ſingularia, id eſt in cauſas naturales. & hoc pacto procedimus à principijs in principiata. hic eſt ordo doctrinæ, &c. Sed hæc opinio Ioannis nedum falſa eſt: ſed mihi videtur inanis, & puerilis. & primo, quia ipſe in expoſitione primorum verborum ſecundi textus, ſcilicet innata eſt nobis, &c. in qua ſibi aduerſatur. expoſitiones enim illa, ait, cū dixerit in ſuperiori parte proœmij Ariſtoteles nos nō poſſe aſſequi ſcientias rerum naturalium, niſi ex cognitione principiorum, his verbis vult nobis tradere modum, quo poſſimus aſſequi talem principiorum ſcientiam. & quoniam duplex eſt demonſtratio, inquit Ioannes, vna ſimpliciter ex prioribus natura in poſteriora, id eſt ex cauſis in cauſata: alia ex poſterioribus natura in priora, id eſt ex cauſatis effectibus in cauſas. ideo Ariſtoteles docet nos, quòd ſi volumus aſſequi notitiam principiorum, non debemus vti demonſtratione ſimpliciter, id eſt ex cauſa in cauſatū. & reddit rationem Ioannes: quia ſi principiorum non eſſent alia principia priora, per quæ probarentur, ſic rerum probatio abiret in effectum: non ergo ex natura prioris ſunt demonſtranda principia, ſed ex propinquioribus ſenſus, quæ ſunt magis compoſita. prima enim principia ſunt nobis occultiora, quàm principia compoſita. ideo hoc modo demonſtrationis vtendum eſt in probandis principijs. ecce quo modo Ioannes in primis verbis ſibi cōtradicit: quia hic in ſuis primis verbis loquitur de modo doctrinæ, id eſt de via doctrinæ, & de genere demonſtrationis. ordo vero doctrinæ eſt ordo inter partes ſciētiæ, id eſt de qua parte prius agendum à qua ſcilicet prius inchoandum eſt: exponit ergo Ioannes de via doctrinæ illa verba Ariſtotelis, ſcilicet quo genere demōſtrationis vtendū ſit in doctrina principiorum, quod ſcilicet vtendum ſit demonſtratione ex effectu in cauſam à compoſitis in ſimplicia: poſtea Ioānes paulo inferius exponit eadē verba Ariſtotelis de ordine doctrinæ. dicit enim quòd omnia hæc verba vſque ad textum ſextum exponēda ſunt de ordine doctrinæ, quòd ſcilicet in tradenda doctrina principiorum inchoandum eſt ab vniuerſalibus confuſis. vnde Ariſtoteles à nulla propria proprietate principiorum incepit, ſed à communi. inquit, neceſſe eſt principium aut vnum eſſe, aut plura, &c. Secundo Ioānes inter ſpeciem ſpecialiſſimam, & indiuiduum ponit prædicatam ſubſtantiale medium, quod eſt aliquis homo: ergo homo non erit ſpecies ſpecialiſſima: quia infra eam eſt alia ſpecies ſpecialior quæ prædicatur de multis numero differentibus, & eſt multum erroneum: quia ponit ſenſum apprehendendi vniuerſale. inquit enim cum eminus intuemur Socratem accedentem, prius comprehendimus ipſum ſub ratione, quà aliquid corpus: deinde quà aliquid animal, hęc prędicantur de pluribus, & ſunt in pluribus: ergo ſunt vniuerſalia, & per ſe ſenſus ea apprehendit: ergo ponis apprehendere vniuerſale: ergo, &c. Tum errat in alio expoſitio Ioannis, in qua de pueris exponit, quòd pueri omnes viros, appellant patres: quia prius apprehendunt patrem ſub ratione vniuerſali, quòd eſt aliquis pater, quàm ſciant diſcernere: ergo ipſe Ioannes incidit in eum errorem quem aſcribit primæ opinioni: quia etiam ipſe ponit pueros cognoſcere vniuerſalia. ideo quarto ex proceſſu Ariſtotelis redarguitur falſitas huius opinionis Ioannis: quia non eſt verum, ꝙ Ariſtoteles initium faciat ab aliquo indiuiduo indeterminato. cum enim tradit diſputationem de principijs, orditur ab hoc communi, ſcilicet neceſſe eſt principium vnū eſſe, aut plura, &c. hic nullum eſt indiuiduum vagum, & indeterminatum; ſed vtitur terminis vniuerſalibus etiam in eo, quod accipit Ioannes pro exemplo ad ſuam opinionem confirmandam. dicebat enim quòd faciens Ariſtoteles ſermonem de materia prima aggreditur primo de materia communi generabilibus, & corruptibilibus, & cœleſtibus: deinde deſcendit ad materiam generabiliū, & corruptibilium. At, quid eſt hoc? Ariſtoteles enim nullo indiuiduo indeterminato vtitur neque hic incipit ſuum ſermonem ab aliquo particulari, ſicut inquit Ioannes; ſed incipit à termino vniuerſali, &c. Quinta ratio eſt in expoſitione illorū verborum Ariſtotelis, vnde ex vniuerſalibus in ſingularia oportet procedere exponit Ioānes per ſingularia, id eſt res naturales, quæ ideo ſunt ſingularia: quia ſubſiſtunt, ſed ſiue iſte ſit ordo doctrinæ, ſiue via doctrinæ, quo modo erit verum dicere, quòd ex vniuerſalibus in ſingularia. oportet procedere accipiendo per ſingulare res ſenſibiles ſubſiſtētes, cum talia ſingularia ſint infinita, quæ apprehendi non poſſunt: quomodo ergo cognoſcendo ex vniuerſalibus in ſingularia procedendum eſt & cętera. Sexto, quia admiſſa illa Ioannis expoſitione, quæ ſibi ipſi repugnat: quia dicit, procedendum eſt ab vniuerſalibus, id eſt ab indiuiduo vago, & indeterminato, quia tale indiuiduū indeterminatum, ſcilicet particulare. ipſum eſt nobis notius, quàm ſingulare determinatum. deinde dixit Ioannes ꝙ illa priora ſunt naturæ quæ prius occurrunt generationi, quæ ſcilicet prius à natura generātur, ſed prius occurrūt particularia, ꝙ ſingularia: ergo illa naturę priora. non

ra.non ergo eſt procedēdum ab ipſis, tanquam à prioribus nobis,& notioribus.non enim eadē ſunt nobis nota,& naturæ.quòd autem ita ſit quòd particulare ſit prius natura,& notius natura, patet ex Ariſtotele tertio de generatione animalium, inquit, prius generantur equus in eo quòd animal eſt aliquid,quàm in eo,quòd hic equus,hoc eſt,prius eſt in genere,quàm in ſpecie. nec inconuenit, ꝙ aliquod ſit in genere,& non ſit in ſpecie: quia hic eſt imperfecta generatio, quæ nondum attingit ſpeciem : primo ergo generatur hoc animal,quàm hic equus : nam ergo prius ſunt vniuerſalia,q̃ ſingolaria,ideo,&c.Secundo, quia non eſt verum,ꝙ ſimpliciora ſint naturæ notiora,& priora nobis,aut ignotiora:cōpoſita autem econtra. At, Ariſtoteles primo Poſt.oppoſitum dicit,ꝙ ſcilicet ea,quę ſunt ſimpliciora,ſunt etiā priora naturæ notiora.vnde prius eſt genus,quàm ſpecies,& ſpecies quàm indiuiduū , & particulare: quia ſpecies addit generi naturam ſpecificam;ſingulare autem addit ſpeciei naturam.ſingularia ergo hæc poſteriora, ex quo magis compoſita:ſingularia ergo ipſa nobis erunt notiora quàm perſona,& propria magis , & prius nota naturæ , & prius nota q̃ ſingularia,cuius oppoſitum dicit Ioannes,&c. Tertio ex verbis Ariſtotelis primo Poſt.& Ioannes videns hanc difficultatem, ꝙ verba Ariſtotelis directe ſuæ expoſitioni opponuntur , nititur euadere difficultatem. eſt ergo difficultas,quia Ioānes dixit in ſua expoſitione, quòd indiuiduum eſt notius natura,quàm vniuerſale. oppoſitum dixit Ariſtoteles primo Poſt.quia, inquit, ea nobis notiora ſūt,quę ſenſui propiora ſunt , huiuſmodi autem ſunt ſingularia, inquit Ariſtoteles , tu modo dicis oppoſitum quòd vniuerſalia nobis notiora ſunt.Nititur Ioannes exponere verba Ariſtotelis primo Poſter.vidit enim & ſibi aduerſari, & inquit primo Ioannes,illa verba Ariſtotelis nō aduerſantur hic:quia ibi alio modo ſumit vniuerſale:alio modo hic . loquitur.n. Ariſtoteles primo Poſteriorum de vniuerſali vero,quę autem hæc,inquit Ioānes,ſunt genus,& ſpecies,quæ naturam determinatam ſignificant,vt animal, & homo. illud autem vniuerſale,de quo dixit hic Ariſtoteles habere ſermonem, non eſt verum vniuerſale,ſed eſt vniuerſale confuſum, ſcilicet particulare ipſum , ſcilicet indiuiduum vagum , quod ideo appellatur vniuerſale, quia multis cōpetit;quia auctoritas non eſt ad propoſitum,inquit Ioannes Grammaticus, & cetera. Sed,pace Ioannis, hæc expoſitio vana eſt:quia realiter non diſtinguitur particulare à ſingulari. idem enim ſignificant hæ duæ voces, homo & aliquis homo: differunt tantū in modo ſignificandi. talis enim terminus aliquis nullus,&c.nihil reale ſignificant . ideo nullum conceptū faciūt in mentem: idem ergo ſignificat homo, & aliquis homo: ſi ergo hoc, quòd dico,homo eſt vniuerſale: & vniuerſale eſt nobis ignotius: ergo & hoc particulare erit nobis ignotius, quia nihil addit in re,&c. Dat aliam expoſitionem Ioannes, ꝙ cum Ariſtoteles dicit quòd ſingularia ſunt nobis notiora,vniuerſalia vero naturæ,intelligit de natura vniuerſali:hic vero intendit de natura particulari,quæ quemdmodū ipſa ſingularia primo producit , ita etiā ea primo cognoſcit. & declarat Ioannes intentum ſuum:quia ſicut eſt in animali particulari,vt puta homine, eſt quædam natura particularis, quæ producit membrum huius hominis,id eſt quę habet producere vnum membrum, & ipſum nutrire, conſeruare,& de eo curam habere:ſicut ergo eſt in particulari homine,inquit Ioannes,ita eſt in vniuerſo,& in vnaquaq; parte ipſius. neceſſe eſt enim vt ſit natura particularis , quæ ipſum producat, & id ei curæ ſit. ſic eſt etiam natura vniuerſalis , vniuerſique curam habet de toto vniuerſo . ita igitur illa natura, quæ cauſa eſt vniuerſalium etiam ea primo cognoſcit . quæ vero ipſa particularia producit primo ea cognoſcit : cum ergo primo Poſt.dicit , quòd vniuerſalia ſunt notiora naturæ , loquitur de natura vniuerſali, hic vero de natura particulari , &c. Sed omnino varia eſt hęc expoſitio. primo , quia in animali non eſt duplex natura , vt ipſe dicit,quia eadem virtus generatiua hominis,quæ producit partē aliquā,producit etiā totū hominē,neq; etiā in vniuerſo eſt hæc duplex natura . eſt quidem dicimus opifex, ſed nihil producit niſi mediantibus cauſis ſecundis. Addit am oppoſitum alibi poſuiſti, quòd natura duplex, vniuerſalis , & particularis.ſecundo etiam,quod plus eſt, decipitur Ioannes in acceptione terminorum,& ignorat terminos, quia inquit ſingulare.ideo eſt notius natura, quia primo naturę occurrit:quia primus producitur ab ipſa. & ideo inquit Ioannes,quia natura,quæ primo producit illa, primo cognoſcit. quia ergo ſingulare prius à natura producitur , etiam ab ea primo cognoſcitur iſta vana ſunt : quia cū dicimus aliquid eſſe notius natura,nō ita dicimus,quia natura ipſum cognoſcit.agit enim natura ſine cognitione,ſed intelligitur notius natura , id eſt quia ex ſui natura eſt notius vt genus & ſpecies ex ſui natura notiora ſunt , non quòd natura ea primo cognoſcat,ſed quia ſimpliciora ſunt.ideo ex ſui natura notiora , ſicut dicit Ariſtoteles primo Poſt.illud eſt ex ſui natura notius , quod ſimplicius eſt , & independentius , & ad cuius cognitionem pauciora requiruntur. non autem, ſicut dicit Ioannes, quia prius cognoſcatur à natura:quia natura quidem agens naturale, vniuerſale agit ſine cognitione . videatis ergo , quomodo Ioannes deceptus eſt in acceptione terminorū.At diceret Ioannes,ꝙ ideo,dixit duplicem eſſe naturam,vna quæ cognoſcit vniuerſalia, quia in producendo ei primo occurrunt: & quia primus opifex eſt cauſa vniuerſalis,quia omnia cognoſcit: ergo etiam ipſa animalia cognoſcit.Dico,ꝙ nec hoc poteſt eſſe verū,quia primus opifex omnia producit ex cauſis ſingularibus , & ſecundarijs . ideo ſi producit ſingularia ipſa ex cauſis ſecundarijs. & ſingularibus ea producit: quia non eſt aliqua natura vniuerſalis,cui primæ cauſæ vniuerſales occurrant , ex quibus producit ſingularia; ſed ſemper ex ipſis cauſis ſigularibus producit ſingularia ipſa : quomodo ergo vniuerſalia ei primo occurrunt,&c. Tertiam expoſitionem ponit Ioannes. & ideo videatis.in multiplicitate expoſitionem denotat Ioannes ſe ignorare veritatem : quia vna veritas ex vna veritate cognoſcitur,nō ex tot nugis . inquit ergo id quod dicit Ariſtoteles primo Poſt.quod vniuerſalia naturæ notiora ſunt , & non repugnant huic quòd nos dicimus, ꝙ ſcilicet ſingularia ſint naturæ notiora : quia Ariſtoteles primo Poſt.loquitur de ordine naturæ penes ſcientiam. loquitur enim de ordine naturæ penes ſciētiam, ꝙ ſcilicet vniuerſalia ſunt notiora,& priora naturæ,quo ad ſcientias:quia ſcientia eſt primo vniuerſalium : per accidens vero particularium. ſi vero nō compararemus hæc duo, ſcilicet vniuerſalia, & ſingularia ad naturam : ſi loquemur de ordine naturæ penes naturam,vt natura eſt, nō vt reſpicit ſcientias.hoc pacto, inquit Ioannes,ſigularia ſunt notiora naturæ: quia à natura primo intenduntur.primo enim generationi occurrunt,& ita concedit Ioannes,quòd vterque eſt notius naturæ vniuerſale,& ſingulare: ſed nec hoc , quod dicit Ioannes eſt verum: quia ordo ſcientiæ eſt conformis ordini naturæ , quæ ergo ſunt priora ſecundum ſcientias,etiam abſolute priora ſunt ſecundum naturam. vera ergo eſt ſimpliciter auctoritas Ariſtotelis primo Poſt.quòd vniuerſalia natura priora ſunt particularibus.prius enim eſt à quo non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia , vt eſt animal:ergo homo id eſt à quo non conuertitur conſequentia cum hoc verbo eſt . prius igitur

natura

natura eſt animal, quàm homo: ergo etiam prius ſecundum ſcientiam ſingularia ſunt nobis notiora: quia ſenſus proximiora. At, ſingulare producitur à natura: non vniuerſale ergo notius. Dico quòd nõ ſequitur; quia dicimus, ꝙ vniuerſale eſt naturæ notius, nõ quia natura cognoſcat, ſed quia ex ſui natura notius. ideo dimittatis expoſitionẽ Ioannis omnino, quia falſa eſt. Alia eſt expoſitio Simplicij. expoſuit. n. Ioannes Grammaticus omnia hæc verba à ſecũdo ſcilicet textu vſque ad ſextum de ordine doctrinæ. Simplicius vero aliter exponit ſcilicet de via doctrinæ, id eſt de modo demõſtrationis: quia inquit, nihil aliud facit Ariſtoteles in his verbis, niſi tradit modum demonſtrationis, quo vti debemus ad acquirendam notitiam principiorum, ita, quòd ſit ſenſus, cum dixerit Ariſtoteles omnem ſcientiam acquiri ex cognitione principiorum. nũc tradit nobis modum demonſtrationis, per quem perueniamus ad principiorũ notitiam: & inquit, ꝙ hic modus non eſt quidem demonſtratio ex natura prioribus, & notioribus, ſed econtra ex poſterioribus, & ignotioribus natura, nobis autem prioribus, & notioribus. dupſex enim eſt genus demonſtrationis, vnum eſt demonſtrationis ſimpliciter à cauſa ſcilicet in effectum: alterum demonſtrationis non ſimpliciter ex effectu in cauſam: inquit ergo Simplicius, quòd hic Ariſtoteles tradit nobis modũ demonſtrationis, quo mediãte veniamus in principiorum notitiã, qui modus eſt demonſtrationis non ſimpliciter, ſcilicet ab effectu in cauſam: quia aut ex notioribus nobis & prioribus: natura vero ignotioribus, & poſterioribus, aut ex ignotioribus quidem, & poſterioribus nobis in naturę notiora, & priora, procedimus. & quę ſunt iſta notiora nobis, ignotiora autem naturæ dicit Ariſtoteles ſunt confuſa. ſunt autem nobis primo nota, & certa, confuſa magis exponit Simplicius confuſa, id eſt compoſita. res compoſitæ, vt totum, ſicut totum animal: tota planta. hæc vt tota nobis notiora ſunt, quia nota ſenſui, quàm partes eorum, ſcilicet materia & forma. ſequitur Ariſtoteles, poſterius autem fiunt ex his nota elementa, & principia nobis diuidentibus. hæc exponit Simplicius ex his, id eſt ex illis compoſitis, ſiue totis, quæ ſubijciuntur ſenſui mediante tranſmutatione ſubſtãtiali inuenimus prima principia, id eſt prima elementa, ex quibus conſtituitur illud totum. Eſt ergo ſenſus, inquit Simplicius, cum dixiſſet nobis prius Ariſtoteles nullam ſcientiam acquiri poſſe niſi ex notitia principiorum cauſarum. & elemẽtorum. hic tradit viam doctrinæ, & quo genere demonſtrationis vtendum ſit ad acquirendam notitiam principiorum, & inquit, quòd procedendum eſt ex notioribus, & prioribus nobis ad priora notiora naturæ, q̃ ſunt iſta. At, inquit Ariſtoteles, ſunt confuſa, id eſt compoſita, & nota. ex compoſitis enim procedimus in notitia principiorum, ex quibus componuntur mediante tranſmutatione; & hæc confuſa ſiue compoſita appellat Ariſtoteles nobis notiora, inquit Simplicius: quia ſunt cognita ſenſui, exactior vero eſt ſenſus, q̃ intellectus. notitia ergo, &c.. Vnde ex vniuerſalibus in ſingularia oportet procedere. hæc ſunt verba, in quibus laborant omnes expoſitores, quæ ipſos titubare faciunt, exponit Simplicius, vnde ex vniuerſalibus, id eſt ex compoſitis ipſis, quæ prius Ariſtoteles appellauit confuſa, quæ appellãtur vniuerſalia: quia in ſe continent cauſas, tanquã ſingularia, ex iſtis in ſua ſingularia, id eſt in ſuas cauſas eſt procedendũ: & Ariſtoteles ipſas cauſas vocat ſingularia, quia ſubſiſtunt in re, & quod in re, ſubſiſtit, ſingulare eſt, &c. Et quòd ita ſit, probat Ariſtoteles triplici ſigno, primo ex parte ſenſus exterioris, vt puta viſus. ita enim, inquit Ariſtoteles, eſt ex parte intellectus, ſicut ex parte ſenſus; ſi ſenſus, vt puta viſus, primo videt totũ Socratem: poſtea diſtinguit partes ipſius: ita intellectus primo comprehendit compoſitum: deinde ex ipſo compoſito procedit in notitiam principiorum, &c. Secundo hoc idem patet ex parte definibilis, ex quo nomen definibile eſt quoddam totum, & compoſitum ex partibus, quæ explicantur in definitione, vt ex genere & differentia. ideo etiã ipſum nomen rei definiendæ eſt notius eius definitione. tertio ſigno, hoc idem confirmat Ariſtoteles, ſumpto à pueris, & inquit. pueri enim primo appellant omnes viros patres, & omnes mulieres matres: quia primo ipſis pueris occurrit notitia totius, quàm partis. ideo etiam prius apprehendunt hominem ſub ratione totius: poſtea diſtinguunt verũ patrem à falſo, indiuiduũ. n. habet ratione partis. ita ergo & nos ex notioribus, quæ ſunt compoſitæ, id eſt res naturales, deuenimus in notitiã, vt materię, & formæ, mediante trãſmutatione, &c.

LECTIO DECIMANONA.

ERAT ſecunda expoſitio ſuper illis verbis Ariſtoteles, innata eſt etiam via, &c. vſque ad ſextum textum, quæ erat Simplicij, ſcilicet omnia illa verba interpretãtur de via doctrinæ, id eſt de modo demonſtrãdi. quo philoſophus naturalis poſſit peruenire in notitiã principiorum, dicens, quòd hæc via erat non ex prioribus natura, & notioribus, ſed ex prioribus nobis, & notioribus ad ignotiora nobis, & priora, & notiora naturæ, & expoſuit Simplicius ꝙ huiuſmodi erant corpora naturalia conſtantia ex materia & forma. ex ipſis enim corporibus naturalibus, mediante tranſmutatione, ducimur in cognitionem principiorum. & ita cogit Simplicius exponere illa verba, vnde ex vniuerſalibus in ſingularia oportet procedere. ſimiliter de via doctrinę, ex iſtis oportet procedere in ſingularia, i. in ipſa principia ſimplicia, quæ ideo appellantur ſingularia, quia ſubſiſtunt. Et hæc, quæ Ariſto. ſingularia appellat, Simplicius dixit eſſe notiora naturæ: quia primo producuntur à natura. natura. n. primo intendit ſingularia producere, vt Socrates per ſe primo generatur, & intenditur à natura. communia vero quæ dicuntur de ipſo, vt ſubſtantia, animal, &c. Secundario, & per accidens intenduntur: quia ex quo generatur Socrates, generatur etiam ſubſtantia, & animal. ſingularia ergo, inquit Simplicius, ſunt notiora naturæ hoc pacto, quia primo producuntur à natura & per ſe. reliqua vero ſecundario per accidens, &c. Sed hæc expoſitio Simplicij nullo modo neque verbis Ariſtotelis, neque ſibi ipſi conformis eſt. primo exponit illa verba ex vniuerſalibus: & per vniuerſalia intelligit Simplicius compoſita tota, id eſt ipſas res naturales, quæ ex principijs componũtur, quòd ex his procedendum eſt in notitiam principiorũ. videtur extorta hęc expoſitio: quia quam affinitatem habent compoſita, ſiue res naturales cum ipſis vniuerſalibus certe non video, quòd videlicet compoſita eſſent appellanda vniuerſalia. compoſitum enim eſt, quod ex partibus, ſiue principijs conſtat. vniuerſale vero, quod de pluribus prędicatur, At, in quòd conueniunt partibus, & prædicati de pluribus, &c.

Tum etiam, quia inquit Simplicius, quòd ſingularia ſunt notiora naturæ, quia primo producũtur à natura, in hoc errat Simplicius, ſicut errauit Ioãnes Grammaticus, quia per ſingularia intelligit, quæ producuntur à natura, primo, vt ſortes & hanc particulares plãtarum, At, hæc ſingularia producta à natura cum infinita ſint, ipſorũ non poteſt eſſe ſciẽtia. quomodo ergo diceret Ariſtoteles, quòd ex vniuerſalibus procedendum eſt in notitiam ſingularium; ſi per ſingularia intelligeremus, quæ primo producũtur à natura. cum

enim infinita ſint excluduntur à ſcientia quare,&c. Additum hoc argumentum poteſt retorqueri, ergo non poteſt philoſophus res naturales, ſcilicet ſcire: quia imperfectę ſunt. Errat ſimiliter Simplicius in acceptione terminorum, ſicut diximus de Ioanne Grammatico, quia non eſt illud notius natura, quod primo producitur à natura. ipſa.n. natura operatur ſine cognitione. ſed illud eſt notius natura, quod ex ſui natura eſt notius, id eſt ſimplicius, & paucioribus indigens in ſui declaratione: hæc non dependent in ſui cognitione ab alio. Alia ab ipſis, vt eſt genus reſpectu ſpeciei ſimplicius eſt, à quo non conuertitur cõſequentia, cum hoc verbo, eſt, vt dicit Ariſtoteles in eſt præſentis, &c. Secundo huic opinioni aduerſatur Alexander hoc argumento; quia tu dicis vniuerſale eſſe nobis notius, ignotius naturæ, ſingulare vero æque, ſi ſingulare eſt naturæ notius: ergo etiam prius natura. idem enim eſt notius eſſe naturæ, & eſſe prius natura ecõtra. At aduerſaris Ariſtoteli. oppoſitum enim ſentit Ariſt. prçſentis cap. de priori. inquit enim, prius natura eſt illud à quo non cõuertitur ſubſiſtẽdi conſequentia, id eſt à quo non poteſt conuerti conſequentia cum hoc verbo, eſt, vt ſi dicamus, eſt homo: ergo eſt animal. in hac conſequentia natura prius eſt animal: quia nõ licet conuerti hæc conſequentia cum hoc verbo eſt, vt dicamus, eſt animal, ergo homo: prius ergo natura eſt, quòd ſequitur ex altero. ex ipſo vero non ſequitur alterum. quid ergo dicis tu, At, ſimplici. quòd ſingulare eſt notius, & cõſequent. natura prius ipſo vniuerſali, &c. Huic argumento Simplicius dat duas reſponſiones, prima eſt quòd vniuerſale bifariam cõſiderari poteſt, vno modo, vt eſt quædam ſimilitudo collecta ex ſingularibus, & de hoc vniuerſali non loquitur Ariſtoteles in prędicamentis: quia hoc vniuerſale eſt poſterius natura. Sed hic alio mõ ſumitur vniuerſale, vt continet ſingularia, & hoc pacto, prius ſingularibus. & de hoc loquitur Ariſtoteles in prçſenti. cum ergo hic Ariſtoteles dicit, vnde ex vniuerſalibus in ſingularia oportet procedere, tanquã ex notioribus nobis, intelligimus hic de vniuerſali primo modo, ſcilicet in prædicando, vt eſt quædam ſimilitudo ex ſingularibus collecta. in prædicamentis varo de vniuerſali continendo, vt continet ſingularia, & ſic nulla eſt cõſideratio, &c. Sed hæc reſponſio Simplicij vana eſt: quia philoſophus naturalis non conſiderat vniuerſale, vt eſt ſimilitudo quædam collecta ex ſingularibus; ſed hæc conſideratio eſt logica, conſiderat autem philoſophus naturalis res, vt ſubſiſtunt in natura: etiam non eſt verum, quòd vniuerſale, vt habet rationẽ continentis, ſcilicet vt ſingularia continet, ſit natura prius ipſis ſingularibus: quia hoc pacto vniuerſale habet rationem totius, quod ſcilicet ex partibus cõponitur. prius natura enim ſunt partes, quàm totum, ex quibus ipſum conflatur, &c. Ideo dat aliam reſponſionem Simplicius, & inquit, quid poteſt melius ſatisfacere, ſatisfaciat: & ita non diſſoluit argumentum: quia remanſit ambiguus; quare Simplicius verum eſt hoc, quod ſimpliciora ſunt natura priora, à quibus non tenet conuerſio ſubſiſtendi conſequentiæ. compoſita vero, ex quo pluribus indigent in ſui cognitione. ideo poſteriora ſunt, & ignotiora ex ſui natura. ex ſui natura autem priora, quæ ſimpliciora & paucioribus indigent. non autem, ſicut dicit Simplicius, quia primo occurrant naturæ, & primo ab ipſa producantur: quia natura operatur ſine cognitione, & decipiuntur iſti in acceptione terminorum, vt melius declarabo inferius, &c. Tertio deficit Simplicius in expoſitiõe triplicis ſigni Ariſtotelis ſumpti à pueris: quia, inquit Simplicius, etiam pueris primo occurrit nomina totius. prius enim cognoſcunt hunc hominẽ, vt totum quiddam: & vniuerſale poſtea diſtinguentes apprehendũt ipſum ſub ratione ſingulari. ex iſta Simplicij expoſitione ſequitur, quòd ſenſus apprehẽdet vniuerſale: quia dicis, ꝙ pueri primo cognoſcunt hunc patrem ſub ratione vniuerſalis, & totius. in pueris autẽ nõ operatur intellectus, ſed tantum ſenſus: ſenſus ergo poteſt apprehendere vniuerſalia, quod eſt abſurdiſsimum: quia falſa eſt expoſitio, &c. Sequitur tertia expoſitio ſuper his textibus, quæ eſt Themiſtij, quem ſequitur Auerroes, & rurſus Theophraſtus, vt inquit Simplicius in ſuo libro naturalium. Eſt ergo hęc expoſitio, quòd totus hic textus verborum vſque ad ſextum textum nõ eſt omnino de ordine doctrinæ, ſicut dicit Ioannes Grammaticus, neq; totus de via doctrinæ, id eſt de modo demonſtrationis, vt dixit Simplicius; ſed partim eſt de ordine doctrinæ, id eſt quis ordo ſit ſeruandus inter partes huius ſcientiæ, partim eſt de via doctrinæ, id eſt quo genere demonſtrationis ſit vtendum. in ſecundo, & tertio textu tradit nobis Ariſtoteles viam doctrinæ. in quarto vero textu, & quinto, ibi vnde ex vniuerſalibus, &c. Deſcribit ordinem doctrinæ, quaſi, inquit Themiſtius, ſimul diſſoluat nobis dubitationem, & tradit modum, quo poſsimus aſſequi notitiam principiorum, ita, ꝙ ſit ſenſus, cum dixerit ſuperius in primo textu Ariſto. quòd omnis doctrina diſcurſiua, quæ ſcilicet illatione fit, nõ aliter comprehendi poteſt, niſi ex prçexiſtenti principiorum cognitione. accidit dubitatio, quia cum nos intendamus acquirere ſciẽtiam rerum naturalium: ergo prius inquirẽda ſcientia principiorum. ſed vt diximus, omnis doctrina diſcurſiua habetur tantum ex principiorum cognitione: quomodo ergo adipiſcemur notitiam principiorum rerum naturalium, cum principijs nihil ſit prius: quonam pacto igitur fieri poteſt, inquit Themiſtius, vt principia demonſtrentur cum omnis demonſtratio conſtet ex prioribus, ita, inquit profecto, videremus velle inuenire principia principiorum, & priora principiorum quod quidem fieri nequit. quomodo ergo aſſequemur notitiam principiorum naturalium, Ariſtoteles diſſoluit hanc dubitationem, & ſimul tradit nobis viam doctrinæ, & inquit, At, aduertas duplicis generis ſunt principia demõſtrationis. quædam enim nobis ſunt notiora, & priora, quædã vero naturæ notiora, & priora. & hæc notiora naturæ ſunt vera principia, ſcilicet cauſæ ipſæ. nobis vero priora nõ ſunt vere principia, ſed ſunt effectus, qui appellantur principia, quò ad nos: quia ex illis, ex quo nobis notiora ſunt, procedimus in cognitionem cauſarum, quæ natura priora, & notiora ſunt, quia ſimpliciora. & inde oritur duplex genus demonſtrationis, ſcilicet demonſtrationis & ſigni: quia cum procedimus ab effectu in cauſam, aliud eſt genus demonſtrationis ſimpliciter, vt cũ procedimus à cauſa in effectũ, & hoc gñe demõſtrationis vtitur mathematicus, inquit Auerroes, ſcilicet à cauſa in effectũ. primo verò genere vtitur naturalis philoſophus, ſcilicet ex prænominatis, ſiue ex effectibus ipſis in cauſas ſuas tanquam ex prioribus, & notioribus nobis. & iſti apppellãtur principia, quò ad nos exẽplum, ſicuti diceremus, hic eſt fumus: ergo ignis. hoc genus demonſtrationis eſt à ſigno, ſiue ab effectu in cauſam. eodem quoque genere demonſtrationis vſus eſt Ariſtoteles in ſecundo de cœlo oſtendens qualis eſſet lunæ figura ex luminibus ipſius vario ſolis aſpectu ſuſceptis. ex quo ſcilicet, quia apparet bis cornicularis, bis media, bis vtrinque gibboſa, & ſemel plena, probauit ipſam eſſe orbicularis figuræ. hoc modo Ariſtotelis proceſsit ab effectu in cauſam. minori vero probatione vſus fuiſſet Ariſtoteles, ſi dixiſſet, luna eſt corpus neutrum ſempiternum: ergò mouetur motu circuli: ergo eſt ſphericæ figuræ. hoc etiam genere demonſtrationis ſigni vtitur Ariſtoteles in definiendo

genera generaliſsima, vt ſubſtantiam, & quantitatem. hoc etiam modo circumſcribit nobis materiã primam dicens, quòd eſt ens, ſiue ſubiectum carens omni forma. ex tranſmutatione enim formæ, & à poſteritate circumſcripſit nobis materiam primam tali demonſtratione: diſſoluit ergo Ariſtoteles argumẽtum, ꝙ, cum ſint duplicia principia ſcilicet quò ad nos, & quò ad naturã, hic demonſtramus principia, quò ad naturam: per principia quo ad nos, id eſt per effectum venimus in cognitionem cauſarum. non autẽ demonſtramus principia ipſa, quæ naturæ priora ſunt per alia priora, cum nihil ſit prius ipſis principijs. ſic enim procederemus in infinitum, ſed per poſteriora natura: priora autem nobis: & ſimul diſſoluẽdo quæſtionem, inquit Themiſtius, dat nobis modum demonſtrationis: quia ducimur in notitiam principiorum naturalium, quod ſcilicet procedẽdum eſt ex nobis notioribus, &c. id eſt vti debemus demonſtratione ſigni, ſiue ab effectu in cauſam; ſed tu dicis, quæ ſunt iſta nobis notiora, quæ ſe habent tanquam effectus, ex quibus procedimus in notitiam principiorum, quæ ſunt priora & notiora naturæ. Dico, inquit Ariſtoteles, ſunt confuſa magis, ex quibus fiunt poſtea nota elemẽta, & principia nobis diuidẽtibus hæc; ſed quæ ſunt ipſa confuſa, iſta nobis notiora, quæ Ariſtoteles appellat confuſa. At, inquit Themiſtius cum Auerroe, ſunt compoſita, & generata à ſuis elementis, id eſt res naturales compoſitę, vt totus homo, tota planta, ſcilicet corpora naturalia. ex iſtis enim, mediãte trãſmutatione deuenimus in cognitionem principiorũ, & cauſarum compoſitorum, quæ principia, & cauſæ notiora ſunt apud naturam. Dico exemplum. ita enim Ariſtoteles inueniat quatuor cauſas: quia videmus Socratem eſſe generatũ: ergo eius ſubſtantia noua eſt, quia de nouo genita nõ ęterna: eſt ergo de nouo genita, & nouiter acquiſita: ergo aliqua ſubſtantia præfuit, quæ erat priuata, & quæ fuit ſubiectum illius trãſmutationis: quia quod fit, ex aliquo fit. aliquid igitur fuit ſubiectum, ex quo facta fuit illa tranſmutatio: & aliqua genita eſt, ſcilicet forma: deinde ex eo, quòd principia ſunt contraria, oſtẽdit tria eſſe principia intrinſeca, ſcilicet materia, forma, & priuatio. forma enim & priuatio aduerſantur. Item oſtendit efficientem, & finem: quia quod fit, ab aliquo fit, & propter aliquid fit, & gratia alicuius: patet ergo, quomodo ex iſtis corporibus naturalibus, quę ſunt priora quò ad nos, procedamus in notitiam principiorum; tum internorum, tum externorum; & iſta corpora naturalia ſunt, quæ Ariſtoteles appellat compoſita, & confuſa, ex quibus nobis diuidentibus. ipſa enim ſua principia, mediãte tranſmutatione fiunt nota elementa, & ita remanent clara verba Ariſtotelis hucuſque, quòd loquitur de principiorum naturalium notitia, voſq; ibi, ſcilicet vnde ex vniuerſalibus, &c. Vnde ex vniuerſalibus in ſingularia, &c. Hæc eſt particula, quæ iniecit difficultatem omnibus expoſitoribus. Themiſtius, & Auerroes exponut hos terminos vſq; ad ſextum textum de ordine doctrinæ, quòd hic Ariſtoteles tradit nobis ordinem doctrinę, id eſt quis natura debeat eſſe ordo inter partes huius ſcientiæ, de principijs naturalibus, à qua parte ſit inchoãdum, & inquit Ariſtoteles, quòd ex vniuerſalibus in ſingularia oportet procedere, quòd inchoãdum eſt ordine doctrinę ab ipſis vniuerſalibus ad ſingularia procedendo. quid autem intendat Ariſtoteles hic per vniuerſalia, eſt duplex expoſitio, vna eſt Alexandri, qui exponit, ꝙ talis eſt ſeruandus ordo doctrinæ inter partes huius ſcientiæ, vt ab vniuerſalibus incipiamus, id eſt à dignitatibus communioribus, ſimplicibus, & prioribus ad poſteriores & non ita communes. duplices enim iſtæ communes dignitates, inquit Alexander, quædam, quæ ſimpliciter ſunt primæ, & communes, vt ſcilicet illa duo principia metaphyſicalia, vt de quolibet eſt vera aut affirmatio, aut negatio, & de nullo ſimul, aliæ ſunt communes & primæ non ſimpliciter, ſed determinatæ ſcientiæ, vt ſcientiæ arithmetices, ſiue geometriæ habet ſua particularia principia, & dignitates, quæ ſunt neceſſaria, cui debet erudiri in tali ſcientia. illa autem duo mathematicalia neceſſaria ſunt cuilibet ſimpliciter erudiẽdo in arithmetica, aut geometria, & ſunt ſicut omne totũ eſt maius ſua partes, ſi ab æqualibus æqualia demas, &c. cum ergo Ariſtoteles tradẽs nobis ordinem ſeruandum inter partes ſcientiæ naturalis dicit, ab vniuerſalibus etiam inchoandum. per vniuerſalia intelligit illas dignitates tum ſimpliciter primas, tum primas indeterminata ſcientia. inquit ergo Alexander, ꝙ ab ipſis inchoandum eſt ad ea, quæ ex illis demonſtrantur. reſpectu enim harum dignitatum cauſæ quæ demonſtrantur ſunt ſingularia, & ꝙ ita ſit, inquit Alexander, patet: quia Ariſtoteles faciens initium ſuæ diſputationis de principijs incipit ab hac dignitate: neceſſe eſt autem aut eſſe vnum principium, aut plura. item inferius etiã oſtendens principia eſſe plura ſumit principia eſſe contraria, ſimiliter oſtẽdens materiam eſſe ſumit, quòd omnibus contrarijs debet eſſe aliquod ſubiectũ commune. ecce ergo, ꝙ Ariſtoteles ſeruat hunc ordinem in proceſſu ſuo, &c. Hæc expoſitio Alexandri habet dubitationẽ apud me: quia Ariſtoteles non ſumit illas dignitates communes, ita ꝙ præſcribat, dum demonſtrat aliquid, vt cum vult demonſtrare principia eſſe plura, aſſumit illud: neceſſe, eſt autem vnum, aut plura eſſe principia; antequàm demonſtret, non aſſumit aliquam dignitatẽ, vt incipiat ab ipſis dignitatibus, ſcilicet ꝙ eas nobis præſcribat ante omnia, vt facit mathematicus, qui primo loco præſcribit ſuas dignitates: deinde proſequitur ad problemata: vltimo demonſtrat. non facit hoc Ariſtoteles, ſed ſi capit aliquas dignitates, eas aſſumit, cum demonſtrat numerum principiorum, qualia ſint, & quot ſint principia. aſſumit quòd omne quod generatur, ex aliquo generatur, & omne, quod mutatur, de contrario in contrarium mutatur. & ita habet, quod principia naturalia debent eſſe cõtraria: quare ergo patet Ariſtotelem aſſumere eas dignitates tantum, dum demonſtrat. non autem eas præſcribit: quia mihi videtur, quòd per vniuerſalia hic nõ intelligat Ariſtoteles has dignitates, quia prima pars huius ſcientiæ non eſt particulariter de ipſis, ſed ſi aliquas aſſumat, eas aſſumit dum demonſtrat, &c. Quare mihi videtur rectior expoſitio Themiſtij, & Auerrois, quòd hic Ariſtoteles tradit, nobis ordinem doctrinæ, quòd ſcilicet incipiendum eſt, à prima cauſa in vnoquoque genere: & ita per vniuerſalia intendat primas cauſas in vnoquoque genere, diximus enim ſupra, quòd naturalis debet comprehendere quatuor genera cauſarum, ſcilicet genus cauſæ, materialis, formalis, finalis, & efficientis. & omne genus continet in ſe plures cauſas, ſcilicet primas, & altiores, mox intermedias, vltimo proximas, vt in genere cauſæ materialis hominis, prius eſt materia prima: deinde ſunt elemẽta: poſtea humores: poſt hoc partes ſimilares; vltimo partes diſsimilares, ex quibus immediate homo conſtituitur; & hæ partes diſsimilares ſunt materia proxima hominis. tradẽs ergo nobis Ariſtot. ordinem doctrinæ, ſcilicet in tradendo ſcientiã cauſarum in vnoquoque genere, à qua cauſa ſit inchoandũ, quo ordine ſit procedendum, nunquid incipiendum ſit ab altioribus cauſis, an ab intermedijs, an à proximis, an, ſcilicet à materia prima, an à partibus organicis, an ab elementis, &c. Dico, dicit Ariſtoteles, erit ordo doctrinæ ab vniuerſalibus in ſingularia, hoc eſt, ĩquit Themiſtius cũ Auerroe, à cauſis altioribus, & prioribus in vnoquoque genere

ad proximam cauſam eiuſdem generis, vt in genere cauſæ materialis, à materia prima ad partes organicas per intermedias: quia ordo doctrinæ debet eſſe conformis ordini naturæ, ſed cauſæ altiores in vnoquoque genere ſunt natura priores: ergo ordine doctrinæ ab ipſis altioribus eſt ſumẽdum initium. & hunc ordinem ſeruauit Ariſtoteles. in tradendo enim genere cauſę materialis, incipiet à materia prima. itaque, inquit Themiſtius, in principijs oſtendendis incipimus à communioribus, & plura comprehendentibus cognoſcibiliora ſiquidẽ nobis ſunt communia, quàm propria ex illis: ergo in ſingularia veniemus, neque intelligatis per ſingularia, quæ primo producũtur à natura, ſcilicet ſingularia ipſa in re, ſed vniuerſales cauſas proximas, vel vltimas ſpecies. vniuerſales enim cauſæ ſe habent, vt genus ad proximas, & ipſæ, tanquam ſpecies: ordo ergo doctrinæ, in hac ſcientia eſt, vt procedamus ab eo quod eſt magis commune, ad id quod eſt magis proprium: quia magis commune notius eſt, &c.

LECTIO VIGESIMA.

EXPONEBAMVS illos textus Ariſtotelis ſecundum Themiſtium, & Auerroem, ſcilicet partim de via doctrinę, partim de ordine doctrinæ. prima enim verba, vbi dicit, innata eſt nobis via vſque ad quartum textum exponebamus de via doctrinę, id eſt de genere demõſtrationis, quo ſcilicet genere ſit vtendum ad acquirendam notitiam principiorũ, & dicebamus, quòd à notioribus nobis. hæc vero erãt confuſa magis, id eſt compoſita, id eſt res naturales. ex iſtis enim mediantibus tranſmutatione in notitiam principiorum. ſecunda pars vero horum textuũ, ſcilicet à quarto vſque ad ſextum exponebatur de ordine doctrinæ. quomodo, ſcilicet philoſophus pertractaturus omnes cauſas eiuſdem generis debeat procedere, & diximus ab vniuerſalibus eſſe incipiendum procedendo in ſingularia, id eſt ab altioribus, & prioribus cauſis eiuſdem generis ordine doctrinæ incipiendum eſt procedẽdo ad proximas, vt in genere cauſæ materialis à prima materia, & ita in vnoquoque genere alio, &c. Secundum hanc expoſitionem probat modo Ariſtoteles aſſumptum ſuum, ſcilicet quòd ex vniuerſalibus in ſingularia oportet procedere, ſcilicet ex cauſis cõmunioribus eiuſdem generis ad proximas. & probat hoc Ariſtoteles triplici ſigno. primo, quia ita eſt ex parte intellectus, ſicut ex parte ſenſus; ſed totũ ſenſibile eſt nobis notius ſuis partibus: ergo & totum intelligibile eſt notius ſuis partibus. vniuerſale autem reſpectu minus vniuerſalis ſe habet, vt totum reſpectu partium: ergo itidem vniuerſale ipſum eſt notius nobis, quàm minus vniuerſale, & ſingularia. quòd autem totum penes ſenſum ſit notius ſuis partibus, patet exemplo de Socrate, eminus veniente. primo enim occurrit nobis totus Socrates ſine diſtinctione partium; deinde diſtincte apprehendimus eius partes, cum propior adeſt: quia maiorem notionem de ipſo acquirimus.

Quare etiam totũ intelligere notius eſt intellectui ſuis partibus. vniuerſale vero reſpectu minus vniuerſalis ſe habet, vt totum reſpectu partium: ergo cauſæ magis communes, & vniuerſaliores notiores ſunt, quia minus vniuerſales, quia vniuerſalior cauſa in eodem genere reſpectu aliarum proximarum ſe habet, vt totum reſpectu partium: ab ipſa ergo vniuerſaliori cauſa, & communiori in eodem genere eſt incipiendum, vt à materia prima in genere cauſæ materialis: quia à notioribus nobis eſt inchoandum. ordo enim doctrinæ conformis eſt ordini naturæ: natura autem priora & notiora, vt diximus; ſunt vniuerſaliora, & ab ipſis inchoandum eſt, vt in genere cauſæ materialis, à materia prima, quæ ſe habet, vt totum reſpectu elementorum, & aliarum ſpecierum materiarum, &c. Secundo ſigno idem confirmat Ariſtoteles: quoniam nomen definiendum notius eſt, quàm eius definitionis partes, vt omnes ſciunt, quid ſignificetur nomine circuli. definitiones vero pauci ſciunt, ſed nomen definiẽdum ſe habet, vt totũ reſpectu partium, quod autem ſignificat nomen confuſe, definitio ſignificat, expreſſe: quia ea primit partes definiti, ſed cauſæ vniuerſaliores reſpectu proximarum, ſe habent, vt totum reſpectu partium: ergo à cauſis vniuerſalioribus, & communioribus in vnoquoque genere eſt inchoandum ad minus vniuerſales & proximas eiuſdem generis procedendo. & dicit Ariſtoteles in textu, ſuſtinent autem hoc idem hoc & nomina. ad rationem, id eſt ſicut ſenſibile notius, eſt ſenſui ſuis partibus, ita & nomẽ notius eſt intellectui, quàm eius definitio: quia vtrobique comparatur totum ſuis partibus. Vnum tamen eſt ex parte ſenſus: aliud eſt ex parte intellectus. adiecit vero Ariſtot. in ſuis verbis hanc particulam, quodammodo. omnes expoſitores ipſam ponderant, quòd ideo Ariſto. ipſam adiecit: quia diuerſa erat ratio totius, hic, & ibi: quia cum accipimus vniuerſale reſpectu ſuarum ſpecierum eſt totum quiddam non actu, ſed potentia: quia ex eſſe generis non ſequitur eſſe ſpeciei. ideo eſt totum quoddam potentia ad ſpecies ſuas. aliud eſt totum actu, ad cuius eſſe ſequitur eſſe partium, ſicut nomen definiendum eſt quoddã totum actu: quia ex eius eſſe ſequitur eſſe partium, ſcilicet generis, & differẽtiæ, ex quibus cõſtituitur; quia ergo aliud erat totũ reſpectu ſenſus, de quo locutus eſt in primo exemplo, id eſt aliud eſt hoc, ſcilicet nomen ipſum reſpectu definitionis, ideo Ariſtoteles rationaliter adiecit illam particulam, quodãmodo: quia alia ratio totius ibi, & hic, ideo, &c.

Tertio ſigno Ariſtoteles oſtendit propoſitũ ſuum ſumptum, à prima ætate noſtra, quòd ſcilicet vniuerſale magis notius eſt minus vniuerſali: quia notiora indiſtincta, & cõfuſa præcedit in nobis diſtinctam, & particularem: & quòd ita ſit, patet: quia pueri primo appellant omnes viros patres, & omnes mulieres matres: poſtea procedente ætate acquirunt notitiam diſtinctam, quia diſcernunt verum patrem ab alijs: apprehendit ergo prius talis puer hunc hominem ſub ratione magis vniuerſali, & confuſa. neſcit enim diſtinguere ipſum à cæteris hominibus: deinde cum peruenit ad perfectiorem ætatem, ſub ratione magis particulari apprehendit ipſum, ſcilicet propria accidentia, vnde ſit diſtinguere ipſum à cæteris hominibus. cum ergo totum vniuerſale ſit quoddam confuſum, & indiſtinctum: quia poſtea, & cõfuſe continet ſuas partes, id eſt ſpecies ideo ab ipſo tanquam à nobis notioribus initium ſumendum eſt. Sed tu dicis; qualis eſt iſta notitia, quæ eſt in puero in prima ſui ætate; quæ apprehendit omnes viros patres, cuius virtutis eſt hæc notitia, & cuius obiecti, an ſcilicet ſit opus intellectus, an ſenſus, & quod apprehendit, an ſigno, an vniuerſale. Auerroes videtur dicere notitiam eſſe in intellectu: quia inquit cum ignoratur intellectus, cognoſcit patrem inter cæteros viros, & matrem, inter cæteras mulieres. ecce, inquit Auerroes, cum vigoratur intellectus, quaſi quòd intellectus ſit hoc opus. ſed ſi hęc eſſet opinio Auerrois, profecto falſa eſſet: quia in puero tunc non operatur intellectus, ſed tantum poſt annos diſcretionis: cuius ergo virtutis eſt hoc opus? Dico, quod iſta notitia pueri eſt notitia ſenſus, non quidem exterioris, ſed interioris. nec accipiatis per ſenſum communẽ, & interiorem, ſicut ponit Auicenna, tanquam ſit memoria imaginatione. iam reprobaui hãc opinionem, ſecundo de

anima eſt ergo hoc opus ſenſus interioris: quia non apprehẽditur, niſi præſentia ſenſibilium. At Auerroes dixit, cum vigoratur intellectus. Dico, ꝙ impropriè locutus eſt Auerroes: quia intellectus eſt virtus ſeparata à materia. ideo non poteſt vigorari, eſt enim paſsio corporis vigoratio. vigoratur etiam intellectus per accidens ex parte ſenſus, ratione imaginationis: quia ipſa reducitur ad maiores perfectiones, & ad perfectiorem temperaturam, reſoluto ſcilicet ſuperfluo, humido contracto ex generatione. vnde melius, rectius, & diſtinctius poterit phantaſtica intellectus præſentare. cum ergo dicit Auerroes, cum intellectus vigoratur, non propter hoc vult ponere hanc virtutem, ſcilicet apprehenſionem in ipſo intellectu; ſed ita locutus eſt quia etiam intellectus perficitur ex perfectione ſenſus: cum re imaginatiua ipſa reducitur ad perfectius temperamentum. omnis enim notitia intellectus pendet à ſenſu: cuius igitur eſt hæc apprehenſio? Dico, hæc opinio in pueris nullum habet conceptum ſolum percipit indiuiduum ſubſtantiæ ſub ratione alicuius indiuidui magis cõmunis, ſcilicet patris exẽplo, primo puer apprehendit indiuiduum ſubſtantiæ, & ita hominẽ in eo, quòd pater, & omnes appellat patres: poſtea apprehendit indiuiduum ſubſtantiæ, nõ ita confuſe, ſed magis proprie ex proprijs accidẽtibus, & ita ſcit diſcernere verum patrem à non vero: & ita tota hæc notitia eſt ſingularis. ſolus enim intellectus apprehẽdit vniuerſalia, ſed in hoc puero nondum operatur intellectus, &c. Super his verbis Ariſtotelis ſunt multiplices dubitationes primo circa modum demonſtrationis: quia dicit Ariſtoteles quòd principia naturalia tantum demonſtrantur à nobis notioribus, naturæ vero ignotioribus, id eſt demonſtratione ſigni ab effectu in cauſam, non autẽ à priori, & demonſtratione ſimpliciter à cauſa in effectũ. eſt dubitatio Simplicij: quia metaphyſicus, ex quo eſt artifex vniuerſalis, & ſupremus habet viam probandi principia omnium aliarum ſciẽtiarum ex primis ſuis dignitatibus, quæ ſimpliciter natura ſũt priora. alio mõ ergo naturalis philoſophus poteſt probare ſua principia, quàm nobis dixerat Ariſtoteles, ſcilicet non tantum ex nobis notioribus, ſed ex prioribus natura notioribus, ſcilicet ex principijs ſimpliciter primis. quid ergo dicit Ariſtoteles? Secundo, eſt dubitatio in verbis Auerrois: quia ipſe ad probãdum quòd confuſa & compoſita ſint nobis notiora quàm principia, dicit ex ipſis compoſitis procedimus in notitiam principiorum. ad probandum hoc peccat Auerroes: quia arguit cõditionaliter Auerroes à deſtructione antecedentis ad deſtructionẽ cõſequentis. Ita enim arguit, ſi nos ageremus res naturales, principia, & cauſæ eſſent nobis notiores quàm compoſita; ſed quia non agimus res naturales. Ecce arguit Auerroes conditionaliter à diſtinctione antecedentis ad diſtinctionem conſequentis: peccat ergo fallacia conſequentis contra regulas Ariſtotelis primo Priorum. poſtea etiam Auerroes ſumit conditionalem falſam: quia ipſe dicit, ꝙ nos non agimus rés naturales. At hoc eſt falſum nonne homo generat hominem, & tamen nõ cognoſcit cauſam generationis, quæ ſcilicet ſit cauſa materialis, quæ formalis, quæ efficiens, & quæ finis. perſuadebat poſtea Auerroes illam ſuam conditionalem exemplo, in artificialibus: quia inquit ipſe, ex quo artifex facit res artificiales. ideo eſt talis diſpoſitio in ipſis, quòd cauſæ earum ſint notiores apud ipſum artificẽ, quàm ſui effectus. ſed aduerſatur ſibimet Auerroes: quia ſeptimo Metaphyſices & in libro de ſenſu, & ſenſato inquit, ꝙ principiũ cognitionis artificis eſt à poſteriori ab effectu. prius ergo apprehendit effectũ, quàm cauſas: aduerſatur ergo ſibimet Auerroes, &c. Ad primum, cum dicit quòd quia ex quo metaphyſicus eſt vniuerſalis artifex, ideo poteſt probare principia naturalia ex ſuis dignitatibus, & à priori, ergo non tantum à poſteriori, & notioribus nobis poſſumus peruenire in notitiã principiorum naturalium; ergo, &c. Reſpondit Simplicius. Dico ipſe concedo, poſſumus quidem demonſtrare principia naturalia à priori per dignitates ſimpliciter primas ſcilicet ipſius metaphyſici. quid ergo dicit Ariſtoteles? Sed dico quod Ariſtoteles hic loquitur de philoſopho naturali: quia in eo, quod philoſophus naturalis non poteſt probare ſua principia à priori ſed tantum à poſteriori, & ex nobis notioribus, probare vero ipſa à priori per dignitatem ſimpliciter primam, hoc eſt munus metaphyſici, quia eſt communis & vniuerſalis artifex, &c. Sed hoc quod dicit Simplicius, ego non intelligo: quia hic Ariſtoteles loquitur de principijs incomplexis, & generationibus cauſarum ſimplicium. Simplicius vero probat de principijs cõplexis, hoc eſt de dignitatibus, & primis propoſitionibus ſcientiæ, vt de hoc naturali principio, natura eſt principium motus, & quietis; ſed metaphyſicus non habet probare omnia genera cauſarum ſimplicium, & hic Ariſtoteles intendit de his principijs incomplexis in logica ergo eſt æquiuocatio Simplicij hic. ſecundo vero non eſt verum, quod dicit Simplicius ꝙ mathematicus ex prioribus ſuis dignitatibus habeat probare principia naturalia idest propoſitiones primas naturales, vt hoc natura eſt principium motus, &c. Ex nihilo nihil fit, &c. quia manifeſta ſunt, nec probatione indigent. ſcientia enim naturalis non eſt alicui ſubalternata, ſed ex ſe eſt ſciẽtia vna totalis. ſolum habet metaphyſicus perſuadere hæc principia negantibus, non quòd habeat ipſa demonſtrare, quia ex principijs illis, metaphyſicus ſimpliciter primis nulla ſit demonſtratio. ita, ꝙ talia principia demonſtrationem ingrediantur oſtenſiuam. bene poſſunt ingredi demõſtrationem ad impoſsibile, oſtenſiuam vero nullam ingrediuntur, formalis ſolum potentia & virtute: quia virtute ipſarum tenẽt demonſtrationes, quia immediate propoſitiones reſoluuntur in hæc prima principia. neque ergo habet metaphyſicus ex illis ſuis dignitatibus probare principia naturalia, ſolum habet ipſa neganti perſuadere. ſunt enim probationes ſeu perſuaſiones ad hominem non recte, non oſtenſiue. cũ ergo dicis, poteſt probare principia naturalia, & ita priori & ex natura notioribus: ego nego etiam hoc: quia tantum poteſt perſuadere neganti illa, & hæc non eſt demonſtratio neque ſunt principia, de quibus hic loquitur Ariſtot. &c. De ſecunda dubitatione, quia in multis oſtendimus Auerroem eſſe lapſum, cum illis, qui tenent verba ipſius Auerrois tanquam, ſacramẽta. eſt enim tantæ auctoritatis Auer. apud ipſos, vt exiſtiment ipſum non poſſe errare; ſed apud me Auerroes non eſt tãtæ auctoritatis, adeo quòd nihil mirum mihi videretur, ſi dicerem Auerroem erraſſe immo dico, quòd quicquid boni habet Auerroes ſumpſit à græcis, nihil ex ſe boni dixit, & omnia, quæ dicit ex ſe, vel ſumpſit à ſuis Arabibus. omnia dico, ſunt ſatuitates ambages, & chimerę, quare ergo, & ſi dicerem Auerroem erraſſe hic non multum extimarem. ne tamen videar neſcire defendere verba Auerrois, ipſum tuebimur, non ſicut faciunt multi, qui conſilium fecerũt in defendendo ipſum. Dico igitur ego, quòd reuera gratia formæ non tenet argumentũ Auerroes, ſed quia argumentum eſt in terminis corruptibilis, argumentum tenet ratione materiæ. parum enim curauit de forma, cũ teneat merito materiæ, ſicut ſi diceremus, ſi eſt homo, eſt animal rationale, ſed non eſt homo: ergo non eſt animal rationale. hoc argumentum etiam tenet gratia materiæ: quia eſt in terminis cõuertibilibus. conuertitur enim homo cũ animali rationali, ita in propoſito Auerroes vo-

luit

luit argumentari, ſi nos ageremus res naturales eas cognoſcendo, ſcilicet cum cognitione: tunc cauſę earum eſſent notiores apud nos, ſed quia non agimus eas cognoſcendo, ſed ſine cognitione. ideo effectus, & compoſita ipſa ſunt nobis notiora, quàm cauſæ. hoc pacto argumentum Auerrois eſt gratia materiæ, quia conuertitur, hoc ſi nos ageremus res naturales eas cognoſcendo, cum hoc cauſę eſſent nobis notiores, quàm effectus, & inde etiam ceſſat ſecundum argumentum ꝙ ſcilicet nos agamus res naturales, ex quo homo hominem generat. At, intelligit Auerroes, ꝙ ſimpliciter non agamus res naturales; quia hoc falſum eſt; ſed intelligit, ꝙ eas non agimus cum cognitione, ſcilicet cognoſcendo ipſas: quia hoc pacto cauſæ eſſent nobis notiores, ſed eas agimus virtute naturæ, non ꝙ cognoſcamus hoc opus, &c.

Quod addebas, quia Auerroes ſibi aduerſatur hic & ſeptimo metaphyſices, & in de ſen. & ſen. ibi enim dicebat, ꝙ artifex in cognitione rerum artificialium incipit ab effectibus & compoſitis, ſcilicet à rebus ipſis ad cauſas. dicit enim in hoc diuerſificatur natura ab artifice: quia natura primo cognoſcit cauſas naturales, quàm compoſitat artifex primo cognoſcit compoſitum, quàm cauſas, ex quibus componitur: quomodo ergo dicit hic, ſi ageremus res naturales, cauſæ earũ eſſent primo notæ nobis, ſicut in artificialibus, &c. Dico, ſicut alias dixi, poſſumus bifariam conſiderare artificem, ſcilicet in eo, ꝙ operantem, & in eo, quòd cognoſcentem, ſi conſideramus artificem in eo quòd operantem, ſic eundem ordinem habet cum natura operante: quia primo cognoſcit principia rerum artificialium, ſicut natura principia rerum naturalium, dum operatur: & hoc pacto hic loquitur de artifice operante: ſi autẽ cõſideremus artificem, non vt operantem, ſed vt cognoſcentem. ſic primo cognoſcit compoſita & effectus quàm cauſas, vt patet de domificatore, antequam operetur, cognoſcit primo totã domum ędificandam, quàm cauſas. imaginatur enim prius domum taliter conſtitutam, & ordinatam. cum vero incipit operari domum, tunc incipit à cauſis & elementis, ex quibus cõſtituitur domus, & tunc primo cognoſcit: quia ei primo occurrit: prius tamen cognoſcit domum, &c. Tertio dubitatio eſt in verbis ſequentibus, in ſecunda parte de ordine doctrinæ ſecundum expoſitionẽ Themiſtij, & Auerrois. huic expoſitioni aduerſatur diuus Thomas primo, quia hęc expoſitio, inquit diuus Thomas, diuellit totum contextũ Ariſtotelis verborum, & non iungit ad vnam intentionẽ omnia verba, quod abſurdum eſt, &c. Secundo, quia tu dicis, ꝙ in prima parte illorum textuũ tradit nobis Ariſtoteles viã doctrinæ, id eſt modum, ſeu genus demõſtrationis, qua vtitur philoſophus in tradenda nobis cognitione principiorũ, ſed contra: quia ſi hoc verum eſſet, Ariſtoteles bis idem diceret, & ita in verbis ſuis eſſet repetitio: quia hoc idem ipſe Ariſtoteles tradit nobis in ſecundo Phyſicorum, ſuperfluit ergo hic, quod abſurdum eſt apud Ariſtotelem. nunquam enim inuenta eſt repetitio in verbis eius. non ergo illa verba exponẽda ſunt de via doctrinę, ſed omnia de ordine doctrinæ, &c. Tertio, inquit diuus Thomas male exponunt Themiſtius, & Auerroes illud verbum Ariſtotelis, confuſa, ꝙ ſcilicet per cõfuſa intelligat compoſita, id eſt corpora naturalia, ſeu res naturales. ſed hoc non eſt verum: quia confuſum non ſignificat compoſitum, ſeu cum compoſitione, ſed ſignificat aliquid indiſtinctũ. confuſio enim nihil aliud eſt, quàm indiſtinctio partium, non autem compoſitio. ꝙ ita ſit, inquit diuus Thomas, quia ſi confuſum intelligamus compoſitum, & ab eis compoſito liceat arguere ad ſuas partes, vt ſi dicamus, domus eſt, ergo & paries: ſic etiam licebit arguere à genere ad ſpeciem: quia genus reſpectu ſpeciei eſt quoddam confuſum: licet ergo dicere, animal eſt ergo homo eſt, ſed hoc eſt falſum. non enim animal componitur ex homine, ſed econtra homo eſt ex genere, & differentia: falſa eſt ergo illa expoſitio, &c. Sed hęc argumenta diui Thomæ parum cogunt, & facilis ſunt ſolutionis. Ego autem addo fortiora argumẽta, & primo, quia peccat Ariſtoteles fallacia æquiuocationis in verbis ſuis, ſecundum expoſitionem Themiſtij, & Auerrois. ex eo enim, quod docuit Ariſtoteles viam doctrinę, quod ſcilicet ſit modus demonſtrationis, quo vtimur in cognitione principiorum, ex hoc cõcludit nobis Ariſtoteles ordinẽ doctrinæ. dicit enim Ariſtoteles, vnde ex vniuerſalibus in ſingularia oportet procedere loquendo de ordine inter partes huius ſcientię deſcriptæ? At, quomodo tenet illatio hæc, cum prius locutus fuerit Ariſtoteles de via doctrinæ, & ex hoc concludit ordinẽ doctrinæ. inquit enim, quia via doctrinæ procedimus à cõfuſis, id eſt à totis, & compoſitis ad elementa, ſeu partes: ergo ordine doctrinæ eſt incipiendum à magis vniuerſalibus ad ſingularia, quomodo valet argumentũ: quia diuerſus eſt modus notitiæ hic, & ibi: quia cum dicit, via doctrinæ eſſe procedendum à compoſitis in elementa tanquam à notioribus nobis: loquitur de notitia cõfuſa ex effectu in cauſam, ordine autem doctrinæ, proponenda ſunt, quæ ſunt notiora naturæ: quia ordo doctrinæ, eſt ſimilis ordini naturæ. ſicut enim ſunt res in natura, ita in arte, ſiue ſcientia deſcribi debent, vt quæ natura priora, & ſcientia priora; & ab ipſis inchoãdum eſt in ſcientijs. diuerſa ergo eſt notitia hic, & ibi: quia notitia confuſa totum eſt nobis notius ſuis partibus. notitia autem definita eſt oppoſitum. partes ſunt notiores compoſito: quia natura priores. At quæ illatio ergo eſt iſta, cum via doctrinæ compoſita notiora nobis ſint: ergo ordine doctrinæ ab vniuerſalibus inchoandum eſt ad ſingularia procedendo. hic loquitur de notitia diſtincta. quia cum procedimus ab vniuerſalibus ad ſingularia, procedimus à cauſa in cauſatum. vniuerſale enim eſt, vt cauſa ſingularium, & cætera Secundo arguo. Themiſtius, & Auerroes hic per vniuerſalia exponunt cauſas altiores, & cõmuniores in vnoquoque genere reſpectu minus vniuerſalis, ſed cauſæ altiores, communiores in vnoquoque genere non ſe habent vt magis vniuerſale reſpectu minus vniuerſalis. ſ. vt genus reſpectu ſpeciei: quia magis vniuerſale cõtinent inferiores imo res habetur in oppoſitũ: quia materia ſecunda, vt elementa, continet primã, vt materiam primã, & humores, elementa. & & non eſt contra valet. n. argumentũ: eſt elementum ergo materia prima; non tamen eſt contra. eſt materia prima ergo elementum; ꝙ eſt materia ſecunda. male ergo exponunt iſti per vniuerſale cauſas altiores in vnoquoque genere, &c. Tertio, quia iſti exponunt iſtã partem textuũ, ſcilicet vnde ex vniuerſalibus exponũt hæc verba de ordine doctrinæ, ſed econtra; quia iam tradiderat nobis Ariſtoteles ordinẽ doctrinę in primo textu, ſicut omnes exponũt, cum inquit, procedimus ex cauſis, & principijs vſq; ad elementa, expoſuerũt omnes, id eſt ex cauſis altioribus, & cõmunioribus per intermedias ad proximas & particulares. Ariſtoteles igitur hic eſt ſuperfluus, cũ repetat hũc eũdem ordinẽ, quem expreſsit in primo textu, hoc etiã abſurdum eſt. ergo, & cætera.

LECTIO VIGESIMAPRIMA.

ADDVXI vobis in heſterna lectione tria argumẽta diui Thomæ contra tertiam expoſitionem illorũ textuum, quæ erat Themiſtio & Aurrois. & primo arguebat ipſe diuus Thomas, quòd ideo nõ erat illa expo-

ſitio

ſitio recta: quia diuellit verba Ariſtotelis, & diſcindit totũ
contextum verborum, &c. Dico, quòd diuellit hoc pacto,
quòd non reducit omnia illa verba ad vnũ ſenſum, & vnam
intentionem, ſed duo intendit ibi Ariſtoteles, tum ſcilicet
tradere viam doctrinę, tum ordinẽ doctrinæ. concedo qui
dem, ꝙ hoc pacto diuellit quòd ſcindat paginas, vel lineas;
ſed hoc pacto, quia ponit duas intentiones Ariſtoteles, ſi in
prima parte ponit viam doctrinæ, in ſecũda vero ordinem
doctrinæ, id eſt ordinem inter partes ſciẽtiæ deſcribendas.
Secundo arguit diuus Thomas, quòd omnino non eſt ve-
rum quòd hic Ariſtoteles tradat modum, ſeu viam doctri-
nę: quia ſecundo huius tradit nobis, Ariſtoteles modum de
mõſtationis, quo vtitur philoſophus naturalis, quòd ſcilicet
vtitur demonſtratione ſigni, non autem à cauſa ad effectũ.
Dico ad hoc, quòd non eſt verum, ꝙ D. Thom. ꝙ Ariſtote
les ſecũdo huius tradat nobis modum demõſtrationis, quo
vtitur philoſophus naturalis, ſed ibi, inquit Ariſtoteles cũ
duplex ſit neceſsitas in rebus, quædam ſimpliciter, & quę-
dam ex ſuppoſitione, in naturalibus ſolum eſt neceſsitas ſup
poſitionis, non autem ſimpliciter: neceſsitas quidem ſimpli
citer eſt, cum nedum ex poſteriori ſequitur prius ſcilicet ex
eſſe poſterioris de neceſsitate ſequitur eſſe prioris; ſed &
econtra ex eſſe prioris ſequitur eſſe poſterioris. ſ. cum ne-
dum ex eſſe effectus ſequitur eſſe cauſę, ſed & ecõtra ex eſ-
ſe cauſæ ſequitur eſſe effectus: & hæc neceſsitas reperitur in
æternis, & perpetuis, ſcilicet abſtractis à materia, ſicut, ſi di-
ceremus eſt primus motor: ergo de neceſsitate mouet: &
etiam cœlum poteſt mouere: ergo mouet: poſita enim cau-
ſa de neceſsitate, ponitur effectus. ideo ſeptimo Phyſicorũ,
inquit Ariſto. in æternis non differt eſſe à poſſe: quia æterna
impediri non poſſunt, ſed de neceſsitate agunt, contingen-
tia dicit imperfectionem in ipſis: poſita ergo potentia in ip-
ſis ad aliquid, de neceſsitate ſequitur effectus. alia eſt neceſ-
ſitas non quidem ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione, vt dixi-
mus, & hæc eſt, cũ ex poſteriori ſequitur prius, & non econ
tra, ſed ex eſſe effectus ſequitur eſſe cauſæ, non econtra, ſi-
cut diceremus, domus eſt: ergo & fundamenta ſunt. homo
eſt: ergo ſanguis mẽſtruus. & talis neceſsitas eſt in rebus na-
turalibus: quia potentia in ipſis impediri poteſt. nõ ergo ibi
Ariſtoteles ſecundo Phyſicorum tradit modum demõſtra
tionis, ſicut dicit diuus Thomas, ſed cum ſit duplex neceſ-
ſitas, vna ſimpliciter, & alia ex ſuppoſitione, oſtendit quòd
in rebus ipſis naturalibus eſt ſolum neceſsitas ex ſuppoſitio
ne; in qua ex eſſe poſteriori ſequitur prioris eſſe, & non ecõ
tra, ſcilicet ex effectu ſequitur cauſa: non ergo propter hoc
tollitur, quin recta ſit expoſitio Auerrois, & Themiſtij, ꝙ
Ariſtoteles hic tradat viam doctrinæ, &c. Tertio argue
bat D. Thomas, quia male exponebãt Themiſtius & Auer
roes illud verbum, confuſa, id eſt compoſita, ſcilicet res na-
turales. compoſitum enim, inquit diuus Thomas, non ſigni
ficat compoſitum, ſed ſignificat indiſtinctum, id eſt indi-
ſtinctionem partium & rationem adducebat, quia ex com
poſitis poſſumus oſtendere partes, vt ex domo fundamen-
ta, & parietes, & tectum; ex confuſo autem non: quia genus
eſt quoddam confuſum, & tamen ex ipſo genere non licet
arguere ſpecies. Dico, ſi exponamus hoc confuſum, ſicut ex
ponit Auerroes, argumentum diui Thomæ nihil eſt: quia,
inquit Auerroes, per confuſum eſſe intelligendum compo-
ſitum ipſum ex ſuis partibus, quòd tale compoſitum notitia
confuſa eſt nobis notius ſuis partibus: quia primo occurrit,
nobis, & ita ipſum compoſitum primo apprehendimus in
diſtincte tamen, & confuſe. Cum poſtea arguit diuus Tho
mas de genere reſpectu ſpecierum. At, genus reſpectu ſpe-
cierum non eſt compoſitum, neque ergo confuſum, vt ex-
ponit Auerroes: ergo, &c. Sed tu dicis, genus eſt confuſum:
quia indiſtincte ſignificat. concedo quòd ſi hoc pacto acci-
peret confuſum, id eſt indiſtinctum, eo quòd indiſtincte ſi
gnificat, quod erraret Auerroes, ſed nõ ita exponit, ſed per
confuſum exponit compoſitum, vt ex materia, & forma, &
hoc compoſitũ notitia confuſa eſt notius ſuis partibus, &c.
Arguebam ego fortioribus argumentis aduerſus illam ex-
poſitionem Themiſtij, & Auerrois. & primo, quia iſti ex-
ponunt primam partem de via doctrinę, ſecundam vero de
ordine doctrinæ. ſi ita: ergo Ariſtoteles peccat de fallacia ę-
quiuocationis: quia ex via doctrinæ infert ordinem doctri
næ. ex quo enim inquit Ariſtoteles genus demõſtrationis,
quo procedimus in cognitione principiorum, eſt à confu-
ſis, ſeu à compoſitis ad ſimplicia, tanquam à notioribus no-
bis, infert deinde Ariſtoteles ſic. vnde ex vniuerſalibus or-
dine doſtrinæ. At quæ illatio eſt iſta, quam facit Ariſtote-
les, quia via doctrinæ procedimus à notioribus nobis, quæ
ſunt compoſita in ſimplicia? mox infert, vnde ex vniuerſa-
libus in ſingularia, &c. quomodo tenet hæc illatio, quam af-
finitatẽ habet via doctrinæ? cum ordine doctrinę via. n. do
ctrinæ eſt procedere ab effectibus in cauſas. ordo vero do-
ctrinæ eſt in vnoquoque genere cauſarum incipere ab altio
ri, & ſuprema cauſa ad proximas vſque ad elemẽta: quomo
do ergo valet hoc, cum genus demonſtrationis, quo vtitur
hic philoſophus naturalis, eſt demõſtratio ſigni ab effectu
in cauſam: ergo ordine doctrinę in pertractandis cauſis in-
cipiendum eſt ab altioribus, & ſupremis per intermedia ad
proximas. multipliciter ergo peccat Ariſt. primo, quia nul-
lam affinitatem habet via doctrinæ cum ordine doctrinæ.
ſecundo, quia ſunt diuerſæ notitiæ, notitia ſcilicet viæ do-
ctrinæ, & notitia ex ordine doctrinæ. illa enim notitia, quæ
habet ex demonſtratione ſigni ab effectu in cauſam eſt no-
titia imperfecta confuſa. ordo autem doctrinæ eſt ordo re-
cte, perfecte, & diſtincte cognoſcendi, & eſt ſimilis ordini
naturæ: compoſita ergo, de quibus loquitur Ariſtoteles, cũ
parte tradit viam doctrinæ, ſunt nobis notiora notitia con-
fuſa, indiſtincta, & imperfecta. Vniuerſalia autem, de qui-
bus loquitur, cum tradit ordinem doctrinæ, id eſt cauſæ al-
tiores debent eſſe nobis notiores notitia perfecta, & diſtin
cta: quomodo ergo tenet argumẽtum à notitia perfecta ad
perfectam, &c. Dico, optima fuit hæc illatio Ariſtotelis, &
recta expoſitio illorum, vt optime notauit Auerroes: quia
ordo doctrinæ, & via doctrinæ innituntur eidem fundamẽ
to huic ſcilicet, quia totũ ſẽſui eſt notius, quàm partes: quia
totum intellectus erit notius, quàm partes. & ratio eſt: quia
omnis noſtra notitia ex ſenſu pendet. vnde dicit Auerroes
in commento quinto quòd triplex eſt compoſitionis mo-
dus: vna eſt compoſitio ſpeciei, ex ſuis cauſis, & hæc eſt du-
plex, vna, quæ ex ſuis partibus eſt ſecundum rei veritatem,
vt homo componitur ex animali & rationali, alia eſt com-
poſitio ſecundum imaginationẽ ſcilicet generis ex ſuis ſpe-
ciebus. alia eſt compoſitio indiuidui ex materia, & forma,
& hac triplici compoſitione totum eſt notius ſuis partibus.
in duabus primis compoſitionibus totũ notius eſt ſuis par
tibus apud intellectum. in tertia vero compoſitione totum
eſt notius, quo ad ſenſum. tenet ergo illatio Ariſtotelis hoc
modo: quia totum ſenſui notius eſt ſuis partibus: ita etiam
totum intellectui erit notius ſuis partibus. ratio eſt: quia om
nis noſtra cognitio intellectiua ortum habet à ſenſu. cũ er-
go via doctrinæ debeamus procedere à nobis notioribus,
hæc vero compoſita ſunt & tota, ita etiam ordinem doctri
næ, cum à notioribus incipiendum ſit, incipiemus à cauſis
vniuerſalioribus: quæ ſe habẽt vt totum reſpectu cauſarum
minus vniuerſalium. innitur ratio huic fundamento: quia
totum

totum ſemper notius eſt ſuis partibus. aliquid tamen eſt notius ſuis partibus notitia confuſa. aliquid notius notitia diſcreta, & diſtincta. totum enim, id eſt, compoſitũ notius eſt ſuis partibus notitia confuſa. Totum autem, id eſt cauſæ vniuerſaliores, & altiores, quę ſe habent, vt totum reſpectu minus vniuerſalium, eſt notius notitia diſtincta, & propria: ſicut ergo totum eſt notius ſuis partibus penes ſenſum, ita & penes intellectum: quia omnis noſtra notitia intellectiua pendet ex ſenſu: ineſt omni ergo notitia intellectiua, tã confuſa, quàm diſtincta, ſemper totum, aut quod habet rationẽ totius, notius ſuis partibus. cũ ergo dicis, quam affinitatem habet via doctrinę cum ordine doctrinæ: dico, quòd habet penes hoc, quia ambo eidem innituntur fundamento. quòd ſcilicet totum notius eſt ſuis partibus in quacunque notitia, vel confuſa, vel diſtincta: quia ita eſt in ſenſu, & tota noſtra cognitio pendet ex ſenſu: ſicut ergo in via doctrinæ totum, id eſt compoſitum, eſt notius ſuis partibus notitia confuſa, ita vniuerſalia ordine doctrinæ, id eſt cauſæ altiores reſpectu proximarum, & genus reſpectu ſpeciei, quæ ſe habent, vt totum, ſunt notiora notitia diſtincta, quæ eſt ſecundum naturam: ab ipſis ergo vniuerſalibus ordinæ doctrine incipiendum eſt, &c. Arguebat ſecũdo, quia iſti male exponũt per vniuerſalia cauſas altiores. non enim ſe habent vt genus reſpectu ſpeciei. cauſę enim vniuerſales non continent cauſas proximas vt genus cõtinet ſpecies. immo ſe habet econtra. quomodo ergo ſecundũ iſtos Ariſtoteles appellat cauſas altiores genera. hic enim per vniuerſalia intelligit genera, quæ continent inferiora, ſcilicet ſpecies ipſas, &c. Dico, quòd reuera cauſæ ſuperiores non cõtinent inferiores, ſicut genus continet ſpecies: quia nõ prædicatur de inferioribus; ſed dicũtur continere: quia ſunt maioris ambitus, & ad plura ſe extendunt: quia vbicunque eſt materia ſecunda, ibi eſt materia prima, & non econtra. Cauſæ ergo altiores dicuntur continere, nõ quia reuera cõtineant, ſed quia ſunt maioris ambitus. ſicut enim genus eſt maioris ambitus, quàm ſpecies, ita cauſæ altiores dicuntur genera: quia maioris ſunt ambitus, &c. Adducebam tertio non recte exponi, quòd hic Ariſtoteles tradat ordinem doctrinæ: quia iam expreſſerat ipſum in primo textu ſecundum ſententiam omnium expoſitorũ. ibi enim in primo textu tradit nobis à qua cauſa ſit incipiendum ordinem doctrinæ, & dicit, ꝙ ab vniuerſaliori in vnoquoque genere. Dico, ꝙ reuera ibi etiam Ariſtoteles tradit, &c. obſcure, & ænigmate. non enim tradidit ibi talem ordinem intentione, ſed incidenter. ideo neceſſe fuit etiam tradere ipſum ſecundum intentionem, & declarare ipſum, & hoc facit hic, &c. Eſt alia dubitatio: quia aduerſatur ſibimet Ariſtoteles, hic & primo Poſter. hic. n. dicit, quòd vniuerſalia ſunt nobis notiora, quàm ſingularia. primo autem Poſter. dixit oppoſitum, ꝙ ſingularia ſunt notiora vniuerſalibus, ex quo proximiora ſunt ſenſui, &c. Et hic ſibi contradicit: quia prius dicit, quòd genus eſt notius ſpecie: poſtea dicit, ꝙ nomẽ definiendum eſt notius ſua definitione, quæ conſtat ex genere, & differentia, cum definitur ſpecies, definitur ex genere, & differentia: ergo patet ꝙ ſpecies iterum notior genere. Dico, nulla eſt contradictio in verbis Ariſtotelis: quia idem poteſt eſſe notius, & ignotius altero, diuerſa tamen notitia. itaque ergo cum hic dicit Ariſtoteles vniuerſalia eſſe notiora ſingularibus, intelligitur notitia diſtincta. cũ vero primo Poſter. dicit ſingularia eſſe notiora nobis vniuerſalibus, hoc eſt etiã verum notitia confuſa, & imperfecta. cum etiã dicit, ſimiliter genus eſſe notius ſpecie, locutus eſt ſecũdum notitiam perfectam ordine doctrinæ, qui eſt ordo naturæ. ſi vero dicat, compoſitum eſſe notius ſuis partibus, loquitur de notitia cõfuſa, & indiſtincta. & hæc notitia confuſa, & indiſtincta ſpecies eſt notior genere, ſcilicet parte definititionis, &c.

LECTIO. XXII.

SVPER capite prælecto ſunt tres dubitationes latinorũ. prima eſt ſuper verbis Ariſtotelis primis: quia dixit omnis notitia, q̃ habetur de aliquo eſt per cauſas, & elementa eius. tunc enim dicit ipſe, arbitramur vnũquodque cognoſcere, &c. eſt dubitatio nũquid ad notitiam perfectam alicuius rei requiratur notitia omnium cauſarũ per ſe, & primo illius, & videtur quod non: quia definitio perfecte declarat quidditatem rei, & ex ipſa definitione habetur ſcientia perfecta, & tamẽ definitio ſexto Topicorum non conſtat, niſi ex genere, & differentia, & ita ex vno genere cauſę, ſcilicet ex cauſa formali. non autem conſtat definitio ex cauſis externis, quæ ſunt extra quidditatem, habetur ergo notitia perfecta alicuius abſque cognitione omnium cauſarum eius, &c. Secundo, quia alicuius rei infinitæ ſunt cauſæ, vt indiuidui, puta Socratis, infinitæ ſunt cauſæ: quia pater eius, auus, atauus, & ſic in infinitum. infinita vero ſciri non poſſunt: in notitia ergo Socratis non requiritur cognitio omnium cauſarum: quia haberi non poſſunt, &c. Tertio demonſtratio potiſsima facit ſcire perfecte, & tamen ipſa demonſtratio potiſsima eſt tantum per vnum genus cauſæ, ſicut dicit Ariſtoteles primo Poſteriorum, & tamen perfectiſsime facit ſcire: ergo alicuius poſſumus habere ſcientiam abſque cognitione omnium cauſarum, &c. Quarto & vltimo: quia per principia principaliſsima illa metaphyſicalia, vt de quolibet eſt vera affirmatio, aut negatio, & de nullo ſimul. hæc principia habent omnia genera cauſarum. habent enim pro ſubiecto intellectum potentiæ. pro cauſa vero agente intellectum agentem habent, etiã finem: cuius gratia propter ſcientiam, ſimiliter formam, id eſt inhęrentiam prædicati cum ſubiecto: hæc ergo habent omnia genera cauſarum, & tamen perfectiſsime abſque cognitione cauſarum ſuarum, &c. Dico ad hæc, ſicut dixit Ariſt. duplex eſt cognitio, ſiue ſit ſimplex, ſiue compoſita, ſcilicet perfecta, & iperfecta. imperfecta cognitio eſt, quæ habetur ſine notitia cauſarum, ſi habet cauſas. notitia autem perfecta eſt duplex, quædam eſt perfecta ſimpliciter, & hæc notitia non poteſt haberi, niſi ex cognitione omnium cauſarũ. alia eſt notitia perfecta in genere, ſcilicet in aliquo genere cauſarum, vt cũ habetur notitia alicuius per aliquod genus cauſæ vt per genus cauſæ materialis. hæc appellatur notitia perfecta in genere; Simpliciter perfecta notitia haberi nõ põt niſi ex cognitione oĩum ſuarũ cauſarũ. recte ergo dixit Ariſtoteles loquẽs de notitia ſimpliciter pfecta, ꝙ non cõtingit ſcire aliquid, cuius ſint principia cauſæ, aut elemẽta, niſi ex cognitione omniũ ipſius cauſarum. ad argumentum ergo, cum dicis: dafinitio perfecte declarat eſſentiam, & quidditatem rei, & ex ipſa habetur ſcientia perfecta: dico verum eſſe ſed nõ ſimpliciter, ſed tantũ in genere eius cauſæ, quam comprehendit, ſcilicet in genere cauſæ formalis, ſi definitio comprehendat cauſam formalem, &c. Sed tu dicis contra Ariſtoteles ipſe dicit, quòd definitio, quæ conſtat ex genere & differentia, dat perfectam ſciẽtiam de eo, cuius eſt definitio: & ſi per aliud genus cauſæ dat notitiã definiti, quàm per genus, & differentiã, dat per aliquod eddiramentum & extrinſecum. Dico, quòd ibi loquitur Ariſtoteles, vt dialecticus. ſed ex tali definitione dialectica non habetur perfecta ſcientia ſimpliciter, ſed tantum in genere. immo primo libro de anima definiens animã Ariſtoteles ſolum per vnũ genus

genus cauſæ, dicit hanc definitionem eſſe ſuperficialem, & dialecticam. ergo ſi definitio debet generare ſcientiã ſimplicit er perfectam, debet cõſtare ex omni genere cauſarũ, & inquit Ariſtoteles octano Metaphyſices, omnis perfecta definitio debet conſtare, & comprehendere omnes per ſe cauſas, vt ſi per definitionem ſomni velimus habere ſcientiam eius perfectã ſimpliciter, illa definitio debet comprehendere omnes per ſe cauſas ſomni, vt ſi dicam, ſomnus eſt immobilitas partis ſenſitiuę. illud eſt genus, & differẽtia, ſcilicet forma ipſa, genus cauſę formalis, ex vapore cibi, iſta eſt cauſa efficiens circa cor, iſta eſt cauſa materialis, gratia reſtaurationis animalis, iſta eſt cauſa finalis, in omni ſcientia perfecta ſimpliciter requiritur cognitio omnium cauſarũ. & ita definitio ſimpliciter perfecta debet comprehendere omnia genera cauſarũ. quod ſi non comprehendat, eſt imperfecta in genere, & dialectica. ſi autem ex definitione ipſa debet haberi ſcientia perfecta, ſimpliciter debet comprehendere omnia genera cauſarum, vt exemplificaui vobis in definitione ſomni, &c. Quod dicis ſecũdo, quia eiuſdem rei ſunt infinitæ cauſæ: dico, verum eſt quòd infinitæ ſunt cauſæ rei ſingularis; ſed Ariſtoteles non loquitur de ſingularibus, ſed de rebus, quæ ſciri poſſunt. ſingulariũ enim non eſt ſcientia, &c. Quod tertio, quia demonſtratio potiſsima facit ſcire perfectiſsima, & tamen nun conſtat ex omni genere cauſarum. Dico, quòd & ſi demonſtratio potiſsima faciat ſcire, nõ tamen facit ſcire ſimpliciter perfectiſsime; ſed in genere tantum facit ſcire perfecte. ſcientia autem ſimpliciter perfecta non eſt, niſi per omnia genera cauſarum. De quarto, ꝙ dicimus, quia principia primo ſciuntur, & habẽt cauſas, nõ tamen ſciuntur ex cognitione earum cauſarum, ſed abſque cognitione cauſarum. Dico, quòd principia illa bifariam conſiderari poſſunt. vno modo, vt ſunt propoſitiones conſtantes ex terminis, ex ſubiecto, & prædicato: & hoc modo habent cauſas. ſunt enim in intellectu potentiæ, vt in ſubiecto. intellectus enim agens habet rationem agentis, & finis eſt propter ſcientias: formalis eſt inhærentia extremorum: & ita hoc modo ſub ratione materiali in eo, ꝙ ſunt propoſitiones, habent cauſas, & hoc modo non poteſt haberi perfecta notitia ſimpliciter de ipſis, niſi ex cognitione omnium harum cauſarum. alio modo conſiderari poſſunt hæc principia, & dignitates, quò ad ſignificatum eorum formaliter, ſcilicet quò ad inhęrentiam prędicati cum ſubiecto: & hoc modo hæc principia nõ habent cauſas, nec alia priora. nulla eſt cauſa, cur in his inhæreat prædicatum cum ſubiecto: itaque ergo ſicut ſunt ſine cauſis, ita de ipſis poteſt haberi notitia perfecta abſq; cognitione cauſarum. Ariſtoteles autem loquitur de rebus, quæ habẽt cauſas. Sed tu dicis, quia diximus, ꝙ ad perfectã notitiam ſimpliciter requiruntur omnes cauſæ, nihil minus etiam perfecta notitia non ſimpliciter haberi poteſt, ex vno genere cauſæ vel pluribus, & ſic nõ ideo, &c. Eſt dubitatio, quæ cauſæ verius faciant ſcire, nũquid cauſæ internæ, aut externę. ex vna parte videtur, quòd cauſæ internæ magis, & verius faciant ſcire, quàm externæ: quia ipſe magis faciunt ad eſſentiam, & quidditatem rei: ergo & ad notitiam eius ex alia parte videtur, ꝙ cauſæ externæ magis, & verius faciunt ſcire: quia ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere: ergo quæ magis facit ſcire. cauſæ ante externæ ſunt potiores cauſæ: ergo ipſæ verius faciunt ſcire. talis enim eſt ordo inter cauſas, vt prima ſit finalis. ipſa enim ſupponit efficiens: deinde ſequitur efficiẽs: deinde forma. inferior autem eſt materialis modo, videtur ꝙ. cauſæ externæ, ex quo potiores ſunt cauſæ, etiam verius faciant ſcire, &c. Eſt alia dubitatio quomodo per definitionem acquiramus ſciẽtiam perfectam ex cauſis, cum in definitione nullus ſit diſcurſus, ſed tantum ſit ſimplex notio: quo modo ergo ſine diſcurſu per cauſam poteſt haberi perfecta ſcientia, &c. De primo dico, ꝙ cauſæ externæ ſimpliciter magis faciunt ſcire, quàm cauſæ internæ: quia ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere, & cauſæ externę ſunt potiores cauſæ: ergo notitia p ipſas habita ſimpliciter eſt perfectior, quàm quæ habetur ex cauſis internis. Contra, dicebas, cauſæ internæ magis faciunt ad quidditatem, & eſſentiam rei. Dico, concedo quidem, ꝙ quò ad quidditatem rei, & eſſentiam cauſæ internæ faciunt magis ſcire, ſed ſcientia illa, quæ prouenit ex cauſis externis eſt ſimpliciter perfectior, quàm ea, quæ prouenit ex cauſis internis: quia ſunt potiores cauſæ, & ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere, &c. De ſecundo dicis, quomodo per definitionem poteſt haberi ſciẽtia perfecta, cum ibi nullus ſit diſcurſus, &c. Dico, habetur ſcientia perfecta ex definitione, ex ſola collatione cauſarum ad cauſatum; quæ collatio fit per definitionem, cum comparo ipſum, puta hominem ad cauſas, vt ad animal rationale acquiro perfectam notitiam cauſati ſola hac collatione abſq; diſcurſu, &c. Eſt ſecunda dubitatio principalis ſuper verbis illis Ariſtotelis, non enim eadẽ ſunt nobis nota & ſimpliciter. Dubitatur ergo, nunquid eadem ſint nobis nota, & naturæ: & videtur, ꝙ ſic, primo, quia quæ ſunt notiora nobis, ſunt etiam notiora animæ noſtræ rationali: ſed anima noſtra rationalis eſt quædam natura, vt inquit Ariſtoteles ſecundo de anima: ergo, &c. Secundo, quia ſi eadem, quę ſunt nota naturæ, non ſunt nota nobis, aut ſunt notiora naturę cognoſcenti, aut non cognoſcenti. quodcunque dicas, eſt impoſsibile. ergo non eſt verum, ꝙ eadem quæ ſunt notiora naturæ, non ſint & nota nobis. & econtra, quia non ſunt notiora neque naturę non cognoſcenti: ſi dicas ergo primũ, ꝙ ſunt notiora naturæ nõ cognoſcenti, hoc implicat, quòd aliquid ſit notius naturæ, vt id non cognoſcat. ſi vero dicas, quòd ſint notiora naturæ cognoſcenti, nulla eſt natura, quæ cognoſcat, niſi primus opifex: ſi ſic ergo erit ſenſus propoſitionis, ꝙ ea, quæ ſunt notiora primo opifici, ſunt notiora naturæ, id eſt primo opifici, ſunt nobis ignotiora, & quę nobis notiora, primo opifici ſunt ignotiora. hoc autem abſurdum eſt: quia Deó omnia æque nota ſunt: non ergo poſſunt aliqua eſſe notiora, aliqua ignotiora: nec etiam effectus erũt nobis notiores, quàm naturæ hoc mõ, id eſt Deo ipſo: quia omnia ſcit æque. Tertio, & hoc argumẽtum habet difficultates: quia compoſitum eſt magis, & perfectius ens, quàm ſimplicia ſua, ex quibus conſtituitur, vt materia, & forma. quod enim actu eſt, eſt magis, & perfectius ens, quàm id, quod non eſt actu: cum ergo compoſitum includat formã: ergo perfectius eſt, quàm materia, quæ non includit formã. ſed ex ſecundo Metaphyſices, ſicut ſe habet res ad eſſe, ita ad cognoſci: quia ad veritatem, & per veritatem nihil aliud intelligitur, quàm cognoſcibilitas, ſeu intellectio: inquit ergo Ariſtoteles, ſicut res ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci; ſed compoſitum eſt magis ens, & perfectius, quàm ſimplicia: ergo etiam notius, quàm ſimplicia ſua, & cauſę ex quibus cõſtituitur, vt loquitur Ariſtoteles de cognitione ſimpliciter, quod perfectius eſt ſecundum naturam, notius eſt: quare ipſe Ariſtoteles hoc idem declarat de ſubſtãtijs abſtractis. inquit enim, ſubſtantiæ abſtractæ à materia, ex quo perfectiores in natura ſunt, etiam quoad ſui naturam notiores ſunt: quia illud eſt notius naturæ, quod magis intenditur à natura; ſed ſpecies magis intenditur à natura, quàm genus, indiuiduum magis quàm ſpecies. quod patet, quia natura ipſa, cum producit aliquid, non quieſcit in genere, ſed tranſit ad ſpeciem, & iterum ex ſpecie trãſit ad indiuiduum: ergo indiuiduũ magis intenditur à natura. tranſit enim ad id

quod magis intendit. ſingularia autem ſunt hæc: ergo ſingularia ſunt naturæ notiora, quàm ſpecies, & ſpecies notiores, quàm genera: non ergo verum eſt, quòd non ſint eadem nobis, & naturæ notiora: quia ſingularia ſunt etiam nobis notiora, vt diximus, & vltimo probamus, quòd eadẽ ſunt nobis notiora, & naturæ: quia aliquando cauſæ rerum ſunt notiores philoſopho naturali, quàm effectus. & etiam cauſę ſũt naturę notiores, quod declarauit Auerroes hoc in proœmio ſuo. inquit enim, ꝙ philoſophus naturalis aliquãdo vtitur demonſtratione ex cauſa in effectum. & hoc pacto procedit etiam natura: ergo eadem ſunt nobis notiora, & naturæ. pro hac quæſtione multiplex eſt modus dicẽdi, quo modo ſcilicet non ſint eadem nobis, & naturæ notiora. primus eſt diui Thomæ, & Egidij ſequentis ipſum, quòd ideo eſt notius naturæ, non quidem, quod cognoſcitur à natura, ſed quod ex ſui natura eſt notius, & quid eſt hoc? inquit diuus Thomas, eſt id, quod eſt magis, & perfectius ens. illud ex ſui natura eſt notius, vt inquit Ariſtoteles ſecũdo Metaphyſices: quia, ſicut ſe habet res ad eſſe, ita ad veritatẽ id eſt ad cognitionem, inquit D. Thomas: id ergo quod verius eſt ens, & perfectius, illud eſt notius naturæ, ex ſui natura notius. ſed hęc expoſitio D. Thomæ habet difficultatem: quia hoc pacto, ſi id, quod ex ſui natura notius eſt, eo quod magis eſt ens, & perfectius, hoc pacto non omnis cauſa erit naturæ notior, quàm cauſatum. plurima enim ſunt compoſita, quæ ſunt perfectiora, quàm eorũ cauſæ, vt homo eſt perfectius ens, quàm materia, ex qua cõponitur: quia ipſe homo includit formam, id eſt animam rationalem, quæ perfectior eſt, quàm materia: hoc cauſatũ ergo erit naturæ notius, quàm ſuæ cauſæ, cuius oppoſitum clamat Ariſtoteles, cauſæ omnes ſunt notiores naturæ, quàm compoſita, & cauſata: quia ſimplicia ſunt, & indiuiduum eſt magis, & perfectius ens, quàm ſpecies, & vltra conditiones ſpecificas addit propria accidentia: ergo indiuiduum, puta Socrates, erit naturæ notius, quàm ſpecies, ſcilicet homo & ꝗ genus: quod tamen eſt abſurdum. ideo eſt ſecundus modus dicendi, qui imponitur Auerroi ab iſtis Auerroiſtis, quod id eſt naturę notius, quod primo occurrit ipſi naturæ in ſui operatione, id eſt agenti naturali. non ideo tum appellamus notius naturæ: quia natura id cognoſcat: hoc enim eſt falſum: quia natura non cognoſcit: ſed ideo, quod primo occurrit naturæ: dicitur ei notius: quia ſi natura cognoſceret, id primo cognoſceret. verbi gratia in generatione hominis, cauſæ generationis hominis ſunt notiores naturæ, non quia natura eas cognoſcat, ſed quia ei primo occurrunt in ipſa hominis generatione. ideo ſi natura cognoſceret, primo ipſas cognoſceret. ſed nec hic modus dicendi rectus eſt: quia ſic materia eſſet notior forma: quia agenti naturali primo occurrit materia, quàm forma, prout in generatione hominis, primo occurrit materia generationis, ſcilicet ſemen ipſum, quia forma hominis. oppoſitum autem dicit Ariſtoteles, quæ ſimpliciora ſunt, etiam priora & notiora naturæ. vnde conſequenter Ariſtoteles deſcribendo nobis ordinem doctrinæ de principijs, quia eſt conformis ordini naturæ, inquit, ab vniuerſalioribus, & altioribus cauſis eſt incipiendum. ſecũdo ſequeretur, quòd materia ſecũda eſſet notior naturę materia prima: quia materia ſecũda ſemper primo occurrit naturæ, vt in generatione hominis occurrit primo materia ſecunda, ſcilicet ſanguis menſtruus, quę eſt materia proxima generationis hominis. hoc tamen eſt falſum; quia ſimpliciora ſemper naturæ ſunt priora, & notiora. materia autem prima eſt ſimplicior materia ſecũda: quia materia ſecunda prę ſupponit primam, & proximam præſupponit omnes ſuperiores, vt materia elemẽtorum materiam primam, & huius elementa: ideo eſt & alius modus dicendi quorundam volentium inuicem conciliare auctores: quia eſſe notius naturæ dicunt iſti patres, eſſe multipliciter. primo, illud eſt notius naturæ, quod ex ſui natura eſt notius. ſecundo, quod eſt magis ens, & perfectius. tertio, quod eſt ſimplicius, quarto, quod primo occurrit naturæ in ſuo opere. quinto, quod primo intenditur à natura. & ita dicunt iſti, & hac diuiſione expoſitores omnes rectè dixerunt: quia tot modis aliquid eſt notius naturę: ſed hęc expoſitio valde deficit. & primo, quia facit implicationẽ in membris ſuis. primum enim mẽbrum coincidit cum vltimo: quia id quod eſt magis ens, & perfectius, magis etiam intenditur à natura & quod ex ſui natura eſt notius, eſt id quod eſt ſimplicius. ſecundo ex diuiſione hac ſequitur, ꝙ idem eodem modo erit notius, & ignotius naturę: quia genus eſt notius naturæ ſpecie ipſa, quia eſt ſimplicius in natura. ſpecies enim addit generi conditiones ſpecificas, quia genus eſt ſimplicius etiam naturæ & notius. Iterum ſpecies erit notior ipſo genere: quia ſpecies eſt magis ens, & perfectius, quàm genus: idem ergo eodem modo erit notius, & ignotius naturæ. ego autem aliter dico, ꝙ tantum illud eſt notius naturæ, quod ex ſui natura eſt notius; non quia alicui naturę ſit notius; ſed quia ex ſui natura eſt notius. iſti capiũt datiuum pro ablatiuo, & quid eſt hoc, quod ex ſui natura eſt notius? eſt illud, quod ex ſui natura eſt ſimplicius: & prius eſt, quod eſt ſimplicius. Simpliciora enim ſunt ex ſui natura priora, & notiora, At, quia? quia ſimpliciora in ſui cognitione non indigent compoſitis vt genus, in ſui definitione non ponitur ſpecies. ideo ſimplicius, & prius eſt ſpecie: quia ſpecies in ſui cognitione perfecta indiget genere: habetur enim notitia perfecta ſpeciei per definitionem; ſed in definitione ſpeciei ponitur genus: ergo genus eſt notius naturę, id eſt ex ſui natura: quia eſt ſimplicius, quàm ſpecies. ideo in vnoquoque genere cauſarum altiores, & ſimpliciores cauſæ ſunt naturæ notiores, id eſt ex ſui natura notiores: quia priores ſunt & ſimpliciores, & in ſui cognitione nullius indigent, quia non indigent cauſis inferioribus illius generis. ſed tu dicis, concedo, quod ſimpliciora ſunt priora naturę ipſis compoſitis, ſed comparãdo ſimplicia ad inuicem, puta primam materiam ad primam formam, quæ cauſa eſt notior ex ſui natura, cum ambæ ſint ſimplices, & vna non ſit magis compoſita altera, dico, comparãdo ſimplicia ad inuicem, illud ex ſui natura eſt notius, quod eſt perfectius: ideo forma cum ſit perfectior materia, & eſt etiam notior ſui natura: eſt ergo ſenſus verborum Ariſtot. quòd vniuerſalia ſint notiora naturę, id eſt cauſę altiores ſunt notiores naturę, quàm cauſæ proximæ; quia ex ſui natura ſunt notiores, id eſt ſunt priores, & ſimpliciores: quia in ſui cognitione non indigent cauſis inferioribus, & proximis. ideo ab ipſis incipiemus. Ex hoc ſoluuntur dubitationes propoſitę, quibus probatur idem eſſe notius naturę, & nobis. & primo arguebatur, quę ſunt naturę notiora ſunt etiam animę noſtræ rationali: anima autem noſtra rationalis eſt quędam natura: ergo eadem ſunt nobis & naturę notiora. Dico, eſt ęquiuocatio hic: quia nõ appellatur eſſe notius naturę cognoſcenti, adeo quòd natura id cognoſcat; ſed quod ex ſui natura notius, hoc autem eſt ſimplicius: ideo ratio nulla. Quod dicis ſecundo, quia ea quę ſunt notiora naturę, aut ſunt notiora naturę cognoſcẽti, aut non cognoſcenti. Dico, hoc etiam eodem modo ſoluitur, quo & ſuperior ratio ſoluta eſt: quia non tum appellantur id notius eſſe naturę, quod ab aliqua natura cognoſcatur; ſed quod ex ſui natura notius, ſcilicet ſimplicius.

Quod addis: quia compoſitum eſt magis & perfectius ens quàm ſimplicia ſua: ex Ariſtotele autem ſecũdo Metaphyſices

ſices habetur, ꝙ ſicut ſe habet res ad eſſe, ita ad cognoſci. Dico, verum eſt id, quod eſt magis ens, & perfectius. illud eſt notius non naturę, ſed nobis notius: quia cũ inquit Ariſtoteles, ſicut ſe habet res ad eſſe, ita ad cognoſci intelligitur ad cognitionem noſtram. natura enim non cognoſcit: intelligitur ergo dictũ Ariſtotelis, quòd ſicut ſe habet res ad eſſe, ita ad cognoſci, id eſt ad cognitionẽ, & intelligentiã noſtram: quia vnumquodque intelligitur à nobis, ſed quod eſt magis actu ens, id magis cognoſcibile eſt à nobis. quæ autem ſunt notiora naturę, nõ ideo, quia magis entia, & perfectiora ſint, ſed quia ſimpliciora. Ad id, quod dicis: quia indiuiduum magis intẽditur à natura: ergo naturę notius. nego argumentum: & ſic errarunt Ioannes Grammaticus, & Simplicius: quia hoc modo non appellatur notius naturæ, quod magis intẽditur à natura; ſed illud eſt naturę notius, quod ex ſui natura notius eſt, & hęc ſunt priora, & ſimpliciora, quæ ideo dicuntur ex ſui natura notiora: quia comprehendi poſſunt ſine poſterioribus, & genus ſine ſpecie. nõ autem ęque. cõpoſita enim cognoſci nõ poſſunt ſine notitia priorum, & ſimpliciorum, vt homo ſine notitia animalis. iò cauſę ſunt notiores ſuis effectibus, ex ſui natura: quia ipſæ ſciri poſſunt abſque notitia effectuum. effectus autem vere ſciri non poſſunt abſque cauſis, immo in ſui perfecta notitia indigent cauſis, id eſt cauſę in ſui cognitione nõ pręſupponunt effectus. econtra autem, maxime, &c. Quod vltimo, quia aliquando philoſophus naturalis procedit ex cauſis in effectus, vt dixit Auerroes, ꝙ aliquando vtitur demonſtratione cauſæ: ergo aliquando eadem ſunt nobis & naturæ notiora. Dico, non negamus, quin aliquando philoſophus procedat ex cauſis in effectũ, vt ita ei cauſæ ſint notiores, ſed hoc eſt rariſsime, ſicut contrarium eſt in mathematicis, quia ſæpiſsime vtuntur mathematici demonſtratione cauſę: rariſsime demonſtratione ſigni: non negamus ergo, ꝙ aliquando non ſint eadem nobis nota, & naturæ; ſed hoc rariſsime eſt, & quia de raro euenientibus non conſiderat ſciẽtia. ideo abſolute locutus eſt Ariſtoteles ſine exceptione. quia, &c.

LECTIO XXIII.

EST tertia dubitatio Latinorũ ſuper illis verbis Ariſtotelis, vnde ex vniuerſalibus in ſingularia, &c. totum enim ſecundum ſenſum notius eſt: quia hic Ariſtoteles inquit, quòd vniuerſalia ſunt notiora apud intellectum ipſis ſingularibus. Quęrunt ergo iſti, nunquid vniuerſale ſit nobis primo notum, an ſingulare: & dicũt hanc eſſe quæſtionem de primo cognito: quia quæritur, quid prius cognoſcatur à nobis, an ſingulare, an vniuerſale. hæc quæſtio difficilis eſt. ideo ego declarabo vobis primo intellectum quæſtionis, quidnam iſti intendant quærere: deinde oſtendam hanc quæſtionem nihil eſſe ad propoſitum ſuper hæc verba Ariſtotelis: quia tamen tangitur hic à Latinis, & difficilis eſt; ideo eam vobis declarabo. Pro intellectu ergo huius quæſtionis primo ſciẽdum, ꝙ vniuerſale duplex eſt. quoddam accipitur pro prima intentione, quoddam pro ſecunda intentione. vniuerſale acceptum pro ſecunda intentione eſt, quod prædicatur de pluribus, & nihil aliud eſt, quàm cõparatio quædam facta ab intellectu ad ſua ſingularia. dicitur vniuerſale reſpectu illationis factæ ab intellectu comparante vnum obiectum cognitum alteri. ex hac enim comparatione reſultat quodque vniuerſale, quod prędicatur de pluribus: & nõ ſic ſumitur hic vniuerſale. hoc enim pacto conſiderat vniuerſale logicus. vniuerſale vero acceptum pro prima intentione, iterum eſt biſariam, vno modo, vt eſt vniuerſale in cauſando, ſcilicet vniuerſalior cauſa in eodem genere: & cauſæ vniuerſales ſimpliciter, vt cælum, & intelligentiæ, & hoc pacto loquebatur Ariſtoteles de vniuerſali, quod tale eſt prius, & notius ſuis ſingularibus. nec loquitur de vniuerſali ſecundum ipſos. alio modo eſt vniuerſale pro prima intentione non quidem in cauſando, ſed in prędicando quod prędicatur de pluribus, ſcilicet illa notio, quę eſt in intellectu cõmuni omnibus indiuiduis, & quæ primo cõcipitur de alio, verbi gratia, conceptus ac notio, quæ primo concipitur de homine, eſt vniuerſale. hoc pacto & de hoc vniuerſali iſti quærunt, ſcilicet an notio illa, quæ habetur de aliquo, ſit notior ſuis ſingularibus. Notandum pro hoc, ꝙ notitia eſt duplex, quędam intellectiua, & quędam ſenſitiua. hic loquimur de intellectiua, non autem de ſenſitiua: quia ſenſus non apprehendit vniuerſale. intellectiua autem notitia iterum eſt biſariam, quædam ſimplex, quædam compoſita. de notitia compoſita iſti non loquuntur, ſed de ſimplici, quæ ab Ariſtotele tertio de anima appellatur, ſimplicium apprehẽſio. Iterum hæc notitia ſimplex, & duplex, quædam ſcilicet confuſa, & imperfecta, quædam diſtincta, & perfecta. Iſti loquuntur de notitia confuſa: quia omnes cõueniunt, quòd notitia diſtincta, vniuerſale in prædicando, puta animal, eſt notius ſuo ſingulari, quàm homo ſcilicet, ſpecies enim non poteſt innoteſcere notitia perfecta, niſi per cognitionẽ generis. in eius enim definitione ponitur genus. & tamen dubium eſt de notitia cõfuſa, vtrum prius innoteſcat nobis genus, quàm ſpecies. tertio aduertendum, ꝙ hoc quod dicunt notius, poteſt duo nobis ſignificare, vno modo, vt ſignificet nobis intentionem, vt, cum quærimus, an vniuerſale ſit nobis notius ſingulari, ſit ſenſus quęſtionis, an magis innoteſcat nobis vniuerſale, an magis ſingulare, vt illud notius dicat intentionem. alio modo poteſt ſumi illud comparatiuum, non vt ſignificet intentionem, ſed vt ſignificet ordinem, non quidem ordinem temporis: quia eodem tempore apprehendũt omnia prędicta eſſentialia de illo eius notitiã. non ergo ſignificat ordinem temporis, ſed ordinem originis, ita ꝙ cum quęrimus, an vniuerſale ſit nobis notius ſingulari, ſit ſenſus quęſtionis, quis conceptus ſit prius origine in nobis, an conceptus vniuerſalis, an ſingularis, id eſt an cõceptus animalis, an hominis. ſimul enim tempore cognoſcitur indiuiduum ſub ratione, qua ſpecies, id eſt qua homo, qua animal, qua corpus animatum, qua corpus, qua ſubſtantia, & qua ens. ſed dubium eſt, quid ſit nobis notius ordine originis, an vniuerſale, an ſingulare. quarto, eſt notandum, quod ſingulare eſt etiam biſariã. poteſt enim ſumi vno modo proprie, vt eſt quid incommunicabile pluribus, vt eſt Socrates, alio modo improprie, vt minus vniuerſale, reſpectu magis vniuerſalis, dicitur ſingulare, vt homo dicitur ſingulare, reſpectu animalis: & animal reſpectu corporis. Etiam de vtroque ſingulari loquuntur iſti tum proprie, tum improprie: & tunc eſt ſenſus quęſtionis, vtrum vniuerſale ſit notius ſingulari. hoc eſt dubium, quod per ſe primo apprehenditur à nobis. & addo per ſe: quia de apprehenſione per accidens non eſt contentio, vt de Socrate veniente à remotis non eſt dubitatio de hoc, quia obiectum non eſt proportionatum, & in debita diſtantia. ideo hæc apprehenſio non eſt per ſe, ſed per accidẽs. accipiamus ergo Socratem in debita diſtantia. eſt dubitatio, quid prius origine apprehendatur à nobis, an vniuerſale, an ſingulare, id eſt ex notioribus, quæ habentur de Socrate, quæ ſit prima notio nobis, ſcilicet ordo inter has notiones, an ſcilicet notio vniuerſalis ſimpliciter ſit nobis notior, quàm ſingularis, & magis vniuerſalis ſit notior nobis minus vniuerſali, tamen notitia con-

ſuſa.nihil aliud quærūt iſti niſi ordinem inter notiones,quæ habentur ab aliquo, an origine prius ſit notio vniuerſalis,q̃ particularis.& ita iſti appellant hanc queſtionem de primo cognito; ſed improprie dicitur de primo cognito: quia non ſimpliciter quæritur de primo cognito, id eſt quod primo apprehenditur à nobis, non eſt ſimpliciter de eo, quod primo cognoſcitur à nobis:quia ſic eſt ſubſtantia, quę ſimpliciter primo cognoſcitur à nobis, quàm accidens ex Ariſtotele quarto Metaphyſices.ſed quæritur, Socrate pręsēte,quid prius origine apprehēdatur à nobis de ipſo Socrate,an prius apprehendatur ſub ratione ſpeciei,an generis, an indiuidui. iſte eſt intellectus huius quæſtionis,ex hoc patet, quàm aliena ſit hæc quæſtio à propoſito: quia Ariſtoteles in illis verbis non loquitur,vt notat Auerroes & Themiſtius,de vniuerſali in pręedicando;ſed de vniuerſali in cauſando,quæ ſcilicet cauſæ ſint nobis notiores, & inquit, ꝙ cauſę vniuerſaliores,& ſuperiores notiores cauſis proximis . ideo ab ipſis inchoandum . tu autem loqueris de vniuerſali in pręedicando. ſecundo, Ariſtoteles loquitur de notitia diſtincta : quia loquitur de ordine doctrinæ,qui eſt ordo ſciētificus,& ordo diſtincte cognoſcendi. tu autem loqueris de notitia confuſa . tertio , vbi Ariſtoteles pro ſingulari intelligit minus vniuerſale,quia de ſingulari non habetur ſcientia. tu autem intelligis de minus vniuerſali,& de ſingulari proprie.& ita patet,quomodo hęc quæſtio aliena eſt à propoſito:quia tamen latini iſti eam mouēt, & quæſtio difficilis eſt,ideo breuiter eam vobis pertractabo. Quid ergo quærimus? ſi Socrates fuerit præſens;quęritur, quidnam prius origine apprehendatur à nobis,an prius apprehenditur Socrates in eo, ꝙ homo,an in eo,quòd animal? Varię ſunt opiniones inter latinos de hoc.ideo Scotus primo ſententiarum diſt.tertia, quæſtione ſecunda,quem ſequitur Gregorius Ariminenſis primo ſententiarum, diſt.tertia , quæſtione tertia, articulo ſecundo,dicunt iſti,ſi cōparamus vniuerſale ſingulari proprie dicto(ſingulare & bifariam poteſt ſumi proprie, & improprie, ego dixi vobis) prius apprehenditur ſingulare ab intellectu,quàm vniuerſale,quia illud, quod primo mouet intellectum,eſt primo notum intellectui ; ſed tale eſt extra animam:quia ſubſiſtit,& eſt ſingulare proprium.vniuerſale enim non eſt extra animam, vt inquit Ariſtoteles primo de anima, cum dixit,animal aut nihil eſt, aut poſterius ſuis ſingularibus:ſi ergo ſingulare,quod eſt in re,eſt, quod primo mouit intellectum:etiam ipſum primo apprehendit ab intellectu , & probatur , quia credendum eſt, quòd ſingulare mouens intellectum primo moueat ipſum ad ſui notitiam,quàm ad notitiam aliorum,puta vniuerſalium, vt hominis , & animalis: deinde ex ſui notitia moueat intellectū ad notitiam vniuerſalium: quia ſingulare primo mouet intellectum ad ſui notitiam quatenus ſingulare eſt: ergo primo apprehenditur ab intellectu: deinde mouet ad alias notitias ordinate ; ſi vero cōparamus magis vniuerſale minus vniuerſali,ait Scotus,prius à nobis apprehēditur minus vniuerſale,quàm magis vniuerſale,id eſt ſpecies,quàm genus . & talis eſt ſpecies , inquit Ioannes Scotus , cuius ſingularia fortius mouēt ſenſū,& quæ eſt talis ſpecies,quę habet vehemens ſenſibile,cuius ſcilicet ſingularia fortius mouent ſenſum?& cū duplex ſit ſenſibile: quoddam propriū,& quoddam commune, non eſt ſpecies, quæ habet commune ſenſibile;ſed quę habet proprium ſenſibile, ex ſenſibilibus proprijs fortius mouet ſenſus.quidditates enim actiuæ,& paſſiuę fortius mouent ſenſum:quia nedum in ſenſum ſpecialiter,ſed etiā materialiter,& inter ipſas,quæ ſunt proximiores,fortius agunt, quàm remotiores:quia agens in propinquum fortius agit , quàm in remotū:talis ergo ſpecies, quæ fortiora habet ſenſibilia , eſt prius nota nobis genere . At, ſi eſſent plura ſenſibilia, quę ęque mouerent ſenſum, & nunc vnum fortius altero,quod erit:dico, aut ſe impedient inuicem,aut ſimul apprehendentur à ſenſu. ita enim notitia noſtra ſe habet ad intellectum, ſicut ad ſenſum.ſed dices, quid eſt notum prius de ſubſtantijs,quę non mouent ſenſum? Dico,inquit Scotus,quòd ſubſtantia non intelligitur à nobis, quia non cadit ſub ſenſu. ideo nec proprie intelligitur à nobis, cum omnis noſtra notitia ſit ex ſenſu. per accidens autem cognoſcitur ſubſtātia à nobis , & circumlocutione quadam,& per propria accidentia. & hic non eſt ordo , inquit Scotus,inter ſpecies,genera ſubſtantię: quia aliquando apprehenditur ſpecies prius : aliquando prius genus. ideo aliquando prius apprehenditur Socrates, vt animal: aliquando,vt homo,prout accidentia vnius nobis notiora ſunt accidentibus alterius , & prout nobis offeruntur . ſi enim prius offerantur nobis,& apprehēdantur accidētia generis quàm ſpecies, prius apprehēdimus genus.exemplum:ſi offeratur nobis planta;cuius ſpeciem ignoramus , prius apprehendimus ipſam, vt genus . & hoc modo prius cognoſcimus genus,ſcilicet quòd ſit planta, ex eius accidentibus, quia viridis eſt,habet folia: ergo quia accidentia generis prius nobis offerūtur, ideo prius cognoſcimus genus huius ſubſtantię, quàm ſpeciem , nobis magis percontantibus tum ex odore, tum ex ſapore,&c.magis peruenimus in cognitionem ſpeciei. aliquando euenit econtra , vt alicuius ſubſtantia magis cognoſcatur à nobis,vt ſpecies quàm vt genus, vt in exemplo Ariſtotelis ſeptimo Metaphyſices de generatione muli dicit,generatio muli ex equo & aſino eſt vniuoca generatio:quia equus, & aſinus conueniunt in vno genere proximo ; quod tamen nomine proprio caret. ideo hic prius cognoſcitur aſinus ex eius accidētibus ſpecificis,quoniam eſt in ſpecie aſinorum,quàm cognoſcatur eius genus proximū. ſic ergo patet , quòd inter genera & ſpecies ſubſtantię non eſt ordo ſubſtantialis: quia ſubſtantia pro ſui imagine non mouet ſenſum,ideo nec intellectum: quia nihil eſt in intellectu,quin prius fuerit in ſenſu.Iſta opinio adducit quatuor rationes per ſe.prima eſt,quia cauſæ naturales,totales, debitæ,approximatę ſuo paſſo , & nō impeditę agunt perfectiſſimum effectum, quantum producere poſſunt: quia agunt ſecundum vltimum conatum ſui,& quo ad vltimū ſui poſſe:ergo perfectiſsimum effectum producunt,quem poſsint producere. ſumamus ergo cauſas harū notionum tum particularium , ſcilicet cauſas notitiæ intellectus, quę ſunt duę ſcilicet obiectum rei, & intellectus agens, quę ſunt cauſę totales notionum in intellectu : & ſupponamus, ꝙ ſint debitę,approximatę,& non impeditę:ergo producēt perfectiorem notitiam, quàm producere poterant de re noſcenda.talis autē perfectiſsima notio eſt notio ſpeciei ſpecialiſsimæ. perfectius enim , ac diſtinctius apprehēdetur Socrates ſub ratione hominis,quàm ſub ratione animalis. apprehēdetur enim ſub ratione, quà eſt magis ens, & perfectius: ergo etiā prius à nobis apprehenditur Socrates in eo, ꝙ homo,quàm in eo , quòd animal . & hæc notitia erit prior in nobis non quidem tempore,ſed origine tertio, inquit Scotus ſi diceremus,ſicut dicit D.Thomas,quòd naturaliora eſſent notiora nobis:itaque prius apprehenderemus ens, & animal , & ita deſcendendo vſque ad ſingularia , ſequeretur hoc modo , quòd metaphyſica ordine doctrinæ omnes alias ſcientias pręcederet,quòd tamen eſt falſum.quod autem ſequitur,patet,inquit ipſe:quia habito conceptu entis ſtatim habetur eius paſsio prima , quę immediate ei inhęret, quę eſt vnitas.ex ſimplici enim notitia entis , abſque alia probatione ſtatim habetur notitia eius primę paſsionis, vt dicit Ari

ſtoteles

ſtoteles ſeptimo Metaphyſices:deinde ex hac paſsione habetur notitia aliarum duarũ paſsionum. ſunt enim tantum tres paſsiones entis,ſcilicet vnitas bonitas, & veritas,id eſt intelligibilitas.qnod ſit intelligibile, vna immediate cognoſcitur ex cognitione ſimplici, entis ſcilicet vnitas ipſa,aliæ duę cognoſcuntur per hanc primam, ſcilicet per vnitatem eã cognoſcuntur bonitas & veritas. ſi ergo primo cognoſcimus de aliquo,puta Socratem,quòd eſt ens,& ex cognitione entis cognoſcuntur eius paſsiones.hoc autem ergo cum ſit metaphyſici.ſunt enim dignitates metaphyſici hę,quòd ens ſit vnum bonum & verum: ſcientia ergo metaphyſica prior erit cęteris ſcientijs: quia ſcientia metaphyſicalis de omni re in nobis pręcedit: quod tamen eſt falſum, ſicut ſuperius diximus.tertia ratio,quę leuis eſt,nec Scoti ſubtilitate digna eſt: quia ſi per te prius apprehẽderemus ſuperiora pręclicata:poſtea deſcẽderemus ad ſingularia, vt de Socrate,prius apprehendimus ipſum ſub ratione entis: deſcendẽdo ad notitiã eius ſub ratione hominis, vel Socratis,ſequeretur, ꝙ ſimul tempore non apprehenderemus omnia prædicata de ipſo Socrate. cum enim ſint multa prædicata intermedia inter ens,& hominem;ſi prius apprehenderemus Socratem in eo, quòd ens, antequam perueniremus ad notitiã eius in eo, ꝙ homo, multũ tempus intercipitur. & ita non ſimul tempore apprehenderemus omnia pręclicata de ipſo Socrate.quod tamẽ eſt falſum,quia ſimul tẽpore apprehenduntur omnia talia prædicata.Quarto,& vltimo,quod elicio ex eius verbis Scoti.non enim ita clare ponit hoc,ſicut ſuperiora:quia ſi ita eſſet,ꝙ notitia vniuerſalis præcederet in nobis ſingularem,non autem econtra,ſicut nos dicimus, ſequeretur, ꝙ notitia diſtincta præcederet in nobis notitiam confuſam.quod falſum eſt. quod autem ita ſit,oſtendo: quia ens quoduis primo apprehenditur à nobis.ex quo eſt vniuerſalius ens: ergo cum ſit conceptus ſimplex, & indiuidualis aut totaliter & perfecte ſcitur, aut totaliter ignoratur:cum ergo cognoſcitur, non niſi notitia diſtincta cognoſcitur.reliqua etiam ſubſequentia genera, & ſpecies, notitia confuſa apprehendũtur:ergo notitia diſtincta in nobis præcedit confuſam. quod eſt inconueniens, ſed iſtæ rationes Scoti parum cogunt.ideo iſti ſequẽtes viam D.Thomæ eas ſoluunt.& primo, cum dicit cauſæ naturales debitæ approximatæ, non impeditæ perfectiorẽ effectum producunt,quem producere poſſunt:Dico,ꝙ hoc ſit ſimpliciter verum, nego, ſcilicet quod ſemper cauſæ hoc pacto producant effectum perfectiorem,quẽ poſſunt.& oſtẽdo, quia dicas mihi, quid prius eſt in nobis, an notitia diſtincta, an confuſa:certe Scotus reſpondebit,ꝙ notitia cõfuſa eſt prior in nobis.At,ſi ita eſt, quare ergo cum duæ hæ notitiæ producantur ab eiſdem cauſis, ſcilicet obiecto, & intellectu agente,& debite approximatur,nõ producitur effectus perfectior prius: quia notitia diſtincta eſt effectus perfectior notitia confuſa. quare hæ duæ cauſæ non prius producunt effectum perfectiorem,quẽ poſſunt producere,quæ eſt notitia diſtincta.ex alio etiam,quia tu ponis, ꝙ ad notitiã alicuius,ſicut reuera eſt,cõcurrat ſpecies ĩtellectualis,& actualis notio;ſed quæ prius concurrit à notitia alicuius,an ſpecies intellectualis an actualis notio ?profecto dices, ꝙ prius concurrit intellectualis:cum ergo ex eadẽ cauſa proueniant ſpecies intellectualis & actualis notio ? quare nõ prius producitur actualis notio,cũ ſit perfectior effectus, quàm ſpecies ipſa intellectualis. ſolue igitur hoc argumentum: quia ego ſoluam tuum. At,tu dices,non ergo verum eſt, quod cauſæ totales, naturales ſemper agant ſecundum vltimum ſui conatum,& ita perfectiorem effectum producant quem producere poſſunt. Dico,ꝙ illa propoſitio non eſt vera,niſi adſit ordo eſſentialis inter eff ctum perfectiorem, & imperfectum. itaque vnus in ſui productione indigeat altero, & non poſsit produci ipſe effectus, niſi producatur alter: ſi ergo euenit, vt effectus perfectus in ſui productione indigeat imperfecto, & neceſſe ſit imperfectum effectum prius eſſe productum, tunc cauſæ ipſæ de neceſsitate producunt ipſum prius:quia ergo ita eſt hic,quod perfecta notitia haberi non poteſt de aliqua re, niſi præcedat imperfecta, non enim poteſt haberi conceptus ſpeciei abſque conceptu generis, ideo illa cauſa cogitur prius producere effectum imperfectum,& ita notitia imperfectior,puta notitia generis, in nobis præcedit notitiam perfectam, ſcilicet notitiam ſpeciei.ſed replicant iſti de exemplo Ariſtoteles ſeptimo Metaphyſices de equo & aſino: quia inquit Ariſtoteles, generatio muli ex equo & aſino eſt vniuoca, quia habẽt quoddam genus cauſæ ſub animali, quod eſt innominatum: inquiunt ergo iſti.hic prius habetur notitia ſpeciei, quàm generis. immo habetur notitia ſpeciei abſque notitia generis. cognoſcimus enim eqnum, & aſinum; & tamen non habemus notitiam generis cõmunis ambobus: quia inquit Ariſtoteles hic genus eſſet nobis ignotum;ergo non eſt verum quòd ſit iſte ordo eſſentialis inter hæc prædicata qaòd nõ poſsit haberi notitia inferioris abſque notitia ſuperioris, vt ſpeciei abſque notitia generis. Ad hoc bifariam reſponderi poteſt: Vno modo dicendo, ꝙ eſt falſum,quòd non habetur notitia illius generis communis equi, & aſini. habetur enim conceptus illius generis. nec dicit Ariſtoteles, ꝙ non habeatur conceptus eius;ſed dicit,quòd eſt innominatum:quia caremus nomine, qno experiamur conceptũ huius generis, vel ſecundo, & melius dico, ꝙ non datur illud genus proximum ſub animali,ꝙ ſit commune equo,& aſino,in quo conueniant aſinus,& equus. At Ariſtoteles dicit, & cetera. Dico,ꝙ Ariſtoteles intelligit,quòd hæ duę ſpecies magis conueniunt ex accidentibus, quàm aliæ ſpecies. ideo præter ſuum genus,quod eſt animal, habent hoc commune,quòd ex accidentibus magis cõueniunt, quàm cum alia ſpecie,ſicut duo mares habent hoc accidens commune quo conueniunt præter animal ab ipſis feminis. feminis.n. & maribus eſt commune genus animal. mares vero inter ſe habent aliud commnne à feminis,in quo conueniunt,ſcilicet ex accidentibus ipſis & hoc modo intellexit Ariſtoteles per hoc quod dixit, equo, & aſino eſſe commune genus præter animal:quia reuera non habent, ſed tantum habent cõmune genus accidentale.De ſecundo,quòd dicebat,quia ex hoc ſequeretur, ꝙ ſcientia Metaphyſices prior eſſet ordine doctrinæ omnibus ſciẽtijs,& omnes præcederet:quia ſic notitia metaphyſicalis alias notitias præcederet,quia cognoſceretur primo ens,in eo, quòd bonum & verũ. Dico, quòd tranſis de notitia ſimplici ad complexam. nos enim loquimur de notitia ſimplici.tu autem ponis nos cognoſcere ens notitia complexa,ſcilicet ꝙ eſt vnum bonum,& verum,etiã etſi prius apprehenderemus hoc de ente,non propter hoc ſequeretur ꝙ tota metaphyſica præcederet alias ſcientias. non enim tota ſcientia metaphyſica apprehenditur in eo, ꝙ cognoſcatur de ente, quod eſt verum bonum, & vnum.eſſet enim nimis parua metaphyſica, ſi id tantum conſideraret. De tertio dico, ꝙ leue eſt argumentum,& manifeſtiſsime reflectitur aduerſus ipſum: quia ipſe dicit, ſed primo apprehẽdimus ens,quod eſt pręclicatum vniuerſale de Socrate.ergo ſequeretur, quòd nõ ſimul tempore in eodem inſtanti apprehenderes omnia prædicata eſſentialia de Socrate;: quoniam multum temporis mediaret inter notitiam entis, & hominis, cum multa prædicata intercipiantur,quæ prius apprehendes.ſed eodem pacto arguo aduerſus Sco-

ſus Scotum; quia ſi prius eſſet notitia ſingularis in nobis, q̃ vniuerſalis. itaque prius apprehendimus Socratem, ſequetur, ꝙ non ſimul tempore apprehenderemus omnia prædicata eſſentialia de Socrate: quia cum multu medient inter notitiam Socratis, & entis, multum etiam tempus mediaret quod eſt falſum. De quarto argumento, quia ſi prius apprehenderetur ens, quàm alia prædicata inferiora de Socrate, ſequeretur, ꝙ notitia diſtincta in nobis præcederet confuſam: quia ens ex quo eſt ſimplex conceptus, non apprehēditur totaliter, & perfecte. Dico, ꝙ etſi concederem notitiam diſtinctam entis præcedere notitiam coſuſam animalis & hominis, non propter hoc eſſet abſurdum. non enim eſt inconueniens, ꝙ notitia diſtincta vnius præcedat notitiam confuſam alterius, bene inconuenit notitiam vnius in nobis præcedere confuſam eiuſdem. Nec etiam verum eſt, quòd ens tantum notitia diſtincta poſsit percipi, & non notitia confuſa: quia ad notitiam perfectam duplex via requiritur, ſcilicet definitio, & eius diuiſio per ſuas ſpecies. ideo & ſi ens ſit conceptus ſimplex, & definitione careat; nihil minus non ſequitur, quòd non poſsit apprehendi notitia confuſa, & diſtincta.

LECTIO XXIIII.

QVEREBAMVS in ſuperiori lectione, nunquid ſingulari præſente nobis prius apprehenderetur ab intellectu ſub ratione magis vniuerſalis, an ſub ratione minus vniuerſalis, id eſt, an ſub ratione generis, an ſub ratione ſpeciei, puta Socrate nobis præſente, an prius apprehenderetur ab intellectu, in eo, quòd animal, an in eo, ꝙ homo loquendo de notitia confuſa: quia de notitia diſtincta non eſt dubium vt diximus, ꝙ vniuerſaliora prius apprehēduntur, quàm minus vniuerſalia, & ſingularia. Dixi vobis opinionē Scoti, quæ erat, ꝙ primo notum nobis eſſet ſingulare. vltimo notum nobis magis vniuerſale. vt ens, & adduxi eius rationes quas etiam ſolui. ideo eſt ſecūda opinio Alberti Alamanni, quem ſequitur D. Thomas, & plurimi latinorum, quæ opinio eſt totaliter contraria opinioni Scoti, ꝙ ſcilicet Socrate nobis præſente prius apprehenditur à nobis in eo, ꝙ animal, quàm in eo, quòd homo, ꝙ ſcilicet notitia vniuerſalis confuſa præcedat in nobis notitiam particularem, ꝙ incipiendum eſt ab vniuerſalibus deſcendendo ad ſingularia. & ita Socrate nobis præſente: primo innoteſcit nobis in eo, ꝙ eſt ens: deinde in eo quòd corpus, mox in eo ꝙ animal. & loquendo de ordine originis, quia ſimul tempore fiunt in nobis omnes hæ notitiæ: loquitur ergo de ordine originis. adduxit rationes per ſe hæc opinio & primo ex verbis Ariſtotelis hic, qui dicit, vnde ex vniuerſalibus, &c. expoſuimus ſingulare, id eſt minus vniuerſale: præcedit ergo in nobis ſecundum Ariſtotelē notitia magis vniuerſalis notitiam minus vniuerſalem: apprehenditur ergo prius à nobis Socrates in eo, ꝙ animal, quàm in eo, ꝙ homo notitia confuſa: quia de hac loquimur. ratio eſt, nihil tranſit ab extremo ad extremum abſque medio intellectus: ergo non tranſibit à potentia ad actum perfectum, niſi per medium, qui eſt actus imperfectus, ſcilicet ab ignorantia ad ſcientiam perfectam, niſi per notitiam imperfectam. natura enim gradatim procedit in operationibus ſuis, ſed perfectior eſt notitia ſpeciei, quàm generis: ignoratis ergo vtriſque intellectus non tranſibit à potentia pura intelligēdi ad actum perfectum intelligendi, ſcilicet ad notitiam ſpeciei, niſi per actum medium imperfectum, qui eſt notitia generis. prius ergo in nobis erit notitia generis, quàm ſpeciei. & ita magis vniuerſalia erunt nobis prius nota minus vniuerſalibus. tertio, confirmatur hæc ſua opinio: quia ablata nobis planta, habemus notitiam generis. cognoſcemus enim, quid eſt planta, & tamen ignoramus notitiam ſpeciei, ſcilicet cuius ſpeciei ſit: ſed ipſas, deinde inueſtigamus ex ſenſibus percepto eius colore, odore, ſapore, & &c. patet ergo notitiā generis haberi abſque notitia ſpeciei, ſed, ſi nō procederet in nobis notitia ſpeciei, ſicut dicit Scotus, non poſſet haberi notitia generis abſque notitia ſpeciei: & ita non poſſet ſciri hanc eſſe plantam, ignorata eius ſpecie: non ergo neceſſe eſt, ꝙ prius producatur in nobis notitia minus vniuerſalis, quàm magis vniuerſalis; ſed potius econtra, cū ſæpiſsime de aliquo habeatur notitia generis, & ignoretur notitia ſpeciei. ꝗ, ſi dicatis, ſicut diuus Thomas, ꝙ Ariſt. dicat oppoſitum: quia inquit, ꝙ ſpecies definienda eſt nobis notior genere, & differētia, ſcilicet definitione ipſa. dicit enim ipſe Ariſtot. ſuſtinent autem idem quodam modo hoc, & nomina ad rationem, nec loquitur de notitia diſtincta: quia eſſet falſum, ſed loquitur de notitia confuſa. ſecundo, quia Auerroes tertio de anima, decimo, & trigeſimoſexto dicit, quòd intellectus elicit conceptum generis proximi ex ſpecie, & conceptū generis remoti ex genere proximo: neceſſe eſt ergo, quòd coceptus ſpecificus præcedat genericum, & conceptus generis proximi præcedit conceptum generis remoti. dicit D. Thomas primo ad verba Ariſtotelis, quòd ſi conſideretur ſpecies, quæ definitur in eo quoddam definiēdum compoſitū ex partibus definientibus. hoc pacto prius nota eſt ſpecies, ſcilicet hoc totū, quam partes, & ita loquitur Ariſtoteles ſimpliciter. tamē prius nobis notum eſt genus, quàm ſpecies: & ita animal, quàm homo. De ſecundo inquit D. Thomas, non eſt verum dictum Auerrois, quòd cōceptus generis eliciatur ex ſpecie, ſed ab eadem cauſa producūtur, & ſunt omnes illæ notiones, & generis, & ſpeciei, & generis proximi, & remoti ab eadem cauſa. nō autē vna dicitur ex altera. Sed hæ rationes Diui Thomæ parum cogunt. & primo, cum citat verba Ariſtotelis, vnde ex vniuerſalibus, & &c. Dico, ꝙ decipitur D. Thomas: quia hic Ariſtoteles loquitur de notitia diſtincta, quòd vniuerſalia notiora ſunt ſingularibus notitia diſtincta, & hoc ab omnibus conceditur. Tu autem loqueris de notitia confuſa, ꝙ dicis, intellectus non poteſt migrare ab extremo ad extremum, niſi per medium, quod eſt actus imperfectus. falſa eſt hæc propoſitio, quòd nihil tranſeat ab extremo ad extremum abſque medio. forma enim terræ tranſit ad formam ignis, non tamē per media, ſcilicet per formam aeris, & aquę. At probabas: quia natura ſenſim & gradatim procedit in ſuis operibus. Dico, ſi illa propoſitio, natura non tranſit ab extremo ad extremum ſine medio, debet eſſe vera, & ſic habet intelligi, ꝙ natura nō tranſit ab extremo ad extremum ſine medijs, ſcilicet illa media habēt ordinem eſſentialem inuicem, & non poſsit produci vnum abſque alio. ſi enim eſſet ordo eſſentialis inter actū perfectum, & imperfectum, tunc verum eſſet, quòd de neceſsitate eſſent prius nota nobis imperfecta; ſed non eſt verum, ꝙ ſit talis ordo eſſentialis. & hoc deberet probare diuus Thomas, ſi vellet ſuum argumentum tenere. De tertio, quia tu dicis, experientia cōſtat de plantis: quia habemus notitiam generis; ignorata tamen ſpecie. Dico, habemus notitiam generis, & ſpeciei, ſed caremus quo nomine nominetur talis ſpecies. ideo ex ſenſibus inueſtigamus, quod nomen ſit imponendū; habemus tamen conceptum ſpecificum & de illa planta: & ita ſolutæ ſunt rationes vtriuſque opinionis, tum D. Thomę, tum Scoti; vtraq; tamē opinio probabilis eſt, & defendi poteſt. Sed vos dicetis, quid ergo tenendū de hoc? Dico, Domini, quantum

tum

tum ego ſcio vos eritis iudices. Dico ergo, ſi comparamus
vniuerſale ſingulari, plus notum eſt vniuerſale ab intelle-
ctu, quàm ſingulare. non dico à ſenſu, ſed ab intellectu,
quòd vniuerſale eſt notius intellectui quam ſingulare. &
quòd ita ſit, oſtendo; quia intellectus per ſeipſum ex ſui
natura apprehendit vniuerſale. per accidens vero appre-
hendit ſingulare, ſcilicet ex ſenſibus, quatenus colligatus
ſenſui. id autem, quod eſt per ſe eſt natura prius eo, quod
eſt per accidens: ergo apud intellectum vniuerſale eſt natu-
ra prius, & ab ipſo prius apprehēditur, quàm ſingulare: quia
notitia vniuerſalis ei conuenit ex ſui natura: ſingularis vero
per accidens ei conuenit, quatenus colligatur ſenſibus. Sed
tu dices, núquid ſit eadem notitia vniuerſalis, & ſingularis,
puta Socratis, & hominis. Dico, & alias dixi, vt in libro de
anima, quòd eadem eſt notitia ſingularis, & vniuerſalis; dif
ferunt tamen in modo concipiendi & conſiderandi. eadem
eſt notitia Socratis in eo, quòd homo, & in eo, ꝙ Socrates;
differunt tantum in modo conſiderādi: quia Socrates in eo,
quòd homo conſideratur ſub vniuerſaliori notitia, & con-
cepta, quàm in eo, ꝙ Socrates. hic eſt modus notitiæ vniuer
ſalior, ibi vero particularior. ſi vero comparamus vniuerſa-
le ipſum, non quidem ſingulari, ſed vniuerſali, quid tunc eſt
notius? Dico, ſi loquimur de accidentibus, nullus eſt ordo
eſſentialis ex parte rei; ſed tantum ex parte noſtri, vt ea acci-
dentia, quæ ſunt propinquiora ſenſui, ſunt nobis prius no-
ta: quia cum duplex ſit notitia in nobis, quædam ſcilicet di-
ſtincta, & quædam cōfuſa, ſi loquimur de notitia diſtincta,
in accidentibus ipſis vniuerſaliora prius apprehenduntur,
& ita apprehenditur prius genus, quàm ſpecies: ſi vero lo-
quamur de notitia confuſa, prius apprehenditur ſpecies, ꝙ̄
genus quia quæ propinquiora ſunt ſenſui, & nobis ſunt no-
tiora: quæ autem remotiora à ſenſu nobis ignotiora ſunt, na
tura autem notiora. tum ex alio, ſicut totū ſenſui notius eſt
ſuis partibus, ita totum intellectui notius eſt ſuis partibus:
ergo quod verius eſt, totum illud eſt prius intellectui no-
tum. ſed minus vniuerſale, puta ſpecies, eſt verius totum, ꝙ̄
magis vniuerſale, quod eſt genus: ergo ſpecies prius nota
eſt genere. quòd autem minus vniuerſale ſit verius totum,
patet. ideo magis vniuerſale eſt totum: quia potentia conti-
net ſpecies. non enim ipſas cōtinet actu: quia non valet: ani-
mal ergo eſt homo. minus vniuerſale videtur eſſe totum, pu
ta homo, quia actu cōtineri ſe magis vniuerſale. valet enim
eſt homo: ergo eſt animal; ſed verius eſt totum, quod actu
continet partes quàm id, quod continet eas potentia: ergo
ſpecies eſt verius totum, quàm genus. Quare eſt verius
totum, eſt etiam prius notum: ergo ſpecies eſt notior gene-
re. ſi autem loquimur de ſubſtantia, eſt duplex modus di-
cendi, ſicut diuerſæ ſunt opiniones de apprehenſione ſub-
ſtantiæ. quidam enim volunt quòd ſubſtantia non appre-
hendatur ab intellectu per proprium ſimulachrum. alius, ꝙ
intelligitur ſubſtantia per accidentia: quia noſtra notitia eſt
colligata ſenſui, vt dicebat Scotus, ſi ita dicamus. Dico, ꝙ
non eſt eſſentialis ordo inter genera, & ſpecies ſubſtantiæ,
vt dixit Scotus ex illis duobus exemplis, ſcilicet de planta,
quæ primo cognoſcitur ſub ratione generis, cum de multo
genito cognoſcitur aſinus, quæ eſt ſpecies, & non cognoſci-
tur genus proximum innominatū: ſi vero dicamus, vt Auer
roes, & forte melius, quòd ſubſtantia per proprium ſimu-
lachrum apprehendatur ab intellectu: quia eſt proprium o-
biectum intellectus. ideo quarto Metaphyſices dixit Ari-
ſtoteles, quòd ſubſtantia eſt notior accidente cognitione,
& definitione. ſi ita dicamus, dico, ꝙ notitia diſtincta ma-
gis vniuerſale erit nobis notius notitia confuſa ſpecies ſpe-
cialiſſima: quia propinquior ſenſui, ita erit, vt in accidenti-
bus. ſed dicetis, ſubſtātia nō poteſt producere ſimulachrū
ſuum intellectu, niſi per ſenſum: ergo ſēſus apprehēdit ſub
ſtantiam: oppoſitum tamen dictum eſt ſecundo de anima.
Dico, ꝙ ſubſtantia nō poteſt producere ſimulachrum, niſi
per ſenſum, ſed ſenſus non apprehēdit illud ſimulachrum:
quia non eſt aptus ſuſcipere: tum etiam, quia vel itum eſt ac
cidentibus communibus, & proprijs, quæ fortius mouent
ſenſum, quàm ſimulachrum ſubſtantiæ, vt dixit Auerroes
tertio de anima: deinde à ſenſu interiori ſeparante accideo
tia à ſubſtantia & ab intellectu clare apprehenditur ſimula
chrum ſubſtantiæ.

LECTIO XXIIII.

NECESSE autem aut vnum eſſe princi-
pium, &c. Poſter. procemium huius ſcien-
tiā aggreditur de principijs rerum natura-
lium, morem ſuum obſeruās, antiquorum
opiniones refellens, & ponit diuiſionē per
cōtradictorium, à qua nihil effugit: ideo dicit aut vnum eſt
principium, aut plura. hic loquimur de principijs intrinſe-
cis, quę ſunt materia, & forma: dicit ergo neceſſe autem eſt
aut vnum eſſe principium intrinſecum, aut plura intrinſe-
ca. dixit neceſſe, vt ait Auerroes, ex neceſsitate diuiſionis:
quia diuiſio per contradictoria eſt neceſſaria: neceſſe eſt er
go aut vnum, aut plura. qui dicunt vnum aut ponūt immo-
bile vt Parmenides, & Meliſſus, aut mobile, vt philoſophi;
& primi non appellantur philoſophi: quia negant motum,
ideo negant naturam: quia natura eſt principiū motus. Alij,
qui ponunt vnum mobile, ideo ſunt philoſophi: quia ponūt
naturam. omnes enim denominantur à ſcientia, cui incum-
bunt: deinde facit diuiſionem ſecundi membri; ſi plura aut
finita, aut infinita. ſi finita aut ſunt eiuſdē generis, & differē
tia figura, aut forma, vel contra, id eſt quòd non ſunt eiuſdē
generis. & eſt verbum ponderandum, ſcilicet cum dicit ſi
infinita aliqui ponunt eiuſdem generis, per genus non intel
ligitur quòd prædicatur de pluribus, vt ait Auerroes, ſed in
telligitur per genus ſubiecta materia. & etiā primo Poſte-
riorum, cap. t 8. vbi dixit Ariſtoteles, ſcientia eſt vnius ge-
neris, cuius partes, & paſsiones demonſtrantur: eſt ergo ſen
ſus iſte, ſi principia ſunt eiuſdem generis infinita, vel id eſt
eiuſdem ſubſtantiæ ſunt differentia, figura, & ſpecie, & ſe
tenet expoſitiue figura, id eſt ſpecie. & exponit Auerroes
aut ſunt contraria, aut nō ſunt. ſed reddit mancum textum
Ariſtotelis: quia Ariſtoteles dicit, ſi infinita ſunt eiuſdem
naturæ ſubiectæ, vel contrariæ; ſi modo addat, vel non cō-
trariæ, non erit membrum oppoſitum primæ partis, ſcili-
cet ſi infinita ſunt principia, aut eiuſdem generis figura, dif
ferentia, deficiet membrum oppoſitum, ſcilicet vel ſi infi-
nita ſunt principia, nō ſunt eiuſdem generis, id eſt eiuſdem
ſubſtantiæ. Ideo Alexander, Porphyrius, & Iuannes dicūt
ꝙ per illa verba innuit Anaxagoræ opinionē: quia ipſe non
probat infinita principia eſſe eiuſdem ſubſtantiæ, ſed diuer
ſæ, & quæ ſunt illa principia, ſunt quatuor elementa, & par-
tes ſimilares, quę ſunt infinita ſecundum ipſum, & ſunt cō-
traria illa principia: quia contraria ſecundum ſubſtantiam.
& ſic per illud verbum, aut contraria, circumſcribit Anaxa
goræ opinionem. ideo diuiſio eſt per contraria: quia dicit
principia infinita, aut eiuſdem ſubſtantiæ aut non eiuſdem
ſubſtātiæ. & ſic eſt vniuerſalior expoſitio. ſed obſtat Sim-
plicius Alexādro: quia Democritus ponit principia rerum
naturalium contraria, & contraria ſecundum poſitionem,
ordinem, & figuram. quia in poſitione eſt contrarietas, &
ſecundū ſurſum, & deorſum in ordine: quia prior, & poſte-
rio

rior in figura, etſi ſecundum Ariſtotelem nõ ſit contrarietas, ponebat tamen Democritus contrarietatem: quia dicebat, aliqua ſunt rotunda, aliqua triangularia, ponebatq; contrarietatem vacuum, & plenum. ideo per verbum, aut contraria, nõ poteſt circumloqui opinionem Anaxagoræ. ideo Alexander aliter exponit, quòd Ariſtoteles per cõtraria circumloquitur Democritum: quia ponit Democritus infinita eſſe principia eiuſdem ſubſtantiæ differentia, forma, aut contraria, id eſt quæ principia ſunt cõtraria, vel ſecundum poſitionem, & vel ordinem, vel figuram, vel vacuũ, & plenum. ſed obijcit Simplicius, quia non erit diuiſio per contradictoria: quia tantum erit vnum membrum, ſcilicet ſi infinita aut eiuſdem generis differẽtia, figura, vel etiam quia Ariſtoteles in hoc catalago vult recitare opinionẽ omniũ antiquorum; & ſi hic non poſuiſſet opinionem Anaxagorę, eſſet diminutus. ideo aliter Simplicius ꝙ per illud verbum aut contraria, poſſumus intelligere Democritum, & Anaxagoram. ſi per contraria intelligamus cõtraria, poſitione, ordine figura, intelligit Democritũ: ſi vero intellagamus cõtraria in ſubſtantia, quæ non ſunt eiuſdem ſubſtantiæ, circũloquuntur Anaxagoram. ideo facit diuiſionem per oppoſitum, & ſic textus nõ redditur mancus. ſed ego obijcio Simplicio: quia Ariſtoteles textu. 32. huius primi comparans opinionem Anaxagoræ ad Empedoclis opinionem, dixit, quod Empedocles non poſuit quatuor elementa contraria, Anaxagoras poſuit cõtraria. nõne Empedocles facit etiam principia contraria? quia ponit elementa quę ſunt contraria ſecundum qualitates! dixit ibi Simplicius, quòd illud verbum, aut contraria, proprie appropriatur Anaxagorę. ideo ſenſus eſt ille Themiſtij, & Porphyrij, ꝙ per contraria circumloquitur Anaxagoram ſolum. ſed dicetis nonne poſuit Empedocles contrarietatem in elementis? Dico, etſi poſuit cõtrarietatem in elementis, tamen poſuit omnibus modis: quia poſuit tantum ſecundum contrarietatem qualitatum. Anaxagoras poſuit in elementis contrarietatem ſecundum omnem contrarietatem, quia ſecundum qualitates, &c. Secundum eius principia ſubſtantia alia. etſi Democritus ponit contraria in principijs, illa non eſt propria contrarietas; ſed eſt contrarietas ſecundum relationem: quia in poſitione eſt cõtrarietas relatiue, ſcilicet ſurſum & deorſum, in ordine prius & poſterius, quæ relatiue opponuntur. in figura non eſt contrarietas ſecundum Ariſtotelẽ. vacuum, & plenum non ſunt contraria vere & poſitiue, ſed priuatiue. ideo merito illud verbum contraria tribuitur Anaxagoræ, vt inquit Porphyrius, & Ioannes Grãmaticus. ſed dubitat Simplicius: quia quæſtio ſi eſt, præcedit quæſtionem quid eſt. ſecundo Poſter. cur ergo prius non propoſuit quæſtionem, an principia eſſent. quàm quæreret, quot, & quæ ſunt principia? peruertit ergo ordinem, quem ipſe docuit. tripliciter reſpondet Alexander, quòd omiſit illã quæſtionem, an ſint principia, quia eſt munus mathematici, & philoſophus naturalis accipit vt dignitatem. ſecundo omiſit, quia eſt manifeſtum: quia, ſicut non quæritur, an homo eſt, quia manifeſtum eſt, ita hic de eſſe principiorum. ſed vtraque reponſio falſa eſt: quia quòd ſint principia, & quot, & quæ, non poſſumus ſcire, niſi ex tranſmutatione, quæ pertinet ad philoſophum. quòd ita ſit, probat, quia Socrates de nouo generatur ergo prius fuit ſubiectum, quod eſt materia & forma, quæ de nouo generatur. & talia ſunt principia: ergo eſſe principiorum, & quot. & quæ ſint ex generatione, & corruptione declarãtur, ſcilicet in corruptibilibus: quia in cæteris ex motu locali eſſe ſuorum principiorum, & quot, & quæ ſint, demonſtrãtur. ideo tertio dicit Alexander, quòd eſſe principium, & quot, & quæ ſint: quia nõ eſt alia via, quàm via generationis & corruptionis: ſed quia eadem ſolutione ſoluitur eſſe principiorum, & quot ſint principia, & quæ quia ex generatione, & corruptione, ideo omiſit quæſtionem eſſe principiorum. addo, ꝙ omiſit illa: quia eſſe principiorum erat magnopere notum, cum principia ſint ſubiectum in hoc libro, etiam, quia antiqui non ita de illa dubitarunt. Et ſecunda dubitatio: quia diuiſio videtur manca, quia, cũ dixit, aut vnum, aut plura; ſi vnum, aut mobile, aut immobile debuit dicere; ſi mobile, aut finitum magnitudine, aut infinitum; ſi immobile, eodem pacto. etiam cum dixit, ſi plura aut finita, aut infinita debebat ſubdiuidere; ſi finita, aut mobilia aut immobilia; ſi infinita, eodem pacto: ergo diminutus. quòd autẽ debebat ponere iſtas ſubdiuiſiones, probo: quia vnumquodque horum membrorum habet proprios fautores. ideo cũ iſte liber ſit, vt catalogus, debebat enumerare omnes iſtas opiniones. quòd autem vnumquodq; membrum habeat fautores, oſtendo, quia Hippaſus, & Heraclitus ignem, Tales aquam, Diogenes vero, & Anaximander poſuerunt vnum mobile, & infinitũ, Diogenes aerem, Anaximander medium inter aquam & aerem, vel ignem, & aerem: Parmenides non poſuit vnum immobile finitum: Meliſſus vnum immobile infinitum: Empeducles vero poſuit plura finita mobilia: poſuit enim quatuor elemẽta, & litem & amicitiam: Timęus autẽ plura finita, & immobilia, ſcilicet Deum, ideam, & naturam: Democritus & Anaxag. plura infinita mobilia: plura autem infinita, & immobilia nemo poſuit; cur ergo nõ enumerauit omnes iſtas opiniones? De primo dicit Alexã. quòd tacuit illam ſubdiuiſionẽ: quia erat impoſsibilis illa diuiſio, quod vnum ſit infinitum, & immobile: quia excluditur infra, quia non datur infinitum. ideo tacuit illam diuiſionem, nec eſt diminutus: quia poſſibiles tantum poſitiones vult enumerare; ſed contra debuit enumerare opiniones antiquorum, cum ſit vt catalogus, & vult refellere opiniones illorũ, & accipere, ſi quid boni dixerint: cur ergo nõ enumerat? ideo aliter alij dicunt, vt Alexander, quòd non poſuit, quia illa diuiſio non variabat generationem, quia ſi principium vnum immobile, & infinitum, ex his non poteſt fieri generatio: quia vltra infinitum non eſt aliquid: ſi vero vnum, & finitum, generatio fit alteratione. ideo, quia non variabat generationẽ, ſiue illud principium ſit finitum, ſiue infinitum, ſed contra, quia non omnes ponunt fieri generationem alteratione: quia alij raritate, & denſitate, alij concretione & ſegregatione: ideo dico, vt Auerroes, quòd per illam diuiſionem, quo ad multitudinem, ſi plura ſunt principia vel finita, vel infinita, innuit illam diuiſionem eſſe vnum, ſcilicet an principium ſit vnũ mobile, & finitum, vel infinitum, ita de immobili. De ſecũdo dixit Alexander, & Simplicius, & Auerroes, ꝙ nullus poſuit plura principia infinita, immobilia: ſed oppoſitũ dicit Simplicius, & non recordatur ſui dicti: quia dixit, quòd Timæus Platoni poſuit plura principia, & immobila. poſuit enim Deum, ideam, & naturam. etiam Zeno Eleates poſuit plura, immobilia, quem Ariſtoteles cõfutauit ſexto, & octauo Phy. textu. 22. Ideo dico, quòd gratia breuitatis dimiſit & non expoſuit illam ſubdiuiſionem, ſcilicet ſi plura principia finita vel mobilia, vel immobilia, itidem ſi infinita. Sed dicetis, cur magis dixit principium vnum aut mobile aut immobile, & poſtea: ſi plura, aut finita, aut infinita, cur mobile, aut immobile, non attribuit ipſi verbo, plura, finitum, & infinitum, ipſi verbo, vnum. Dico, vt Ioannes Grãmaticus, quòd potuiſſet attribuere finitum, aut infinitum vni; ſed non attribuit, quia vnitati magis competit motus, quàm infinitudo: quia ex vnitate motus venamur vnitatem motoris; non autẽ ex finitate, & infinitate multitudinis magis con-

gis cõgruit infinitum, quàm motus. ideo illo pacto diuiſit. Alia dubitatio, quia Parmenides, & Meliſſus nõ dicũt principia rerum naturalium eſſe vnum, & immobile; ſed dicunt ens eſſe vnum principiũ. ideo primo de generatione, & corruptione ponentes principia rerum naturalium dicunt, ꝙ ſunt duo calidum, & frigidũ. quomodo ergo impoſuit Ariſtoteles illis, quòd dicerent vnum eſſe principium, & immobile, & cum dicũt ens eſſe vnum & immobile, rectè dicunt: quia loquuntur de ente intellectuali, quod eſt vnum. & etiã declarauit Ariſtoteles 12. Metaphyſices vltimo vbi dixit, non volũt entia male diſponi: vnus ergo princeps, qui eſt primum principium intellectuale, ponuntque immobile, illud principium: quia primum eſt, & vt octauo Phyſic. dixit Ariſtoteles, neceſſe eſt primũ ens eſſe immobile. Parmenides poſuit finitum immobile finitum ſecundum potẽtiam, vt etiam Ariſtoteles octauo Phyſi. poſuit Deum finitum ſecundum potentiam: Meliſſus poſuit infinitum ſecũdum potentiam, vt Theologi ponunt. dicunt enim Deum immenſam, ac vaſtam potentiam habere: non ergo diſcrepant à veritate: cur ergo Ariſtoteles reprehendit ſic eorum opinionẽ. Dixit Ioannes, quòd & ſi non loquantur de principijs; Ariſtoteles vult tamen de medio tollere hanc ſentẽtiam, ne cauſa eſſet alijs errandi, ſcilicet ꝙ putarent vnum tãtum eſſe principium rerum naturalium, ex quo vnum ſit ſecundum Parmenidem: ſecundum tamen veritatem bene dicunt, nec cõtra Ariſtotelem. ideo rectè Plato in Tihmęo dicit, ꝙ digna eſt ſentẽtia Parmenidis na...tore vt ſub mergatur ad occultiora ſenſa intelligenda: ſed contra hanc expoſitionem inſtat Simplicius: quia dicit Ioãnes Grammaticus, quòd Parmenides, & Meliſſus vnum principium rerum naturalium, ſed vnũ ens intellectuale, ſed contra: quia Ariſtoteles textu ſeptimo facit, quòd eadem dicant de ente, & de principijs, itaque ſi ponant ens eſſe vnum, ita & primum eſſe vnum, vbi dixit, eodẽ etiam modo quærunt, qui quot ſunt entia quærunt. ideo dixit Simplicius, quòd reuera loquebatur de principijs. ſed duplex principium vnum intrinſecum, alterum extrinſecum. ipſi autem non loquuntur de intrinſeco: quia etiam ipſi ponebãt duo principia intrinſeca, ſcilicet calidum, & frigidum; ſed loquebatur de extrinſeco, ſcilicet de primo fine, quod quidem principiũ eſt vnum, & immobile: quia cætera ſui ipſius gratia mouẽtur. ideo ipſum immobile neceſſe eſt. ita etiam dixit Ariſtoteles primum motorem, qui eſt principium extrinſecum, eſſe vnum, & immobile, ideo non diſcrepant ab inuicem. Dicetis ergo Ariſtoteles tantum ſuperficiem verborum reprehendit, quod videtur abſurdũ. Dicit Simplicius concedendo, ꝙ tantũ ſuperficiem verborum reprehendat, & hoc, vt è medio tõlleret cauſam errandi alijs. Iõ non fuit abſurdum.

LECTIO XXVI.

SVPER textu prædicto erat quarta dubitatio latinorum: quia ex verbis ſubſequentibus, vbi dixit, eodem modo quærunt, habetur quòd ens conuertitur cum principio, & diuiſit Ariſtoteles principium per vnum, & multa. & ita ens per vnum, & multa diuiditur. Dubitant ergo, quia Ariſtoteles videtur innuere, quòd prima entis diuiſio ſit per vnũ, & multa, & ex hoc loco elicit D. Thomas, quæſt. vndecima, articulo ſecũdo primæ partis, ꝙ ens prima ſui diuiſione diuiditur per vnũ, & multa, dubitatio eſt: quia Ariſtoteles .6. Metaphyſices textu primo, diuiſit ens multiplici diuiſione. aliquãdo ens in ens extra animam, & ens intra animam, & ens extra animam in per ſe, & per accidens: aliquando in ſubſtantiam, & accidens: aliquãdo per vnum, & multa. ideo dedit locum dubitationi inquirendo, quæ nam ſit prima entis diuiſio; ſed hęc quæſtio non eſt ad propoſitum: quia Ariſtoteles non dicit, ꝙ ens conuertatur cum principio; ſed dicit, quòd nomine entis vtebatur pro principio. ideo qui diuidebant ens in unum, & multa, errãt, vt ſi diuiderent principium, non dicit quòd ens conuertatur cum principio: quia tamen ipſi mouent difficultatẽ breuibus me expediam. eſt enim quæſtio metaphyſici. Dico ſupponendo, quòd ea eſt diuiſio, quæ datur per intimum de his, quæ continentur in diuiſio, vt animal prima ſui diuiſione in rationale, & irrationale: quia ſunt differẽtiæ interiores animalis: deinde diuiditur in manſuetũ, & immanſuetum: & ſic ſucceſsiue. ſecundo ſuppono, quòd triplex ſignificatio entis latiſsima, quæ comprehẽdit imaginabilia, poſſibilia, & exiſtentia. latior quæ ſignificat poſsibilia, & exiſtentia ad huc minus lata ſignificat tantum exiſtentia: & in hoc non pono differentias, inter ens, & exiſtens: quia entia, & exiſtentia differentia grammaticali differunt, vt declarauit Auerroes in diſputatione diſputationum. vnde iſti latini errant ponentes differentiam inter eſſe eſſentiam, & exiſtentiam, vt diuus Thomas in ſuo tractatu de ente, & eſſentia, & Ioannes Scotus ſecutus ipſũm differentia tantũ grammaticali differũt. vnde iſta propoſitio, Socrates eſt ens; Socrate mortuo, eſt falſa: quia illa propoſitio eſt vera tantum cum conſtantia ſubiecti: quia ſcientia proprie eſt exiſtentia. de his autem, quæ non exiſtunt, non habetur ſcientia, niſi ex ſuppoſitione, vt primo Poſt. dixit Ariſtoteles, eorum, quę non ſunt, ſæpiſsime contingunt demonſtrationes ex ſuppoſitione, vt de tonitruo, & de eclipſi. de iſtis enim fiunt demonſtrationes ſupponẽdo, quòd ſint. de hoc eſt duplex modus dicẽdi. primus D. Thomæ, loco allegato, quòd ens, prima ſui diuiſione diuiditur per vnum, & multa: quia omnes aliæ diuiſiones includunt iſtam, & iſta non includit alias: ergo prior: declarat, quia intellectus diuidẽs apprehendit primo diuiſum eſſe vnum: deinde multitudinem diuidẽtium; ergo prima diuiſio eſt per vnum, & multa: ſed dicetis Ariſtoteles quinto Metaphyſices, & ibi D. Thomas dixerunt, quòd ens prima ſui diuiſione, diuiditur per ſe, & per accidens: quomodo ergo per vnum, & multa? dicit D. Thomas, quòd ens in rei veritate diuiditur, primo in per ſe, & per accidens. hic vero dicit, quòd ſui prima diuiſione per vnum & multa, reſpectu diuiſionis ſecundæ: quia ens diuiditur, ideo prædicamenta, nõ ꝙ ſit ſimpliciter prima diuiſio. ſed Ioannes Scotus contradicit huic opinioni: quia vnitas dicit perfectionem, & perfectior eſt multitudine, & perfectio attribuitur quantitati, ideo dicit ens ſui diuiſione primo diuiditur per quantum, & non quantum: quantum vero per finitum, & infinitum. finitum in decẽ prædicamentis, ideo dicit, quòd ens ſui prima diuiſione diuiditur per quantum, & non quantum: & per quantum non intelligit magnitudinem, ſed perfectionem iuxta dictum Auguſtini. diuiditur per quantum perfectum, & non quantum, & tale non. quàntum eſt, quod non habet perfectionem, & tales ſunt relationes in origine: quia nullam dicunt perfectionem, quia, ſi dicerent perfectionem, patet, quòd non eſſet infinitæ perfectionis: quia ſi relatio filij, quæ eſt filiatio, diceret perfectionem, illa non eſt in patre: ergo pater Deus non eſt infinitæ perfectionis, quod eſt contra omnes Theologos: diuiditur poſtea quantum infinitum, & in infinitum. infinitum eſt Deus. eſt enim infinitæ virtutis, ac potentiæ. finitum in decem prædicamenta diuiditur; ſed quod dicit Scotus deuiat à via philoſophi: quia Deus ſecundum Ariſtotelem nõ eſt infinitæ potentiæ, octauo Phy. etiam relationes dicũt per-

fectionem: quia entia vt entia, ſunt bona, & perfecta. ens. n. & bonum conuertuntur. illæ enim relationes in diuinis ex natura rei diſtinguuntur ſecundum Scotum, & argumentum eius ſophiſticum eſt: quia, ſi illæ relationes eſſent perfectæ: eſſet ergo aliqua perfectio in filio, quæ non in pater. concedo formaliter: ergo Deus nõ eſſet infinitæ perfectionis. Nego conſequentiam: quia & ſi illam relationem virtualiter non contineat, eminenter tamen continet. Exemplum, ſi ponatur Deus ex vna parte: ex alia totus mundus, adhuc Deus eſſet perfectus, immo perfectior toto mundus; ſed dices mundus addit perfectionem Deo, qua eſt perfectus. Dico, quòd Deus illam perfectionem cõtinet, & perfectiori modo quam mundus: quia eam eminenter, & independenter continet: mundus vero dependenter: dico ergo, quòd ens habet multas diuiſiones. vnam per modos intrinſecos: aliam per quidditatem: aliam per paſsiones. ſi loquamur de diuiſione ſecundum paſsiones erit per vnũ & multa; ſi ſecundũ modos intrinſecos erit per ſe, & per accidens. ens enim non habet eſſentiales differentias, quibus diuidatur cum ſit omnibus communis, ſed tantum habet modos intrinſecos; ſi per quidditatem diuidatur erit diuiſio in decem prædicamenta. & omnes iſtæ ſunt primæ in ſuo genere. Diceris, quæ eſt prima ſimpliciter: Dico, illæ quæ datur ſecundum modos intrinſecos: quia aſsimilatur magis diuiſioni, quæ per intimiora datur, ita ſimpliciter diuiſio entis per ſe, & per accidens erit prima, &c. Proſequitur Ariſtoteles, cum poſuerit diuiſionem principij per vnum, & multa. oſtẽdit antiquos, qui adhærebat illi opinioni. & aduertit primo, quòd philoſophi eadẽ diuiſione vſi ſunt de principijs: quia, & ſi aliqui diuidant ens hac diuiſione: intelligunt tamen per ens principium. quòd hoc ſit, declarat Simplicius: quia Meliſſus, qui dicebat, ens eſſe vnũ, accipiebat per ens principium; quod tamen principium eſt externum, & eſt ſubſtantia perfectiſsima, & propria, & erat finitæ potentiæ. & talis erat Deus. animaduertit ſecundo contra quos debet philoſophus naturalis diſſerere, & contra quos non. & dicit, quòd contra Parmenidem, & Meliſſum, qui ponunt principium vnum, & immobile, non debet diſſerere philoſophus naturalis: quia nullus artifex debet contra negantẽ ſua principia diſputare; ſed qui ponũt ens immobile deſtruunt principium naturale: quia tollunt motum: ergo maiorem declarat exemplo: quia ſi geometra ponat punctum eſſe indiuiſibile, & quis repugnauerit, non amplius diſputabit geometra, ſed delegabit hoc munus demõſtrandi aliæ ſciẽtiæ ſuperiori, ſ. ſuperioris, cõmunis, i. metaphyſicæ, vel dialecticæ.

LECTIO XXVII.

EODEM modo quærunt, &c. cum Ariſtoteles expreſſerit diuiſionem principiorum per contradictoria, vt nihil effugiat ab ipſa, & declarauerit fautores omnium membrorum; nunc dicit, quod eadem diuiſione vtebantur hi, qui diuidebant ens, ſicut qui diuidebant principium, cuius dixit Simplicius, quia, qui dicunt eſſe vnũ ens, accipiunt ens pro principio extrinſeco, non intrinſeco. dicebat ſecundo contra quos licet arguere, & contra quos non. & dicebat quòd contra illam opinionem quę ponit ens eſſe vnum immobile, nõ debet diſſerere, & addebat rationem: quia nullius facultatis eſt diſputare contra eos, qui negant ſua principia; ſed qui ponit ens vnum immobile, negat principia naturalia: ergo contra, eos non debet diſſerere. maiorem probat exemplo. & primo de geometria vt ſiquis pũctum eſſe quoddam indiuiſibile negaret, dicit mathematicus contra eum diſputare, nec probare punctum eſſe indiuiſibile: quia eſt ſcientiæ ſuperioris, vel communis. ſuperioris, id eſt ſcientiæ ſubalternatæ, ſicut, ſiquis negauerit principia muſicæ arithmeticus debet demonſtrare. ita, ſiquis negauerit principia arithmeticæ, erit munus geometræ demõſtrare, & probare illa principia. & ſi illa ſcientia non habeat ſcientiam ſubalternantẽ: quia ſexto Metaphyſices tres ſunt ſcientię ſpeculatiuæ diſtinctæ, naturalis, mathematica, metaphyſica, communis debet probare illa principia, quæ duplex eſt. vna metaphyſica: alia logicalis. metaphyſica probat principia demonſtratiue: dialectica probabiliter: & hęc eſt probatio maioris. minorem probat dupliciter, quia, qui dicunt ens eſſe vnum, negant principium. negant enim multitudinem: principium autem ponit multitudinem: quia ponit ea, quę conficiũtur ex principijs, & cum natura ſit principium, ideo negant naturam, quæ eſt principium naturalis philoſophię. etiam, qui ponunt ens vnum, & immobile tollunt motum. qui tollunt motum. auferunt naturam: quia eſt principium motus, & auferũt corpus naturale: quia corpus naturale, vt naturale debet moueri. ideo, quia ponunt ens vnum, & immobile, negãt naturam & res naturales, & principia naturalia: ergo contra illos non debet diſſerere. Simplicius facit longam digreſsionẽ, & dubitat: quia dicit Ariſtoteles, quòd nõ eſt naturalis munus diſſerere contra Parmenidem, & Meliſſum: quia negant principia. Eſt dubitatio, quia naturalis philoſophus probat omnes ſuas dignitates ex inductione, & ſenſus teſtimonio, vt facit ſecundo huius probãdo naturam eſſe ex inductione: quia omne agens agit propter finẽ, ergo naturalis philoſophus poterit diſputare contra Parmenidem & Meliſſum & inductione, & ſenſus teſtimonio. ſecunda dubitatio, an metaphyſicus probet principia naturalia vera demonſtratione, an non vera. ſi vera, ergo principia naturalia reſoluentur in principijs metaphyſicis. & ſic ſcientia naturalis non eſt vera. & de primis, quia ſua principia non eſſent principia; dictum tamen eſt, quod eſt vera de primis. ergo non poterit demonſtrare principia naturalia ex primis, & vera demõſtratione. ſi igitur nõ vera, ergo metaphyſica non erit ſcientia: quia nõ procedit ex demonſtratione vera. Eſt tertia dubitatio ex Eudemo, quia ſiquis negauerit principia omnium ſciẽtiarum, cuiusnam munus eſſet iſta probare? non metaphyſici, cum neget etiam eius principia: nullus autem artifex poteſt probare ſua principia, ſi dicas, erit ſcientiæ magis communis, quęro de principijs illius, à quo probentur, ſiquis negauerit, & ſic eſſet proceſſus in infinitum, quod eſt abſurdum. reſpondet Simplicius: quia triplicis generis ſunt principia: aliqua manifeſta ex ſenſus teſtimonio; non tamen ex inductione, ſed ſibi implicat: quia, ſi ſũt manifeſta ex ſenſu: ergo ex inductione, quia nihil aliud eſt ſenſus teſtimonium, quàm inductio; ſed dicamus pro hoc tempore, vt dicit ipſe, & illa ſunt, vt principia in geometria, vt punctum eſt, cuius pars non eſt, quod æquale æquali addito ſemper æquale. alia ſunt principia ex ſuppoſitione, quę poſſunt demonſtrari in alia ſcientia, & illæ ſunt ſuppoſitiones, quæ accipiuntur, vt veræ; poſſunt tamen demonſtrari vt ſuppoſitiones in geometria. punctum eſt impartibile: & cõtinuum eſt diuiſibile in infinitum. alia ſunt principia in ſcientia, quæ non poſſunt demonſtrari, nec teſtimonio, ſenſus tantum ſunt clara; ſed ſenſus teſtimonio, & inductione, & ita ſunt principia naturalia, quæ teſtimonio ſenſus & inductione declarantur. dicit ergo Simplicius, quòd de primis principijs ſimpliciter ſiquis ea negauerit, nullus artifex poteſt ea probare aliqua probatione, ſi vero ſint principia ex ſuppoſitione, poſſunt demonſtrari ex ſciẽtia ſubalternante, ſi habet: vt Ariſtoteles demonſtrat prin-

capia

cipia muſicæ. Exemplum dedit Ioannes Grammaticus & accepit à muſico, quòd elementa ſe habent in triplici differentia. aliqua enim lõga, aliqua breuia, aliqua media. & muſicus tale principium probat. ſi non habet ſcientiam ſubalternantem, ſcientia communis demonſtrat illa principia. & metaphyſica, quæ eſt communis demonſtrabit verã demõſtratione illa principia ex primis, & immediatis; & non eſt hic proceſſus in infinitum: quia illa principia immediata reſoluuntur in illas duas dignitates. dialecticus vero demonſtrat illa principia probabiliter. Exemplum. Ariſtoteles præſupponit iſtud principium, quòd nõ eſt ſimplex; ſed ex ſuppoſitione, ſcilicet punctum eſt impartibile. metaphyſicus demonſtrat illud; quia metaphyſica caret ſcientia ſubalternante, quæ poſsit demonſtrare illud principium. ideo metaphyſicus demonſtrat, & ita demonſtrat, terminus eſt inferior eo, cuius eſt terminus; ſed pũctum eſt terminus lineæ: ergo inferior linea tantum logitudinem habet: ergo punctum caret longitudine: ergo nõ habet partes: quia longitudo eſt minor magnitudo oĩbus, tertia principia, quæ ſunt in ſciẽtiis, poſſunt probari, vt illa philoſophiæ naturalis ex philoſopho naturali, quæ ſenſus teſtimonio, & inductione demonſtrantur. Dices, ergo philoſophus naturalis poterit diſputare contra Parmenidem, & Meliſſum. concedit: & cum dicis Ariſtoteles negar, dicit Simplicius, quòd intelligit demonſtratiue; inductione tamen poteſt arguere contra eos: & dixit Simplicius, ꝙ illa principia, quæ demonſtrantur inductione, & ſenſu, nõ ingrediuntur formaliter demonſtrationem; ſed tantum virtualiter. & ideo dicit, quòd alia principia ſunt, quæ demonſtrantur in naturali philoſophia. prima autem illa nõ igrediuntur demonſtrationem, niſi virtualiter, & talia non poſſunt demonſtrari, nec à priori: quia ſunt prima, & vltra prima non ſunt alia: quia, ſi eſſent alia, non eſſent prima. nec à poſteriori: quia poſterius præſupponit prius; ſi ergo prius ignotum ex cõſequẽti & poſterius. ſed errat Simplicius in multis: quia dicit, quòd contra negantem principia ſimpliciter, non poſſumus aliquo modo probare. contra: quia Ariſtoteles quarto Metaphyſices diſputat cõtra Heraclitum negantem ſuas primas dignitates, & arguit argumento ducente ad impoſsibile: quia, inquit, ſi contradictoria ſunt vera: ergo contraria ſunt vera: ſed hoc eſt abſurdum: ergo. ſi ergo primas dignitates poſſumus probare neganti: ergo etiã alias in alijs ſcientijs à fortiori. ſecundo errat, quia dicit principia ex ſuppoſitione, ex ſciẽtia ſubalternante demõſtrantur vera demõſtratione propter quid ſi illa principia ex ſuppoſitione non habẽt ſcientiam ſubalternantem, demõſtrantur à metaphyſico vera demonſtratione. hoc eſt falſum: quia non poſſunt à metaphyſico demonſtrari vera demõſtratione: quia vera demonſtratio eſt ex proprijs eiuſdem ſcientiæ, vnde nõ licet trãſcendere de genere in genus: ſic ergo demõſtrarentur, eſſet tranſitus de genere in genus. ſi de arithmetico ad metaphyſicum. & in exemplo errat Simplicius: quia dicit, quòd muſicus probat principia grãmatices vera demonſtratione. hoc eſt falſum: quia grammatica eſt ſcientia rationalis: Muſica, realis. non enim ſunt eiuſdem generis: & cum non liceat trãſcendere de genere in genus, nõ demonſtrabit muſica principia grãmatice. etiam ſi muſica demonſtraret principia grammatices: ergo eſſet prior illa, cuius autẽ oppoſitum dictum eſt: quia grammatica præſupponit congruũ, & incõgruum orationis: quia omnes ſcientiæ ſupponunt: ergo grammatica erit prior, ꝙ ſi muſica demonſtraret ſua principia, eſſet prior illa: & quia dicit, ꝙ licet naturali arguere contra negantem ſua principia inductione; cum Ariſtoteles dixerit, ꝙ non licet. dicit ille, quòd Ariſtoteles intelligit demonſtratiue. erret, quia ſi licet inductione arguere contra negantem principia: ergo naturalis, quà naturalis poterit arguere contra negantem ſua principia: quia inductione vtetur: oppoſitum tamen dicit Ariſtoteles: ꝙ naturalis, quà naturalis non poteſt diſputare contra negantem, & ſi Ariſtoteles probat ſua principia inductione. vt quod natura ſit, & quod omne agens, &c. hoc nõ facit, vt naturalis, ſed vt metaphyſicus etiã implicat: quia dicit, ꝙ principia inductione ſumpta non ingrediuntur demonſtrationem, niſi virtualiter. Contra fere omnia principia naturalia ſunt ſumpta ex inductione, & ſenſu etiã: quia dicit, ꝙ illa principia ſunt principia principiorum demonſtrationis, ſi ita eſt ergo poterũt demonſtrare: ergo formaliter ingredientur demonſtrationem. implicat enim dicere, quando ſunt principia principiorum demonſtrationis, & ꝙ non demonſtrant. quid ergo dicendum ad argumentum Simplicij? cum dicis, poterunt naturalia principia probari à naturali inductione, vt fecit Ariſtoteles. Dico, quia, qui negat principium philoſophi naturalis, negat inductionem & ſenſum. quomodo igitur poterit naturalis philoſophus diſputare contra negantem principia: quia, qui negãt principia illa, negant ſenſum, quia illa principia naturalia nõ ſunt nota, niſi ex ſenſu. ideo dico, ſi Parmenides, & Meliſſus negant principia naturalis philoſophiæ, negant ſenſum, & inductionem. ideo non poteſt naturalis philoſophus illa inductione probare: & inductio non demonſtrat primo Poſter. nec probat, ſed confirmat, & ducit nos in maiorem fidem illius rei, quàm quæ timus. Erat ſecunda dubitatio. metaphyſicus probat principia aliarum ſcientiarum, quæ ſunt principia ex ſuppoſitione: quia non demonſtrat vera demõſtratione: quia illa ſunt prima. Dico, quòd non ſunt prima ſimpliciter; ſed ſunt alia illis priora. & dico, ꝙ non demonſtrat vera demonſtratione; ſed argumento ducente ad impoſsibile: quia cum metaphyſica non ſubalternet ſibi alias ſcientias primas, ſcilicet naturales. & metaphyſica non poterit eorum principia demonſtrare, cum nõ liceat tranſcendere de genere in genus: quia, & ſi naturalis demonſtret iſtum principium geometriæ, cõtinuum eſt diuiſibile in infinitum: quia ſubalternat ſibi hoc principium. de tertio Eudemus differt in aliud tẽpus. nec etiam Simplicius ſoluit. ſed miror, quòd non viderint Ariſtotelẽ. quarto Metaphyſices. diſputare contra negantem ſua princia. ideo, cum dicit, ſiquis negaret principia Metaphyſices, cuius ſcientiæ eſſet probare? Dico, metaphyſici non vera demonſtratione, ſed argumento ducente ad impoſsibile. & ſiquis negauerit principia dialecticæ, dialecticus probabit. ſiquis autem negauerit principia ſcientiæ particularis, probare ea eſſet munus ſcientiæ ſubalternantis, ſi haberet; ſi autem non haberet ſcientiæ munus, & datum eſt ſcientiæ communi priuilegium, vt ſua probet principia argumento ducente ad impoſsibile. & ita facit Ariſtoteles quarto Metaphyſices diſputando contra Heraclitum, qui negabat dignitates metaphyſicæ primas.

LECTIO XXVIII.

SIMILE itaq; eſt conſiderare, inquit Simplicius, & recte, quòd, cum Ariſtoteles dixerit nõ eſſe munus naturalis diſputare cõtra ponentes vnum ens, & immobile, docet alios modos, contra quos aliqua ars nõ debet arguere: & aſsignat duos modos. primus eſt, cũ opinio ponit inania, & abſurda oĩno, vt Heraclitus ponebat omnia contraria eſſe, vnum, & quia hoc erat latens, declarat, quomodo ponebat omnia cõtraria, vnum dicit, vt ſi pone-

g et hominem esse vnum:alius eſt modus, cum quis non ductus ratione aliqua; ſed tantū ſyllogiſmo contencioſo omnino inane aſſerit, non eſt alicuius facultatis differere contra hos,& dicit, ꝙ iſti modi includuntur in opinione Parmenidis, & Melisſi: quia illa opinio negat principia naturalia,& ponit inopinabilia: quia ponit ens eſſe vnum.etiam illa opinio non eſt ducta aliqua ratione;ſed tantum ſyllogiſmo ſophiſtico: quia vtræque rationes peccant in figura, & non concluduut: & quia diximus, quòd vtræque opiniones ſunt abſurdæ; dicit tamen, ꝙ illa Meliſsi eſt magis oneroſa, & vana:quia non dat aliquem locum dubitationi;quia aliqua opinio aliquando eſt falſa:eſt tamē ingenioſa, & habet locum dubitationis, vt dicit Ariſtoteles ſecundo Elenchorum,& dicit, dato vno inconuenēti multa ſequuntur: quia ex hoc abſurdo, ꝙ ens ſit vnum, ſequuntur alia abſurda, ꝙ ens ſit immobile:quia ſi eſſet mobile,cum motus ſit de cōtrario in contrarium, eſſent plura entia, & nō vnum ſequitur, ꝙ ſit infinitum ſecundum Meliſſum : quia ſi eſſet finitum,terminaretur ab aliquo: & ſic eſſent plura entia, & ita dicit dato vno incompoſsibili multa ſequūtur exponuntur hæc verba dupliciter. primo, quòd non eſt difficile oſtendere, ꝙ dato vno incōuenienti plura ſequuntur:vel vt Ioannes Grammaticus,hoc non eſt difficile, id eſt oſtendere, ꝙ opinio Meliſsi ſit magis oneroſa, & vtraque expoſitio poteſt ſtare:quia vtrumque oſtendit Ariſtoteles, quia Ariſtoteles dixit, ꝙ oppoſitio, quæ ponit vnum, & immobile, incidit,in multa abſurda dicit vt effugiamus illa abſurda, nos naturaliter loquentes ſupponamus omnia, quæ natura cōſtant, mouentur:quia ſunt compoſita ex materia,& forma, & ſunt corpora.ideo mouentur omnia quæ natura conſtāt, cum ſint corpora,ſed adiecit,aut quædam, vt facilicer acciperetur illa ſuppoſitio:quia videmus aliqua moueri,vt elementa animalia. ideo dixit, aut quædam, & iſte eſt locus, quem adduxit Simplicius heri,vbi dicebat, quòd naturalis probat ſua principia inductione, vt hic facit. ſed ego dixi, quòd,qui negat principia naturalia;negat ſenſum, & inductionem quia illa manifeſta ſunt ſenſui, non ne fuerunt aliqui,qui dixerunt omnia moueri:& aliqui,qui dixerunt omnia quieſcere;tamen hæc ſunt contra ſenſum,dixit Aueroes ex Simplicio,quòd dixit,aut quędam,propter polos,axem, & centrum,quæ ſunt immobilia;ſed iam excluſum eſt:quia illa non conſtant natura, ſi enim conſtarent natura, eſſent corpora,& eſſent mobilia. mouerentur poli axis apud naturales.metaphyſicus vero accipit illa, vt immobilia: ſed mouentur naturaliter,non tamen per ſe,ſed per accidens: quia cum poli ſint puncta: puncta autē mouētur per accidens, ad motum ſui corporis. licet non transferantur de loco ad locum: & ita centrum apud mathematicum eſt punctum, & ideo non mouetur; ſed apud naturales eſt tota terra, vt quarto Phyſicorum oſtendemus, & tale eſt corpus, & eſt mobile. Ideo aliter dixit Simplicius propter animam rationalem:quia non mouetur per ſe, ſed tantum per accidēs ad motum ſui corporis;ſed hoc eſt falſum:quia anima rationalis nec per ſe mouetur,nec per accidens: quia eſt ſeparata à materia.ideo non communicat materię nec per ſe,nec per accidens. ideo non poteſt moueri, nec per accidens. addo, quia omnes conditiones,quibus probat Ariſtoteles octauo Phyſi.quòd primus motor non mouetur nec per ſe,nec per accidens, conueniunt intellectui; & patet: ergo intellectus non mouetur nec per ſe,nec per accidens. Ideo dicit Ioannes, ꝙ hoc forte dicit propter formas materiales, quæ quidem non mouentur per ſe: quia quarto Phyſi.tantum corpus mouetur per ſe; mouentur tamen per accidens: quia cōmunicāt conditionibus materiæ:ſiue ergo adiecit,aut quędam, vt formaliter accipiatur ſuppoſitio: ſiue per illas conditiones ſufficit,quòd inductione manifeſta eſt talis ſuppoſitio. Similiter autem, &c.hic cum dixerit,quòd nullius facultatis eſt diſputare contra negantem principia, addit, ꝙ nullius facultatis eſt ſoluere rationes litigioſas negatis principijs,debet tamen ſoluere illas, quæ admittant principia: quia ſicut non debet differere contra negantem principia, ita nec debet ſoluere rationes,quæ negant eius principia. Exemplum dicit Ariſtoteles ex mathematicis: quia contēdunt quadrare circulum, hoc eſt dictum, quòd tātam areā contineat quadratum, quantam continet peripheria circuli.& dicit,quidam attingunt veritatem:quidam non.qui nō attigunt veritatem, procedunt ex rationibus falſis, & iſtæ rationes falſæ. aliquæ procedunt ex principijs geometriæ conceſsis:aliquæ negant principia geometriæ. Exemplum: quia de quadratura circuli duæ opiniones. vna Antiphontis:alia Hippocratis Chij, nō medici illius famoſi. ille enim fuit Cous:& iſte Chius fuit mercator, vt ait Ioannes Grammaticus,& didicit geometriam, & volens quadrare circulum procedebat ex principijs geometriæ: quia dicebat, lunulæ quadrant: ergo & circulus. de quadratis dicam, nam geometria debet ſoluere eius rationes: quia procedunt admiſsis geometriæ principijs. Antiphon autem demonſtrabat quadraturam circuli non admittendo principia geometriæ.ideo geometra non debet ſoluere eius rationes. Hæc enim erat demonſtratio Antiphontis.& aduertite,quòd figura male ſe habet in impreſsionibus. dicebat ergo Antiphon, inſcribatur quadratum in circulo,& ſectiones circuli,quæ fiunt in quolibet latere quadrati ſecētur in duas partes:deinde ex ſectione vtrinque ducātur lineæ rectæ ad terminos ſectionum, efficiet figuram octangularem: deinde ſectiones diuidātur,quæ cōtinēt angulos, & ducātur vtrinque rectæ ad terminos ſectionū. fiet figura multorum angulorum,& ſic ſucceſsiue donec illæ lineæ rectæ adæquentur circulo ob paruiſsimam ſuam molem, & ſic quadrabat circulum. ſed quod nam principium negat Antiphon geometræ,dicit Alexander,quòd negat hoc: quia impoſsibile eſt, quòd circumferentia circuli totaliter tangatur à linea recta in puncto, vel in duobus punctis. in puncto, ſi cadat extra circulum: in duobus, ſi intra. ſed aduerſatur Simplicius Alexandro: quia dicit illud demonſtratur ab Euclide in octauo libro,quomodo ergo ſui principium.ſed credo, ꝙ ſit deprauatus:quia totus octauus eſt de numeris,forte vult dicere in tertio Theoremate, ſecūdo &.15.ideo dicit Alexander, ꝙ hoc erat principium negatum ab Antiphonte: quia ſcilicet poſsibile lineam rectam totaliter applicari, & adequari circumferentiæ circuli;ſed tantum in puncto, vel in duobus.ſed mihi videtur idem dicere Simplicius, ꝙ Alexander,quo ad ſignificatū:quia tantum eſt differentia: quia Simplicius accipit conuerſam Alexandri: quia Alexander dicit, impoſsibile eſt circumferentiam tangi perfecte à linea recta. Simplicius dicit conuerſam. ideo dico, vt alij, ꝙ negat hoc principium, ꝙ continuum nō poteſt diuidi in infinitum:quia dicebat deueniēdum eſt ad aliquam figuram, quæ ſit tot angulorum, quæ applicetur circumferentiæ circuli:itaq; illa figura ſit breuis, & ex illis lineis ita breuibus quadrabat circulum:ſiſtebat ergo ibi,& ſic negabat, continuum eſſe diuiſibile in infinitum.

LECTIO XXIX.

DVBITAT hic Simplicius propter verba Ariſtotelis: & propter demonſtrationem Antiphontis, & Hippocratis Chij,an hoc theorema, ſcilicet quadra

tum

tum circulo poſſe ei æquari ſit poſsibile, dicit, varia ſenſerunt expoſitores Greci. Ammonius dicit, ꝙ eſt poſsibile. nec Archimedes inuenit, nec alius quiſpiam. & de hoc reddit rationem; quia rectilinea, & circularis ſunt diuerſi generis. patet: quia figura circularis caret angulis: rectilinea habet angulos. quod autem ſequatur, ꝙ nó poſsit æquari: quia ex primo Euclidis, propoſitione. 32. angulus contingentiæ non eſt æqualis angulo rectilineo: quia illi anguli ſunt diuerſi generis. angulus autem contingentiæ aſt angulus cauſatus ex linea recta, & circunferétia circuli. angulus rectilineus cauſatur ex duabus lineis rectis: ſicut ergo anguli illi, ſcilicet rectilinei, & cótingentię non poſſunt æquari, quia diuerſi: ita cum illæ figurę ſunt diuerſæ, nó poterunt ęquari. eadem ratione Ammonio obijcit: quia dicit nó valet, nó ſunt eiuſdem generis: ergo non poſſunt æquari: quia lunula reducitur ad quadratum; tamē ſunt diſsimilis generis: quia lunula conſtat ex lineis circularibus, & circumferentia ſemicirculi; interius tamen lunula quadratur: ſi ergo diſsimilitudo eſt cauſa inæqualitatis, id eſt ꝙ illæ figuræ non poſsint quadrari, cum autem diſsimilitudo ſit inter lunulá, & quadratum: ergo lunula non poterit quadrari. quod tamen eſt falſum, vt probaui ſupra. hoc eſt primum argumentum. ſecundum eſt ex auctoritate expoſitorum: quia dicunt, quòd multi mathematici digni circa quadraturam inuenerunt, vt Archimedes, Nicodorus, & alij. addo, quia trigeſimatertia. 3. Euclidis, demonſtratur, quòd ſuper rectā lineam deſcribatur ſectio circuli, cuius angulus ſit æqualis angulo recto, & angulus ſectionis circuli lóge diſsimilis eſt ab angulo rectilineo: tamen ibi dicit Euclides, ꝙ illi anguli poſſunt æquari: diſsimilitudo ergo figurarum non facit, ꝙ figuræ nó poſsint quadrari. quarto & vltimo addo, quia Eudemus diſcipulus Ariſtotelis in commentario ſuo geometriæ ait, ꝙ Hippocrates Chius demóſtrauit omnem lunulam, quadrari, & ſic omnes circulos facile quadrari, & demóſtrauit hoc pacto: quia dicebat, omnis lunula, vel eius exterior circunferentia eſt æqualis ſemicirculo, vel maior, vel minor, data qualibet parte demonſtrat vnamquanque quadrari poſſe. ſi exterior circunferentia ſit ęqualis ſemicirculo, facile illa poteſt quadrari. & demonſtrauit hoc tribus ſuppoſitionibus ſuppoſitis. prima fuit, quòd omnes ſectiones circulorum ſimiles habent eam propoſitionem, quam habent baſes potentiæ: adinuicem ſectiones ſimiles ſunt, quia tota portio vnius circuli eſt portio ſuijpſius, in tota portio alterius eſt portio ſuijpſius. & declarat, quia ita eſt de pactionibus circuli, ſicut de circulis: quia eandem proportioné habent circuli adinuicem, quam habent diametra potētia adinuicem ex ſecunda. 12. quià potentia linea eſt ad quadratum, ita ſe habebunt. ergo ſectiones circuli adinuicem, vt ſuę baſes, id eſt choro. ſecunda ſuppoſitio omnes ſimiles ſectiones circulorum continent æquales angulos: quia maior ſectio cótinet maiorem angulum: minor minorem. tertia ſuppoſitio ſuper data linea recta, &c. vt ſupra dixi, quæ eſt in trigeſimatertia tertij, ex iſtis tribus ſuppoſitionibus demonſtrauit, ꝙ omnis lunula poſsit quadrari, & ſic omnis circulus facile poterit quadrari: deinde adducit demóſtrationem. ſed ego non intelligo eam: quia textus eſt corruptus: & fateor ignorantiam meam. ideo dicēdum eſt, vt Simplicius quòd debemus adhibere fidem Eudemo, quòd Hippocrates demonſtrauerit omnem lunulam quadrari, & omnem circulum quadrari; ſed dicit Simplicius, quomodo ergo Ariſtoteles demonſtrauit circulum quadrari per ſectiones: quia ſectiones non ſunt lunulæ: tamen Eudemus dicit ꝙ demonſtrauit per lunulas: quia lunula non eſt ſectio. ſectio enim conſtat ex circunferentia circuli, & linea recta: lunula autem non cóſtat ex linea recta, ſed arcuali. ſecundo ſi demóſtrauit, quomodo ergo dicit Ariſtoteles in prædicamentis quòd quadratura circuli eſt ſcibile, nondum ſcitum. ſi enim erat inuenta ab Hippocrate Chio, iam erat ſcita, dupliciter dicunt. Alexander ait, quòd iſta verba non debent referri ad Hippocratem Chium. ideo hoc exemplum non eſt ad eundem referendam. ideo ipſe recte demonſtrauit: & ideo citat aliam demonſtrationem: quia dicebat idem eſt numerus quadratus, & circularis: ergo quadratum poteſt æquari circulo, ꝙ numerus quadratus ſit idē quòd circularis probatur: quia ſecundus eſt numerus quadratus: qui. 5. ductus in ſe facit. 25. vocatur numerus circularis, vt delinientia eius multiplicatur in ſe, ſed delinientia eſt. 5. qui ductus in ſe facit. 25. ergo idem eſt numerus quadratus, & circularis. & dicit, quòd iſta opinio peccat: quia tranſit ab arithmetico ad geometram: quia antecedens eſt arithmeticus, idem eſt numerus quadratus, & circularis, conſequens eſt geometricum. ideo peccat, quia tranſit de genere in genus, & non ſequitur: quia omnis numerus menſuratur vnitate; non autem omnes magnitudines menſurantur vna magnitudine. Aliter, dicit Simplicius, ꝙ hoc exemplum referendum eſt ad Hippocratē Chium; ſed ſi recto demonſtrauit. quomodo ergo peccat eius ratio; dicit Simplicius, quòd non demóſtrauit, ꝙ omnis lunula poſsit quadrari, ſed tantum demonſtrauit lunulam ſuper latere trianguli, vel exagoni quadrari; nó tamen demonſtrauit de omni lunula: quia etſi circūferentia exterior ſit vel maior, vel minor, vel æqualis ſemicirculo: tamen illa interior poteſt in infinitum variari. ſed dicetis, ſufficit, quòd Hippocrates Chius demonſtrauit ex illis duabus lunulam quadratam equari circulo. quid ergo dicit Ariſtoteles, ꝙ nondum ſcita eſt. videtur mihi, quòd iſte ſit ſenſus Simplicij, ꝙ Hippocrates Chius demóſtrauit omnem circulum reduci ad quadratum; ſed eius ratio non erat demonſtratiua, ſed logicalis: quia demonſtratio debet eſſe ex vniuerſalibus ipſe accepit vnam lunulam, & aliam, non autem omnes. ideo fortaſſe Ariſtoteles dixit, eſt ſcibile: quia nedum demóſtrata eſt ex vniuerſalibus; ſed tantum demonſtrata eſt ſyllogiſmo topico fidem faciente; ſed ille ſyllogiſmus non facit ſcientiam. de ſecundo dicetis, ꝙ improprie appellauit ſectionem circuli, lunulam.

LECTIO XXX.

QVOD autem de materia, &c. quia pluribus de cauſis oſtendit, quòd non erat philoſophi naturalis munus differere cótra Parmenidem, & Meliſſum: vtile tamē erat cótradicere eis, duplici de cauſa. primo in illis verbis natura, &c. ſed quoniam de natura. quæ verba dupliciter exponunt ſecundum quod habent duplicem punctuationem. prima eſt Simplicij, & Porphyrij, quòd iſte ſit ſenſus, vt loquuntur de natura, licet contra eos diſputare, vt vero inducunt dubitationes non naturales, non eſt philoſophi naturalis contradicere. inducunt enim dubitationes nó naturales: quia negant motum, & naturam. ꝙ vero loquantur de natura, dicūt expoſitores, patet: quia Parmenides inſcripſit librum de natura; ſed huic expoſitioni aduerſatur Alexander: quia, ſi iſti loquuntur de natura, quomodo ergo negant naturam? quia qui differit de anima, non negat animā, ideo reddit aliam cauſam, & octauo textu CC. quia qui dicunt ens eſſe vnum & immobile, non de natura loquūtur: non ergo verum, ꝙ philoſophus naturalis debeat diſputare contra eos, vt loquantur de natura. Ideo aliter Alexander, Themiſtius, & Ioannes Grammaticus dicunt, ꝙ debemus

facere

facere aliam punctuationem; ſed quoniam de natura quidem, non naturales autẽ dubitationes contingit dicere, itaque iſtę ſit ſenſus, quòd contradicere non debemus eis, vt negãt naturam, ſed vt inducũt dubitationes naturales: quia inducunt dubitationem de motu, & vacuo. & eſt modus loquendi Ariſtotelis in Elenchis: etiam vt videtur quidem, non apparet autem: etiam prima expoſitio poteſt conuenire, quod autem dicit Alexander, quòd iſti negant naturam, quomodo ergo loquuntur de natura? Dico, ꝙ iſti tacite negant naturam: quia negant motum, expreſſe tamen ponunt naturam, ideo poteſt ſtare prima expoſitio: ſecũda cauſam aſsignat: quia philoſophus primus ſcilicet metaphyſicus, ex quo differit de ente, debet eis contradicere: & hac ratione diſputabimus contra ipſos, vt metaphyſici. principium quidem, &c. aggreditur Ariſtoteles diſputationem, & more diſputantium ponit ſignificationem terminorum, vt primo Elenchorum: & quia ens dicitur multipliciter, & diſputat argumento dialectico ſumpto ex diuiſione & nõ metaphyſico etiam dicit, cum dicit ens eſſe vnum, cum vnum ens dicatur multipliciter, ſcilicet qualitas, quãtitas, ſubſtãtia, quomodo hęc, & hic, omitto ſeriem verborum: quia Ariſtoteles more ſuo perturbat: aut ergo hæc omnia ſunt vnum re, diuerſa nomine: aut vnum nomine, diuerſa re. ſi vnum nomine, re diuerſa, tunc non erit vnum ens, ſed plura, ſi dicitis, ꝙ hęc omnia ſunt vnum re, diuerſa nomine; ſi vnum re, vel vna ſubſtantia, vel qualitas, vel quantitas: & ſi ſunt omnia, vna ſubſtantia, aut ſunt vna ſubſtantia genere, vel ſpecie, vel numero. ſi genere: ergo erũt plura entia: quia genus includit plures ſpecies. nec ſunt vna ſpecie: quia ſpecies cõtinet plura indiuidua. & ſic non erunt vnũ; ſi vero vna ſubſtantia non ſunt hęc omnia: ergo nõ dabuntur prędicamẽta accidentiũ: quia cum ſit vna ſubſtantia numero, non erũt accidentia: & ſic non erit qualitas, nec quantitas. quomodo ergo Meliſſus poſuit vnum ens, & infinitum: Parmenides finitum: quia finitum, & infinitum per ſe inſunt quantitati. ſecundo modo dicendi per ſe: quia finitũ & infinitum, definiuntur per quantitatẽ. ſecundus enim modus dicendi per ſe eſt, quando ſubiectum ponitur in definitione paſsionis, in primo modo eſt, cum definitio, vel pars definitionis prędicatur ex definito. vnde iſta, animal eſt homo, non eſt in primo, vt dixit ille fatuus Paulus Venetus. illa enim eſt prædicatio præter naturalis: ſi ergo omnia ſunt vna ſubſtãtia, ens non erit nec finitum, nec infinitum: quia iſta conueniũt quantitati. ſi vero dicatis eſſe omnia hæc vna quantitas, nõ vna ſubſtantia, tunc vel vna genere, vel vna ſpecie, vel vna numero, ſi vna genere, vel ſpecie cum iſta plura includunt, non erunt ergo vnum. ſi vna numero: ergo erit accidens, ſine ſubſtantia. hic diſputant nominales, an quantitas diſtinguatur à re quanta: ſi ergo omnia ſunt vna quantitas numero: erit ergo accidens ſine ſubſtantia, quod eſt abſurdum, & impoſsibile, dici poteſt, dixit illa duo verba: quia abſurdũ differt ab impoſsibili: quia abſurdum eſt in pluribus, quàm impoſsibile. ideo dixit abſurdũ. ſequitur ſi licet dicere impoſsibile, id eſt quod abſurdum eſt, impoſsibile. dixit, licet: quia abſurdũ diſtinguitur ab impoſsibili: & ſuperius à ſuo inferiori. poſtquã oſtendit opinionem eſſe falſam diuidendo ſignificata entis, nunc arguit ex parte prædicati: quia dicit, dicitis ꝙ modo ſunt vnum vel genere, vel ſpecie, vel numero. ſi genere, & ſpecie: ergo erunt plura. ſi vnum numero, vel erit vnum continuitate, vel indiuiſibile, vel ratione. vnũ continuitate, vt linea: quia continua quantitas eſt, cuius partes copulantur: vnum indiuiſibile eſt, vt punctum reſpectu lineæ, vel vnitas reſpectu numeri, vel mutatum eſſe reſpectu motus: vnum ratione, vt ſynonyma, enſis, gladius. non poteſt autem vnum ens, continuitate: quia continuum eſt diuiſibile in infinitum: ergo plura. ſi vnum indiuiſibile: ergo illud ens non erit finitum, & infinitum: quia indiuiſibile non eſt magnitudo, & infinitum includit magnitudinem. nec poteſt eſſe vnum ratione: quia ſic omnia vniuoce eſſent. & ſic reuerteretur opinio Heracliti, qui dicebat contraria eſſe ſimul. ideo non poſſunt eſſe vnum ratione Ariſtotelis. addit verba obſcura, quia dubitant expoſitores, cur adiecerit hanc quęſtionem, an totum diſtinguatur re à partibus; ſed dicit impertinens eſt ad hanc diſputationem: ſed fortaſſe habet perſcrutationem. ex ſeipſa Porphyrius dicit, ꝙ addit hæc verba, vt ſolueret dubitationem tacitam: quia dixerat, ſi vnum numero vel continuitate, vel indiuiſibilitate, vel ratione. eſt enim alius modus, quo totum, & pars vnum dicitur: quia manus ſiniſtra eſt eadem cum homine. aliter dicit Alexander, quòd vnum continuitate habet partes multas nedũ diuiſas à toto; ſed etiam in ſuo toto: & adiecit dubitationẽ, quia partes diuiſæ ſunt diuerſæ: ergo in toto ſunt diuerſæ, quia ſi non, pars ergo eſſet totum; ſed quia aliquis diceret, tu accipis quòd partes ſunt eędem toto, ideo adiecit, ſi hæc quæſtio eſt impertinens, eſt tamen perſcrutabilis per ſe. aliter Ioannes Grammaticus adiecit illam quęſtionem: quia dixerat, ꝙ ſi ens vnum ſit continuitate, cum continuum ſit diuiſibile in infinitum: ergo erunt plura dubitant: quia aliquis dixiſſet vnum quantitate, eſt vnum per ſe: quia totum, & partes ſunt idem, & ſic non ſequitur: ergo ſunt plura. ideo quærit hanc dubitationẽ; ſed mihi non placet hæc ſolutio: quia Ariſtoteles non quærit, an partes ſint eædem cum toto; ſed quærit de vna parte tantum, an ſit eadem cum toto in ſingulari. ideo opinio Alexandri & Porphyrij magis mihi placet: ergo adiecit quæſtionem, an pars vna ſit eadem cum ſuo toto, & diſputat ad vtranq; partem: primo videtur, ꝙ non ſit eadem toto: quia, ſi ſic: ergo aliæ partes erunt eædem toto: quia non eſt ratio minor de vna parte, quàm de alia: ergo illæ partes erunt eædem ad inuicem: quia, quæ ſunt eædem vni communi, ſunt eædem ad inuicem. ex alia parte videtur, ꝙ ſit: quia ſi non eædem toto: ergo aliæ partes erunt diuerſæ à toto: & cum totum nihil aliud ſit, quàm partes: ergo idem erit diuerſum à ſeipſo, vtraque pars habet dubitationem, & vt dicit Simplicius, reliquit ſecundam rationem tanquam famoſam, quæ erat, ſi pars eſſet diuerſa à toto: ergo totum à ſeipſo per illud verbũ omnia intelligit ens: quia illi appellabãt ens omnia: quia ponebant illud ens eſſe omnia: quia erat ſubſtantia propriiſsime, & comprehendebat omnia virtute, ideo dixit omnia.

LECTIO TRIGESIMAPRIMA.

INDVXIT nobis Ariſtoteles dubitationem de toto, & partes cum probauit quòd non poteſt eſſe vnum continuitate: quia cõtinuum eſt diuiſibile in partes, & diſputauit ad vtranque partem: & dicit, textus. 2 1. de partibus non continuis eſt eadem ratio. Eudemus refert illa verba ad ſuperiora, vbi dixit totum cõtinuum diuiditur in partes, dicit, ꝙ eadem eſt ratio de partibus non cõtinuis, ſicut de partibus in toto continuis: quia partes cum ſint diuerſæ à toto, ſunt ſeparatæ ad inuicem: ita etiam in cõtinuis non ſeparatæ à toto ſunt plures; ita & iſta verba referuntur: Infinitum autẽ. Alex. vero refert ad verba propinqua: quia dicit, ꝙ hæc quæſtio, nunquid pars ſit eadem toto, ita eſt de partibus continuis, ſicut de non continuis. & exponit tripliciter per non continua. primo, dicit, ꝙ intelligit continua impropriè, vt partes artificiales. partes enim domus nõ ſũt

continuæ:

continuæ: quia quinto Phyſi. continua ſunt ea, quorum vltima ſunt ſimul, & quæ differunt ſpecie: non poſſunt eſſe cõtinua, ideo ſunt continua. dicit Ioannes, ꝙ illæ partes ſunt appoſitione partes. dicit, ergo eſt dubitatio, nũquid tectũ, & domus ſit idem. & ſi dicamus, quòd ſic: ergo tectum erit domus: & ſic quælibet pars domus, erit domus. ſi vero dicamus, ꝙ non: ergo quælibet partes erũt diuerſæ à toto, cum non ſit maior ratio de vna parte quàm de alijs, & cum totũ nihil aliud ſit quàm ſuæ partes: ergo totum erit diuerſum à ſeipſo. & ſic ad vtranq; partem eſt dubitatio, ſicut erat de toto, quod habebat partes vere continuas. Exponit ſecundo per non continuas, id eſt partes non connexas, ſicut in homine ſunt partes non connexæ: ergo eſt dubitatio, nunquid pars non connexa ſit eadem cum homine. ſi diceris, ꝙ ſit eadem: ergo brachium erit homo. ſi vero erit pars diuerſa à toto, ſic quælibet partes erũt diuerſæ à toto, ſcilicet totum eſt ſuæ partes, ideo totum erit diuerſum à ſeipſo. tertio exponit Ioannes non continuas, id eſt ſimilares, vt nerui, caro, oſſa, diſsimilares, eſt brachium caput. eſt ergo dubitatio, an pars ſimilaris, quæ proprie non eſt continua ſit eadẽ cum ſuo toto, & habet dubitationem ad vtranque partem, vt totum, & pars continua. dubitat Simplicius, cur Ariſtoteles nõ ſoluat quæſtionem illam, an ſcilicet pars ſit eadem cum toto. ſecũdo quid dicendum eſt. de primo, dicit, quòd non ſoluit: quia nõ erat ad propoſitum, ideo dixit Ariſtoteles, impertinens eſt. de ſecundo dicit, ꝙ pars ſit eadem toto ordine, & compoſitione loquẽdo de partibus integralibus, ſimpliciter pars quælibet eſt diuerſa à toto, ita ſoluendæ ſunt rationes ad vtranq; partem, cum dicis, pars eſt eadem cum ſuo toto, verum eſt ordine quodam, & compoſitione: ergo eadem eſt cuilibet parti, negatur: quia pars non eſt eadem ſimpliciter cum ſuo toto, ita de ſecundo cũ dicis pars eſt diuerſa à toto, verum eſt: ergo omnes partes ſunt diuerſæ à toto. Dico, ꝙ omnes partes diuiſiuè ſunt diuerſæ à toto, cum dicis, totum nihil aliud eſt, quàm ſuæ partes, vel intelligis partes collectiuè, & ſic ſunt eædem cum toto, vel diuiſiue, & ſunt diuerſæ à toto. ideo bene dicit Auerroes, ꝙ illa propoſitio peccat fallacia compoſitionis, & diuiſionis: quia diuiſiuæ partes ſunt diuerſæ à toto: collectiuæ tamen ſunt eædam cum toto. Exemplum, vt dicunt ſophiſtæ, omnes apoſtoli Dei ſunt duodecim: Petrus, & Paulus ſunt apoſtoli Dei: ergo Petrus, & Paulus ſunt duodecim. Maior, ſi intelligatur vniuerſaliter, falſa eſt: quia diuiſiue eſt falſa; ſi vero collectiuè eſt vera; ſed tunc argumentũ nullũ eſt: quia minor eſt falſa, ſcilicet ꝙ Petrus, & Palus ſint omnes apoſtoli collectiue, ita in propoſitis partes ſunt diuerſæ à toto diſiunctiuè, collectiuè vero ſunt eædem. ſed dices, quid de toto, & partibus, an partes diſtinguãtur à toto? dicit Ioan. Grãmaticus, ꝙ partes ſunt eędem quodammodo, quodam modo vero diuerſæ ſunt eædem, quia vltra partes non eſt compoſitum: diuerſæ, vt ex ipſis reſultat compoſitum. ſed errat Ioãnes: quia, ſi totum eſt effectus partium, & effectus re diſtinguitur à cauſa: ergo totum re diſtinguitur à partibus, quod eſt falſum, vt dicemus. Addunt Latini, quòd totum integrale nihil aliud eſt, quàm ſuæ partes. nihil. n. aliud eſt linea bipedalis, quàm ſuæ partes ſimul collectæ: & ex illis partibus collectiue reſultat compoſitũ: quia nihil aliud eſt compoſitum, quàm ſuæ partes. Addunt tertio Latini de toto & partibus eſſentialibus, an ſcilicet homo diſtinguatur à corpore, & anima ſimul ſumptis re. Ioannes Scotus, & D. Thomas dicunt, ꝙ ſic: quia homo vltra ſuas partes dicit tertiam entitatẽ quandam. ſed dicemus infra. dubitat Simplicius, nunquid Ariſtotelis tactu funditus euertat opinionem Parmenidis, Meliſsique: & dicit Alexander, quòd ſic: quia ipſi ponunt, illud ens, quod eſt vere ens, & ſubſtantia ſeparata à materia, eſſe vnum ens. dicit Alexãder, quòd eſt alia ſubſtantia, quæ non eſt illa in iſta caduca, ſi dicant ſubſtantia caduca nõ eſt proprie ens: quia talis ſubſtantia adiũcta eſt priuationi; ideo interit: dicit Alexander, & ſi admixta eſt priuationi, tamen alia eſt à ſubſtantia propria. & ſic non eſt tantum illa proprie ſubſtantia. Simplicius defenſor iſtius opinionis dicit, quòd ſicut dicimus, quòd duplex eſt album. vnum, quod improprie eſt, quod promiſcetur ſuo contrario, vt rubeum, & alij medij colores: aliud eſt album ſincerum, quod nõ promiſcetur, & tale proprie eſt album, vt tertio Topicorum dixit Ariſtoteles, ita de ſubſtantia, aliqua eſt ſimplex, quæ non eſt permixta contrario, nec priuationi non eſſendi, & talis eſt vna ſimpliciter, vt dixit Ariſtot. 12. Metaphyſices, entia nolunt male diſponi: vnus ergo princeps, aliud eſt ens improprie, quod eſt permixtum contrario, & priuationi non eſſendi, vt iſtæ aliæ ſubſtantiæ, & ſic dicebat, quòd eſt vnum & improprie. Alia vero entia ſunt permixta: quia producta ſunt à primo ente, & etiã ipſi concedunt, quòd ſunt plura entia, vt videbimus infra. ſed dicunt eſſe vnum ens, vt etiam dixit Ariſtoteles. ideo Ariſtoteles reprehendit verba, non ſenſum. Sed dicetis, ita vane laborauit Ariſtoteles, vt verba tantũ, non ſenſum oppugnaret? dicit Simplicius, ꝙ erat mos apud antiquos reprehendere verba, ne illa eſſent cauſa alijs errandi. Dubitat tertio Simplicius, ꝙ Ariſtoteles quærit, an illud ſit vnũ cõtinuitate, an indiuiſibile, an ratione. dicit Parmenides, quòd eſt vnum omnibus modis continuitate, vt in dialogo Platonis, quia ſicut exiſtens continuat exiſtenti, & cauſa effectui, ita prima ſubſtantia continuat alijs. eſt etiam indiuiſibile vnum: quia vnum eſt ſemper manens in ſe: ens eſt vnum ratione: quia vnũ, & ens ſunt multa nomina, & ſunt eiuſdem rationis. ideo argumenta Ariſtotelis verbis tantũ, non ſenſui contradicunt: quia dicit, ſi vnum continuitate: ergo diuiſibile in infinitum, dicunt enim ſicut ens ponimus eſſe, ita continuum continuitate, tale, & vnum ſit tantum, & continuum, ſicut cauſa effectui eſt tantum, multitudo quadam: quia effectus omnes à prima cauſa cõtinentur in prima ſubſtantia, ſicut exercitus continetur in Imperatore, & habet duplicem ordinem, vnum in ſe, alterum in Imperatore. Ad ſecundum, quia dicebat Ariſtoteles, ſi eſſet vnum indiuiſibile, non eſſet nec finitum, nec infinitum: quia illa competunt quantitati, quæ diuiſibilis eſt, dicit Simplicius, quòd illi non ponunt ita eſſe finitum, & infinitum, & competunt quantitati; ſed ſecundum potentiam: quia vnus dicebat, ꝙ erat finitum ſecundum potentiam: alter infinitum ſecundum potentiam, & non ſecundum quantitatem, vt ſupponit argumentum: ad tertium, quia, ſi eſſent vnum ratione contraria, ſimul eſſent: non ſequitur dicit Simplicius; quia ipſi dicunt, ꝙ multa ſecundum nomen, vt ens, & vnum, & ſic illa erant eiuſdem rationis: non tamen dicebant, ꝙ diuerſa ſecundum rẽ eſſent eiuſdem generis. Quarta dubitatio, quia Ariſtoteles petit principium. volens enim deſtruere, quòd non ſit vnum, accepit, ꝙ ſint multa: quia dicit vnum, dicitur multis modis: ergo ſupponit plura, & ſic petit principiũ. Dico, dicit Porphyrius, ꝙ Ariſtoteles ſumit illam ſuppoſitionem ex inductione: quia inquit, accidentia prædicantur de ſubſtantias: ergo ſunt diuerſa, quia habent fundari in ſubſtantia, & ſic non petit principium. Quinta dubitatio, quia dicit, eſt aliquod vnum, quod non eſt neque continuũ, neque indiuiſibile: quia diuiditur in ſuas partes. nec vnum ratione, quia plura ratione, quia habet aliam rationem, vt albus: & aliam, vt niger. dicit Ioannes Grammaticus, quòd reducitur ad illa tria ſcilicet vnum continuitatis, & ſi ſub-

ſtantia

ſtantia in proprie genere ſit vna, & non ſit quantitas:quia per tria principia ſubſtãtialia Socrates eſt ſubſtantia;, & nõ per accidentia;, vt dixit Porphyrius, niſi recte intelligatur. inquit ergo Ioannes,'quòd ſubſtantia eſt vnum per ſua principia,nec eſt vnum,illorum trium modorum;ſed eſt vnum diuerſum:reducitur tamen ad vnum continuitatis, ideo de eo non facit dubitationem. Eſt alia dubitatio Latinorum, an ſubſtantia ſecluſa quantitate habeat partes.de hoc eſt duplex modus dicendi;. Scotus. 2.diſtinctione ſecunda quęſtione ſecunda dicit, ꝙ ſubſtantia habet partes ſecluſa quãtitate,ita dixit Ganda.ſed ſunt duplices partes.aliquæ entitatiuæ:aliquæ integrales,quæ ſunt extra,ſed diſtantes loco, & poſitione.dicit ergo opinio,ꝙ ſubſtantia ſecluſa quantitate habet partes entitatiuas: non autem habet partes integrales, diſtantes loco, & poſitione. & hæc opinio fundatur in illo dicto, In principio creauit deus cœlum, & terram. ex vna parte creauit cœlum, ex alia terram :ergo habebat partes,& erat ſecluſa à quantitate.ſecunda ratione, quia,ſicut ſe habet tota ſubſtantia ad totam quantitatem, ita partes ſubſtantiæ ad partes quantitatis: quia præcedit natura accidens: ergo partes ſubſtantiæ præcedunt partem quantitatis natura;ergo ſubſtantia habebat partes ſecluſa quantitate. ſecundo ad idem, quia ſubſtantia eſt cauſa quantitatis:ergo & diuiſibilitatis, quia quicquid eſt cauſa cauſæ,eſt etiam cauſa paſsionis eius;; ſed diuiſibilitas eſt paſsio quantitatis:ergo ſubſtantia eſt cauſa diuiſionis: ergo habet diuiſionem.& ipſa probatur ex illa maxima,propter quod vnũquodque tale, & illud magis; ſed propter ſubſtantiam quantitas eſt diuiſibilis: ergo magis ſubſtantia eſt diuiſibilis.tertio,ſi ſubſtantia eſſet indiuiſibilis, quomodo poſſet ſuſcipere diuiſibile,videtur contra rationem.quarto ſub eadem, numero,quantitate eſt reperire plus, & minus materiæ:ergo partes materię non reſpondent partibus quantitatis:ergo materia habet proprias partes ſecluſas quantitate. in oppoſitum eſt diuus Thomas diſt. 2.quia inquit impoſſibile, ꝙ aliquid habeat partes ſine quantitate:quia ſicut impoſſibile eſt ꝙ album ſit ſine albedine,etiam ex potentia Dei,ita impoſſibile,ꝙ aliquid habeat partes ſine quantitate: quia diuiſibilitas cõuenit tantũ quantitati.accipiatis iſta duo principia,ſi ſubſtantia habeat partes ſine quantitate, eſſet aut finita,& aut infinita:quia habet partes aut finitas, aut infinitas.oppoſitũ dixit Ariſtoteles, quia ſubſtantia ſecluſa quãtitate non eſt finita,nec infinita.ſecundo,ſubſtantia diceretur æqualis ſubſtantiæ, quia illæ partes eſſent æquales alteri,vel inæquales.oppoſitum dixit in prędicamentis,ꝙ ſubſtantia non eſt æquale, vel inæquale; ſed tantum ineſt ſubſtantiæ ratione quantitatis.

LECTIO XXXII.

QVEREBAMVS nunquid ſubſtantia materialis ſecluſa quantitate habeat partes, & ſit diuiſibilis. reci aui opinionem Scoti. erat ſecunda diui Thomę,& Alberti Alemani, quam plures ſecuti ſunt, qui dicebat, ꝙ ſicut Deus non poteſt facere album ſine albedine, ita nec quantum ſine quantitate, & partibile ſine quantitate: quia partibile eſt proprium quantitati. ideo ſubſtantia non poteſt eſſe diuiſibilis ſecius à quantitate.& adduxi rationem, quia Ariſtoteles dicebat, ſi ſubſtantia eſſet ſine quantitate nec finita, nec infinita eſſet; ſi tamen eſſet ex ſe diuiſibilis, eſſet ex ſe aut finita,aut infinita. etiam quia ſubſtantia diceretur æqualis ſubſtantiæ, oppoſitũ dicit Ariſtoteles in prædicamentis.ideo dico ſubſtinendo hunc modum ad argumenta eius;quia ſicut tota ſubſtantia præcedit totam quantitatem, ita quælibet partes ſubſtantiæ præcedũt proprias quantitatem. Dicit Diuus Thomas, poſſunt conſiderari illæ partes,vt ſubſtantiæ,& præcedunt quantitatem:quo caput,vt ſubſtantia præcedit quantitatem, ſi conſiderentur vt partes,& diuiſibiles ſequuntur quantitatem,& non precedunt quantitatem. quia non eſt per ſe diuiſibilis, niſi ratione quantitatis,& ſicut cauſa formalis præcedit effectum formalem, ita cauſa materialis præcedit effectum materialem. ſecundum argumentum propter materiam, quantitas eſt partibilis:ergo magis quantitas ineſt materiæ. Nego conſequentiam,ſed propter quod vnumquodque tale,& illud magis.ſcitis,ꝙ varias expoſitiones habeat hoc dictum; ſed adducamus pro nũc expoſitionem Themiſtij,& Auerrois ſeptimo Metaphyſices,quòd illa propoſitio eſt vera in cauſis vniuocis,id eſt ꝙ effectus,& cauſa conueniant in eadem denominatione,& illa denominatio ineſt effectui propter cauſam. ideo non valet, homo eſt calidus propter ſolem:ergo ſol eſt magis calidus: quia ſol non eſt cauſa vniuoca.& ita non valet homo ebrius propter vinum: ergo vinũ magis ebrium.ideo non valet. diuiſibilitas ineſt quantitati propter materiam: ergo materia eſt magis diuiſibilis: quia talis diuiſibilitas non denominat cauſam, & cauſatum,& talis denominatio ineſt cauſato propter cauſam, id eſt quãtitati propter materiam.ideo non ſequitur,&c.De tertio,dico,ꝙ indiuiſibile omnino non poteſt nec actu, nec potentia recipere diuiſibilitatem: indiuiſibile actu, & diuiſibile potentia poteſt recipere diuiſibile: & ſic materia eſt diuiſibilis potentiæ;ideo recipit diuiſibile. De quarto,quia ſub æquali quantitate eſt aliquãdo plus materię, aliquando minus:ergo partes materiæ non correſpondent partibus quãtitatis:ergo materia habet proprias partes,cum dicis,ſub ęquali quãtitate. iſta propoſitio eſt falſa de rigore ſermonis: quia quantitas eſt inſeparabilis à materia: quia ille quantitas,quæ eſt in me,& ſemper fuit,& erit, eſt æterna materia ſi vero permutatur materia in maiorem raritatem, illa quãtitas extenditur: ſi in denſiorem, illa quantitas remittitur. ideo illa propoſitio eſt falſa de rigore ſermonis: quia vbi plus materiæ,ibi plus quãtitatis:vbi minus materiæ, minus quantitatis; ſi vero ſub æquali extenſione ſit plus materiæ, aut minus;, ſicut ex pede terræ fiunt decem pedes aeris,eſt eadem quantitas: quia eſt in vno pede terræ, & decem aeris:dices ergo vnus pes,& decem pedes erunt idem. Dico, quòd ſunt idem quantitate, ſed tamen habent aliam, atque aliam extenſionem:quia aliam in aere,aliam in terra; tamẽ eadẽ eſt quantitas;, creſcit raritas & denſitas materiæ. ideo ſi intelligas,ſub eadem extenſione ſit plus, & minus materiæ,verum eſt.ergo partes materiæ non correſpondent partibus quantitatis.nego argumentum,quia, ſicut habet plus materiæ,ita plus quantitatis; ſed illa quantitas terræ eſt magis calcata:ſatis eſt,ꝙ ſub æquali quãtitate eſt æqualis portio materiæ,ſi non ſub æquali extenſione. Secunda dubitatio,nunquid ſubſtãtia quanta ſit:;ſua quãtitas &, accidentia ſunt quanta extenſa extenſione ſubiecti: nunquid illa accidentia ſint ſua quanta. hic eſt duplex modus dicendi.vnus qui dicunt ꝙ ſubſtantia quanta non diſtinguitur à quantitate,ſed tantũ definitur per ſe ſola, id eſt ſola ratione:quia, vt per ſe eſt, eſt ſubſtantia: vt diuiſibilis eſt quantitas. ex hoc ſequitur corolarium;, quòd quantitas eſt ſubſtantia,& qualitas:quia albedo extenſa eſt quantitas; ſed vocatur qualitas;vt diſgregat viſum.ſecundo,plures quantitates,& dimenſiones ſe poſſunt penetrare,immo ſe penetrant,vt in lacte eſt quantitas ſubſtantiæ, & quantitas albedinis, & ſubſtantia dulcedinis quanta,& probatur ex Ariſtotele quarto

Phyſi.

Phyſi.in principio:quia materia eſt diuiſibilis. & ex Auerroe in fine de ſubſtãtia orbis,vbi dicit,ſol,& luna,ſunt formæ,id eſt, dimenſiones, & ſic cœlum eſt ſua quantitas:ergo materia non diſtinguitur à quantitate,. & probat ex hoc principio ; quia fuſtra fiunt per plura, quæ poſſunt fieri per pauciora,& ęque bene.ideo non ſunt miracula multiplicãda.iſti tamen patres quotidie multiplicant; ſed hęc eſt nulla neceſsitas ponendi ſubſtãtiam ſecluſam à quantitate. quod ita ſit,oſtendo,quia per intellectum abſtrahimus quantitatem diuerſam à ſubſtantia , vel per potentiam diuinam, & non per motum localem: & illæ partes ſunt extra ſe inuicẽ poſitæ,ergo habent propriam quantitatem, quæ non diſtinguitur à ſeipſo:etiã ſecluſa quantitate, habet cor cerebrum, quæ erunt partes diuerſæ: & ſic habebunt quantitatẽ,quæ non diſtinguitur à ſeipſo.tertio, ſi quantitas diſtingueretur à ſubſtãtia, pars nõ eſſet inferior toto: quia ſi auferatur per potentiam diuinam quantitas à digito,auferatur etiã quantitas à toto.ſemper enim totum eſt maius ſua parte,ſi ſic ergo quantitas ineſſet toto , quæ non diſtinguitur à toto ipſo, & ita quantitas, quæ inerit parti, quod auferatur quantitas à ſubſtantia interueniente motu locali, non diſtinguitur à parte. etiam ponatur ſecũdum potentiam diuinam, ex quo eliciunt aliud correlarium, quod eſt punctum(& hoc argumentum eſt forte ſecundum ipſos)quod eſt , ſuperficies,& linea erunt idẽ:quia ex quo illæ quantitates non diſtinguũtur à ſubſtantia,& quæ ſunt eadem adinuicem, ſed differũt tantum ratione: quia appellatur profunditas , vt protenditur in trinam dimenſionem:vocatur ſuperficies, vt protẽditur in longitudinem, & latitudinem: vocatur linea, vt in longitudine tantum:punctum vero, vt caret omni dimenſione.& ſic omnia hæc re ſunt eadem; differunt tantum ratione. Adducunt rationem ingenioſam : quia omne accidẽs habet ſubiectum ſibi adęquatum, ſicut albedo habet ſubiectum ſibi adæquatũ, & extenſa eſt, modo ſi daretur ſuperficies diſtincta in profunditate,& linea à ſuperficie, nõ habebunt ſibi ſubiectum adæquatum:quia iſtorum accidentium ſubiectum eſt ſubſtantia, & talis ſubſtantia eſt omniquaque diuiſibilis , ſi ſuperficies eſſet diſtincta à profunditate: non habent ergo ſubiectum ſibi adæquatum. ſecundo ſcindatur aqua in cyatho:illæ partes erant continuæ ſuperficie:quia cõtinua ſunt ea, quorum vltima ſunt ſimul. ſcindamus aquam illam , ſuperficiemq́; quæ coniungebat illas duas aquas,tunc corrumpitur illa ſuperficies communis,& generantur duæ alię ſuperficies terminantes illas duas partes, ſi iſtæ quantitates ſint diſtinctæ à ſubſtantia , tunc corrumpetur illa ſuperficies communis ſine præuia alteratione:quia ſine caliditate , & frigiditate , & generabantur illæ duæ ſine præuia alteratione ; oppoſitũ tamen dixit Ariſtoteles quinto Phyſicorũ: quia generatio non fit, niſi ſit præuia alteratio. Hæc opinio, & ſi videatur ingenioſa, contra tamen Ariſtotelem eſt in prædicamẽtis, vbi dixit,quòd nulla ſubſtantia eſt quantitas , ita ſubſtantia non eſt per ſe diuiſibilis : & quantitas per ſe diuibilis: qualitas habet contrarium:quantitas caret contrario. dicunt iſti, ꝙ argumenta probant, quòd non ſint idem ratione, & ꝙ nõ ſint idem re:quia cum Ariſtoteles dicebat,ſubſtantia non eſt quantitas,ideo ratio ſubſtantiæ nõ eſt ratio quantitatis, ideo ſubſtantia non eſt diuiſibilis,id eſt ratio ſubſtantię non eſt diuiſibilis,& ſic de alijs; ſunt tamen idem re, ideo addo:quia Ariſtoteles dixit, ſi ſubſtantia, & quantitas ſunt duo, ſunt, quia ſubſtantia quanta habet partes . ſed hæc expoſitio eſt extorta.ſecundo,peccat fallacia cauſæ,quia ſi ex quantitate vult probare, quòd multa eſſent , ſuperflue accepiſſet ſubſtantiam ; quia quãtitas eſt multa: quia diuiſibilis in partes. etiam Ariſtoteles addit hoc argumentum infra , ſcilicet ꝙ quantum eſt diuiſibile in infinitum ſecũdo, & quarto Phy. plura corpora non poſſunt eſſe in eodem loco . ipſi ponunt plura corpora in eodem loco.dicunt ipſi, quòd duplex corpus.vnum eſt de prædicamento ſubſtantię: alterum de prędicamento quantitatis.dicunt, ꝙ Ariſtoteles plura corpora dicit non poſſe eſſe in eodem loco, ſcilicet corpora ſubſtantiæ ; ſed corpora de prædicamento quantitatis , vt illæ tres dimenſiones poſſunt eſſe in eodem loco . ſed non legerunt verba Ariſtotelis:quia dicit,corpus cubum facit diſtare partes aquæ:& dicit etiam vna pars cubi facit diſtare.ideo dixit,quòd quantitates ratione eius habent, quòd nõ poſſunt ſe penetrare, & non ſubſtantialia corpora: addo contra ipſos argumento Theologico: quia hoſtię conſecratæ poſſent ſe penetrare: quia ſecundum ipſos impoſsibilitas penetrandi oritur ex parte ſubſtantiæ, & in hoſtia nõ eſt ſubſtantia, vt ſcitis:ergo poterunt ſe penetrare.

LECTIO XXXIII.

ERAT dubitatio in verbis Ariſtotelis , vbi dixit,ſi ſubſtãtia, & quãtitas ſunt, plura ſunt, quæ ſunt.erat dubitatio, an quantitas diſtinguatur à ſubſtantia quanta: quia res extenſa eſt quãtitas, ideo dicebant nominales, quòd ſubſtantia non diſtinguebatur à re quanta: ſed ego argumẽtatus ſum cõtra hanc opinionem.primo ex Ariſtotele:quia dixit,ſi ſubſtantia,& quantitas ſunt, plura ſunt:& confutaui reſponſionem eorum ſecundo ex verbis Ariſtotelis ex quarto Phyſi.quòd duæ quantitates de prædicamento quãtitatis non poſſunt ſe penetrare:quia dixit, ſi quãtitates abſtrahunt à materia ſenſibili,faciunt diſtare,& ſic quantitas, quà quantitas non poteſt penetrare.tertio aduerſus dictum eorum:quia dicunt, quòd punctum eſt diuiſibile : quia eſt idem cum ſuperficie linea, & profunditate:ergo punctum erit diuiſibile omniquaque: & ipſi concedunt; ſed appellatur pũctum, vt caret diuiſibilitate;ſed idem,ſunt re.primo, contra dictum iſtorum:quia ex ſuppoſitione Euclidis punctũ eſt cuius pars non eſt , ſi eſſet idem cum profunditate, eſſet ergo diuiſibile.ſecundo, ſexto huius probat, quòd continũ non componatur ex indiuiſibilibus , eſſet vana diſputatio, ſi indiuiſibilia non eſſent, vt ipſi ſuponũt, & dicunt, quòd non dantur indiuiſibilia in re: fruſtra ergo eſſet inquiſitio, & diſputatio Ariſtotelis ſecundo Phyſi.quarto , ex indiuiſibilibus componeretur linea, & duo puncta eſſent immediate in eadem linea:quia,ſi linea non eſt aliud,quàm punctum,& vt non vltra protenditur,appellatur punctum,a concipiantur duæ medietates lineæ, vt non vltra protenduntur illæ medietates , erunt tunc duo puncta , & ſe contangent , cuius oppoſitum dixit Ariſtoteles.8.Phyſi.ꝙ duo puncta non ſe poſſunt contangere, & lineam componi ex punctis, & ſuperficiem ex linea. ideo eſt ſecunda opinio, quòd tantum vna eſt quantitas in materia , re diſtincta à materia: & ita tantum eſt vna quantitas in cõpoſito, per quam ſubſtantia eſt quanta : & alia accidentia ſunt quanta per accidens. huius eſt Themiſtius, hic, & quarto Phyſic.in digreſsione contra Galenum dicit,eſſentia aquæ diuerſa eſt à quantitate:& Alexander in ſua Paraphraſi,ꝙ materia,& forma non diſtinguuntur à ſuis dimenſionibus : diſtinguuntur tamen ſecundum Ariſtotelem.ideo ad argumenta eorum.primo, cum dicit,materia eſt dimenſio, debemus exponere,id eſt capax dimenſionis:& ſic eſt dimenſio potentia.de ſecũdo, quia nulla neceſsitas eſt ponendi quantitatẽ diſtinctam à ſubſtantia.falſum eſt, probatur: quia per Dei potẽtiam, vel

per intellectum ſupponatur, & auferatur quantitas Socratis, & nullus motus localis interueniat, ipſo conſeruato in eſſe, partes diſtinguuntur poſitione: quia ſi non veniet motus localis, Dico, quòd multipliciter peccat. primo, cum dici, auferatur quantitas à ſubiecto interueniente motu locali. Dico, quòd hoc eſt impoſsibile, nec per potentiam diuinam: quia implicat contradictionem, vnde diſputant Theologi: quia Guielmus Occam ponit in ſacramento, vbi pes, ibi manus. alij Theologi aduerſus ipſum arguunt & maxime Scotus, quarto ſententiarum, quia cuilibet viuenti datur propria figura: ergo propria quantitas: quia figura non eſt, niſi illa extenſio, quę eſt quantitas: & ſic partes ſunt diſtinctæ. etiam repugnant imaginationi, adimamus imaginationem; tamen falſum eſt, quòd partes diſtinguantur loco, & poſitione. dices, nullus interuenit motus localis. verum eſt: ergo ita remanent partes. nego: quia auferuntur partes: quia partes, vt dixit Themiſtius, ſunt partes per quantitatem. etiam ita ad aliud: quia remanet ſubſtantia cerebri, & cordis, quæ ſunt partes diſtinctæ, Dico, ꝙ non ſunt partes: quia ſi auferatur quantitas, tollitur ratio partium. ideo non remanent diſtinctæ partes; bene remanet ſubſtantia earum partium. De alio, quia pars nõ eſſet inferior toto. falſum eſt, quia ſi auferatur quantitas à digito, tũc non erit minor toto. concedo in iſto caſu; ſed non eſt amplius pars ipſe digitus. ideo nõ tollitur illa dignitas, ꝙ totum ſit maius ſua parte, pars enim eſt pars per quantitatem. Ad rationem correlarij; quia accidens debet habere ſubiectum adæquatum: quia ſi linea & punctum, non ſunt omniquaque diuiſibilia, quo modo habebunt ſubiectum adęquatum. nos ponimus infinitas lineas diſtĩctas à ſuperficie, in ſuperficie: quia omnis pars ſubſtantiæ eſt omniquaque. Dicetis, ꝙ non eſt verum, ꝙ omne accidens habet ſubiectum adæquatum. Ad aliud dico, cum diuidimus partes aquæ, ſuperficies, quę cõtinuebat, corrumpitur, & generatur: duæ nouæ generantur etiam ſine alteratione. verum eſt, at Ariſtoteles dixit, quòd generatio non eſt ſine alteratione. verum eſt, de generatione corporis ſubſtantialis, hic interuenit corruptio ſuperficiei per accidens: & ita generatio per accidens. Ad aliud cũ dicis, ſeparantur omnia puncta à linea, tunc autem remanebit continuum in linea, aut non: ſi non, ergo continuũ componetur ex non continuo; ſi autem ſic, & nõ per punctum, non eſt continuum: quia iam ablatum: ergo punctum non diſtinguitur à linea, quia remanẽt partes continuæ. caſus eſt impoſsibilis: quia in omni linea ſunt infinita puncta, ſi ſepararentur à linea amplius non erit linea: quia linea, vt linea includit puncta. ideo nec per potentiam diuinam poſſunt ſeparari puncta à linea. Erat dubitatio de partibus, prima an pars, & totum ſint vnum & idem. Dico, quòd 6. Topicorũ ſoluit Ariſtoteles: quia totum, & pars ſunt idem, hoc pacto, quia totum eſt idem parti ſecundum illam partem, & diuerſam ab illa: ſecundum aliam, vt homo eſt idem manui dextræ, ſecundum manum dextram, & diuerſum à manu ſiniſtra ſecũdum dextram, ita totum eſt idem parti ſecundum illam partem, & diuerſum ſecundum aliam partem. Quęrebat ſecundo quid de toto reſpectu omnium partium, an totum diſtinguatur à ſuis partibus. Dico, aut totum diſtinguitur à partibus collectiue ſumptis, & eſt dubitatio de toto integrali, & de toto eſſentiali. de toto eſſentiali Auicenna dicit, ꝙ totum eſt diſtinctum à partibus: idem Scotus ſecunda diſtinctione tertia quæſtione ſecunda: idem. 43. 4. quæſt. prima & diuus Thomas tertio ſententiarum dicunt, an humanitas diſtinguatur à partibus, ſcilicet ab anima, & corpore. Scotus dixit, ꝙ diſtinguitur re, & tamẽ indiſtinctis partibus, & hoc loco ideo dicũt, ꝙ verbum aſſumpſit, id eſt hanc tertiam entitatem, & ſi dicas, perit dictũ Athanaſij, quod aſſumpſit verbum nũquam dimiſit: quia illam humanitatem, quæ eſt tertia entitas, aſſumpſit, & dimiſit, cũm ſeparata fuit anima à corpore: quia humanitas oritur ex anima informante corpus. diuus Thomas dicit, ꝙ illud dictum non eſt verum vniuerſaliter, ſed tantum de partibus eſſentialibus, ſcilicet de anima, & corpore. vel dicunt, ꝙ non dimiſit humanitatem: quia in diſſolutione eius porij humanitas. ideo non dimiſit: quia dimittere, eſt relinquere aliquid. ita dicunt de toto integrali, quòd linea bipedalis diſtinguitur à ſuis partibus: quia vltra ſuas partes includit puncta. alij dicunt. quòd includit tertiam entitatem diſtinctam à ſuis partibus, & pro hac opinione ſunt rationes, & auctoritates. primo eſt auctoritas Ariſtotelis quinto Metaphyſices, vbi dixit numerũ ſenarium non eſſe bis, ter. &c. ſeptimo Metaphyſices dixit, ꝙ ſyllaba ab non eſt à & b. etiam ex Auerroe tertio de anima quinto dicit, ꝙ ex intellectu & intelligibili non componitur tertium ſicut ex materia & forma componitur tertium. ergo vltra partes ſimul collectas totum dicit tertiam entitatem. ſunt rationes: quia illa diſtinguntur, quæ conuenit vni & non altero; ſed aliqua conueniunt toto, quæ non partibus ſimul collectis, non autem toto: quia partes ſimul collectę, componũt totum, totum vero non cõponit ſeipſum, & pluralitas competit partibus non toto: quia totũ eſt vnum, ideo toto cõuenit vnitas, & non pluralitas. ſecundo, quia, ſi non ſit tertia entitas in compoſito, tunc ſi componatur Socrates, non erit corruptio ſubſtantialis; quia remanet materia: remanet anima, quæ eſt immortalis: ergo debet corrumpi aliquid, & tale non eſt niſi tertia entitas diſtincta à ſuis partibus ſimul collectis. ſequeretur, quòd totum compoſitum duplici quantitate eſſet quãtum, duplici quantitate eſſe quale. hoc volo dicere, quia ſi in ſubſtantia ignis ſit, tertia entitas erit duplex quantitas: quia vna materia & forma: altera tertia entitas erit. duplex caliditas, vna materiæ, altera entitatis: quia eſt res naturalis, ideo debet habere qualitatem, & quantitatem. etiam idem moueretur motibus diuerſis: quia moueretur motu materiæ, ſcilicet ſurſum, ſi materia ſit leuis, & ad motum eius moueretur tertia entitas. trahit enim ſecum tertiam entitatem: ergo moueret duobus motibus, ſcilicet motu materię & tertię entitatis, quod eſt abſurdum ſine neceſsitate multiplicare motum, etiam ſi totum integrale diceret tertiam entitatem, ſequeretur, quòd plumbum eſſet grauius, quàm partes diſgregatæ: quia, cum illæ partes ſint vnitæ, cauſant tertium, quòd eſt ſubſtantia: quia partes plumbi ſunt ſubſtantiæ, & illa ſubſtantia nõ eſt ſimplex: ergo compoſita: non ergo leuis, quia cauſatur ex grauibus: ergo grauis: ergo partes vnitæ eſſent grauiores duplici grauitate, & grauitate partium, & grauitate tertiæ entitatis; quod tamẽ apparet falſum: quia tot ponderis ſunt partes ſegregatæ, quot vnitæ. ideo dico, quod totum non diſtiguitur à ſuis partibus vnitis debite, ſiue ſit totum eſſentiale, ſiue integrale. ideo, quia linea includit partes vnitas. ideo includit puncta continuantia. ad rationes ergo eorum, ad primam auctoritatem dico, quòd tota eſſentia ſenarij non eſt perfecte in bis ternario, & illę partes non recte prædicantur de ſenario; ſenarius tamen eſt bis ter, tamen bis ter non prædicatur eſſentialiter de ſenario: quia eſt prædicatio, quaſi idem de eodem, ideo tota eſſentia ſenarij non eſt perfecte in tripliciter bis; ſenarius tamen eſt idem, quod tripliciter bis. de ſecunda auctoritate dico, ꝙ Ariſtoteles ſe exponit. & dicit, ꝙ ſicut caro, nec eſt ignis, & & aqua; ſed eſt aliquando aliud, quia includit formam, ita ſyllaba ab non eſt a & b: quia a & b dicunt materiam. b autem

tem includit vltra materiam,& formam, quæ eſt ordo i larum literarum:& ſic argumentum nullum: quia Ariſtoteles non ſumit omnes partes ſimul,ſed rantum materialem. Ad Auerroem nō fit vnum ex intellectu,& intelligibili ſicut ex materia, & forma. Dico, quòd habet multas expoſitiones, quòd ex intellectu, & intelligibili non fit vnum per ſe,quod habeat proprium motum, ſicut ex materia, & forma fit vnum per ſe,quod habeat principium motus in ſe,nō quod totum dicat tertiam entitatem à partibus.ad rationes dico,ꝙ falſum eſt,quòd aliquid dicatur de toto, quod non dicatur à partibus ſimul ſumptis. Contra. partes compon ūt totum,falſum eſt,ſed partes diſiunctæ componunt totum: quia ſimul collectæ ſunt ipſum totum.cum dicis, totum dicat vnum, partes collectiuæ dicunt multa, falſum eſt: quia illæ partes ſunt vnum, ſed eſt fallacia: quia apparent multas quia videntur accipi diſiunctè,& illæ partes ſunt multæ potentia,vnum actu,ſicut totum eſt vnum actu, plura potentia: de alio cum quæris, corrupto Socrate non fit corruptio ſubſtantialis animalis, falſum eſt: quia corrumpitur ſenſitiua. ſunt enim in homine duæ animæ re diſtinctæ,ſcilicet ſenſitiua,& rationalis.ideo tertio Ethicorū dixit, duæ ſunt animæ in homine:ipſi dicunt,duæ potentiæ: nos dicimus,duæ animæ:& eſt opinio omnium græcorum,quia intellectiua non poteſt vti organo ſenſus, ideo diſtinguitur à ſenſitiua; non tamen vegetatiua re diſtinguitur à ſenſitiua: quia ſenſitiua poteſt vti organo vegetatiuæ.ſed dicetis,quid dicemus ſecundum Theologos, qui ponunt tantam vnam animam in homine, præter Occā, qui poſuit tres animas: quia corrupto Socrate non eſt corruptio ſubſtantialis. falſum eſt.contra.nec corrūpitur nec materia,nec anima eius, verum. Dico, non eſt corruptio ſubſtantialis. falſum, quia corrumpitur illa vnio partium. contra, remanent illæ partes.verum, diſiunctiuè; collectiuè tamen corrumpitur.

LECTIO XXXIIII.

QVIA ex triplici diuiſione vnius diſtinxit vnum in tria ſignificata, vnum continuitate, vnum in diuiſione, vnum ratione, & ex quolibet ſequitur vnum eſſe, & multa: quia videbatur impoſsibile antiquis eſſe vnum, & multa:hoc dictum turbauit non tantum antiquos,ſed etiam ipſos iuniores: quia, cum vnum ſit indiuidua ſubſtantia, multa accidentibus, ideo videtur aliquid vnum eſſe, & multa ex vnaquaque ſignificatione probatur; quia vnum in diuiſione,cum ſit terminus,claudit partes:ergo vnum & multa.& vnum ratione erit multa ſecūdum nomen, vt tunica,veſtis: vnum ratione includit genus, & differentiam:ergo plura ſunt.etiam non tantum ex vnaquaque ſignificatione vnius;ſed etiam, quia ſubſtantia eſt vna ſubiecto,multa accidentibus.ideo ſequitur,quòd vnum ſit idem, & multa. ideo hoc excitauit omnes antiquos, quomodo idem vnum ſit,& multa.ideo, vt fugerent hoc, quidam dixerunt, auferendum eſſe verbum ſubſtantiuum: quia tale verbū ſignificat multa,ſcilicet ſubiectum,& prædicatum.ideo non dicebat, homo eſt albus, ſed homo albus.alij, inquit Ariſtoteles, non ſuſtulerunt verbum, ſed permutabant prædicatum, quod erat nomen, in verbum adiectiuum, ideo hoc huius,quòd eſt homo albus,dicebant,homo albeſcit.alij dicebāt,quòd nihil prædicatur de indiuidua ſubſtantia.ideo albus non poteſt prædicari de homine. ſed omnes iſti modi patiuntur difficultatem propriam: quia primus modus aufert ſubſtantiuum verbum,ne ſignificetur multitudo:& ſic idem eſſet homo albus,& homo: quia homo albus dicit vnum tātum,ſicut homo,quia multitudo eſt reſpectu ſubſtantialis verbi.etiam opinio,quæ permutat prædicatum in verbum adiectiuum,reſoluitur in ſubſtantiuum,& prædicatum,& denotat multitudinem.tertia opinio habet hoc argumentū,quia accidens,ex quo eſt ens,prædicatur de ſubſtantia:quia non eſt ens non prædicatur. cōmune argumentum omnibus dicit Simplicius: quia ipſi auferūt perfectam ſpeciem interpretationis,quæ eſt enunciatio, dicit Ariſtoteles,omnibus quæ argumentum commune eſt; quia ſicut dicimus,quòd conati ſunt euadere,quòd vnum ſit,& multa,ſed non poterunt euadere,ꝙ vnum ſit actu, & multa potentia.& dicit Ariſtoteles,quòd hoc verū eſt: quia hæc non opponuntur bene,nō poteſt eſſe vnum actu,& multa actu, nec vnum potentia,& multa potentia, Dicebat Simplicius, quòd ſi poterat aduerſus Parmenidem demonſtrare, quòd ſi vnum continuum ſit, multa entia ſunt in vniuerſo: cur ergo laborauit,dum oſtendit ens prædicari de multis,& vnū multa ſignificare. ſecundo dicit, quòd non eſt abſurdum, quòd idem vnum ſit actu, & multa potentia. cur non conſentit Platonis reſponſioni in Philebo,vbi cōtra omnes arguebat,& dicebat,neceſſe eos fateri, quod ſit vnum,& multa,non vnum actu,& multa potentia;ſed vnum re,& multa permixtione,vt color eſt vnus; eſt tamen multa permixtione,vt de continuo eſt vnum re, & multa ſecundum partes.de primo dicit Simplicius,ꝙ & ſi illa via ſit ſufficiēs;tamen quia vnum habebat plura ſignificata. ideo voluit vti omnibus illis probationibus, vt oſtenderet, quod ex vnoquoque ſignificato ſequitur,ꝙ eos non ſit vnum, ſed multa.de ſecundo poterat tenere reſponſionē Platonis, ſed declarat illa verba; quia vnum participat ratione vnius actu, participat ratione multitudinis in potentia. ideo illi conſentit.hoc igitur modo dicentibus, vt perfecte diſputaret contra antiquos, nedum reiecit opinionem, ſed etiam eorum argumenta ſoluit. ideo repetit verba, quæ ſupra dixit:& ſi non difficile ſit ſoluere rationes eorum; tamen opinio Meliſsi eſt magis onerosa,& vtræq; rationes peccant & in materia,quia aſſumunt falſa:& in forma, quod eſt magis vitiū: quia non arguit in modo;magis tamen oneroſa eſt illa Meliſsi:quia non adducit audientibus dubitationem:& primo explicat rationem Meliſsi,quæ eſt hæc,ſi Platoni credimus in Parmenide ens ipſum, non eſt factum, nec interiturum eſt,ſi non eſt factum,ſemper fuit;ſi non interiturum eſt:ergo ſemper erit:ergo infinitum:quia caret principio,& fine. quòd non ſit interiturum probat, quia non eſt factum:quia ex primo cœli,quod nō habet ortum, nec eſt interiturum. quòd non ſit factum,probat,quia ſi eſt factum vel ex ente, vel non ente, ſi ex non ente, hoc eſt contra omnes philoſophos:quia ex nihilo nihil fit,quia agens naturale præſupponit potentiam.nec ex ente:quia eſſet, antequam factum eſſet:quia ex quo eſt principium,eſt,ex quo generatur nō eſt, ſecundo probat,quia ſi eſt factum habet principium;ſi non factum:ergo non habet principium; ſed ens nō eſt factum: ergo non habet principium:ergo nec finem. vltimo, ſi infinitum,ergo vnum,& immobile: quia occupat omnem locum: ergo eſt immobile: oſtendat ergo, quomodo peccat tum in materia,tum in forma.in forma quia arguitur à cōditionali ab oppoſito antecedentis ad oppoſitū conſequentis;quia dicit,ſi non eſt factum, eſt infinitum; ſed non eſt factum:ergo infinitū:quia non valet,hoc eſt homo:ergo animal;ſi non eſt homo:ergo non animal:quia nō valet ab oppoſito antecedentis ad oppoſitum conſequentis; ſed debemus arguere ab oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis.peccat ſecūdo in materia:quia aſſumit falſas propoſitiones;ſed ratio hæc eſt trūcata.ideo explicabo,vt Io-

nes,& vult oſtendere,quòd ambæ ſint falſæ, vel vna illarũ. ad hoc oſtendendum ita procedit Ariſtoteles, quia quinto Metaphyſices hoc nomen principium habet multa ſignificata: & dicit Simplicius habet quatuor ſignificata. primũ eſt pro omni genere cauſæ, ſicut in primo textu huius accepit principium.ſecundo, accipitur pro principio temporis.tertio,pro principio generationis,id eſt rei, & principiũ rei eſt cum res cito abſoluitur, vt cor in animali cito generatur,ſcilicet citius abſoluitur,quàm alia pars:quia generatio partium ſimul incipit. principiũ rei & generationis eſt, ſicut in plantis radix,vel medium inter radices & partes.vt de cauſa longitudinis,& breuitatis vitę dixit Ariſtoteles,& Galenus.6.de placitis Hippocratis & Platonis.quarto,accipitur principium pro principio magnitudinis, vt punctum reſpectu lineæ,& linea reſpectu ſuperficiei. interrogat modo,quomodo intelligant principium, & deſtruit Ariſtoteles duos modos breuitati ſtudens,vt mos eius eſt,ſi intelligant principium,cauſas,& maxime internas, vera erit prima expoſitio,quod eſt factum,habet principium,quia ſubſtantia habet cauſas. habet enim materiam, & formam;ſed alia non eſt vera , quod non eſt factum, non habet cauſas: quia cœlum non eſt factum, & habet materiam, & formá. ideo non ſequitur, non eſt factum : ergo non habet principium;ſi vero accipiũt principium pro principio temporis, vtraque conditionalis eſt vera: quia vera eſt iſta,quòd eſt factum,habet principium temporis:& etiam quod non eſt factum, non habet principium temporis. cum poſtea infert, ergo infinitum erit ens , non valet.cœlum enim non habet principium temporis;& tamen non eſt infinitum,ſed finitum,vt primo cœli móſtrauit Ariſtoteles,ſi dicamus,quòd Meliſſus intelligat de principio rerũ, quod Ariſtoteles appellat principium generationis,litera hæc eſt difficilis.dicit hic Ariſtoteles ꝙ partim erit vera illa propoſitio , & partim falſa,ſcilicet quod eſt factum, habet principium generationis,id eſt habet partem, quæ primo generatur:quia duplex eſt generatio,vna ſimpliciter, & eſt ſubſtantiæ talis generatio perfecta:quia ſubſtantia ſeorſum exiſtit.accidentiũ vero generatio compoſita eſt:quia accidentia, ex quo ineſſe habent, ideo non dicuntur generari: quia non dicitur, ꝙ albedo generetur;ſed dicitur,ꝙ albus generatur, dicit modo,ꝙ cum dicit,quòd eſt factum,habet vnã partem primo genitam, verum eſt in ſubſtantia : in accidentibus non eſt verum:quia eſt aliqua alteratio aquæ,quæ non eſt ſic:quia aqua ſecundum omnes ſui partes congelatur, vt dixit Ariſtoteles.6.Phyſi.& in libro de ſenſu & ſenſato ; & ſicut dicit Ioannes,& de congelatione lactis:quia omnes eius partes congelantur, ſicut ſol nos calefacit ſecundũ omnes partes.ſi quarto modo de principio magnitudinis, hoc omiſit Ariſtoteles,& etiam primum membrũ; ſi ergo dicat, ſi ens eſt factum,habet principiũ magnitudinis, vera eſt:quia infinitum non poteſt fieri:quia caret principio; ſed alia conditionalis eſt falſa: ſi vero non eſt factũ , non habet principium:quia ſol,& luna non ſunt facta;tamen ſunt finita,ideo habent principium, & finem: & ſic ex vnaquaq; ſignificatione principij confutat rationem Meliſsi,

LECTIO XXXV.

SVPER lectione heſterna ſunt dubitationes.prima Simplicij: quia Ariſtoteles dixit quòd omne,quod eſt factum,habet principium ſui:habet partem primogenitam.vera eſt propoſitio,dicebat Ariſtoteles, ſi loquatur de generatione ſubſtantiali: quia ſubſtantia habet partem primo factam . non autem eſt vera de generatione accidentali.dicebat, quòd Ariſtoteles quinto Phy.diſtinguit inter motum,& mutationẽ:quia motus fit in tempore, mutatio in inſtanti.alteratio eſt motus:ergo fit in tẽpore:quomodo ergo dicit,eſt alteratio,quæ fit momentanea. ſecundo dicit, quòd in ſubſtantijs eſt prima pars facta : & ſi hoc ſit verum in animalibus, & plãtis:quia prima pars,quę abſoluitur in animali eſt cor,licet hoc etiam habeat dubitationem . & Theophraſtus.6.de generatione plantarum contradicit Ariſtoteli,licet etiam ſit ita in animalibus,& plantis;non videtur tamen verum in partibus homogeneis:quia illæ partes ſunt eiuſdem rationis: quia non videtur, ꝙ pars vna carnis primo generetur,cũ quęlibet pars carnis ſit eiuſdem rationis.tertia dubitatio ex Ioanne:quia Meliſſus non eſt vſus ſyllogiſmo,ſed accepit ens eſſe vnum, & immobile ſuppoſitione :quomodo ergo dicit Ariſtoteles, quòd ratio Meliſsi peccat in materia,& forma,cum non ſit vſus forma arguendi.& quarto ex Simplicio,& quomodo,cũ Meliſſus ſit ſapiens facile reſpondebit argumentis Ariſtotelis, cum ſuppoſuit ens,quod eſt immobile, & infinitum,poſuit primam ſubſtãtiam intellectualem eſſe talem. vnde duplex ens,vnum perfecte,& intellectuale:alterum ſenſuale, quod improprie eſt ens . intellectuale eſt prima ſubſtantia, & eſt vna, vt dicit Ariſtoteles in ſecundo Metaphyſices, vbi dicit entia nolunt male diſponi : ergo vna prima ſubſtantia, dixit illudens eſſe immobile quocunque motu & per ſe,& per accidens, vt etiam poſuit Ariſtoteles octauo Phyſicorum primam cauſam eſſe omnino immobilem,poſuit infinitum & dupliciter exponit. vno modo, quòd eſt infinitũ duratione,& hoc etiam vult Ariſtoteles:alio modo infinitum in magnitudine infinita : quia magnitudinis finitæ,& eſt potentia finita octauo Phyſicorum;ſed non eſt verum, quod hic dicit Simplicius, vt dicemus, ita facile reſpondebit ad argumentum quod eſt factum,habet principium magnitudinis,& temporis:quia in tempore finito eſt,& in magnitudine finita ; cum autem dicit Ariſtoteles quòd alia eſt falſa,ſcilicet quod non eſt factum, non habet principiũ magnitudinis: quia ſtellæ non ſunt factæ, & habent principiũ magnitudinis, & ſi non temporis negabit Meliſſus, ꝙ ſtellę non ſint factæ : quia omnia ſunt facta præter primam cauſam;non tamen ſunt factæ in tempore, ſed ab æterno:ergo argumentum nullum Ariſtotelis contra Meliſſum. De primo cum dicis falſum eſt , quòd aliqua alteratio non fit in tempore :dicit Simplicius ex Porphyrio, quòd reuera eſt aliqua alteratio in inſtanti, vt illuminatio: et ſi eſt ſucceſsiue, eſt per accidens;& illuminatio fit ſubito:quia caret contrario in actu. habet enim priuationem luminis, quæ tantum priuatiue eſt contraria , ſubito non fit caliditas : quia habet contrarium.ideo non poteſt fieri ſubito,obijcit Simplicius Porphyrio:quia motus eſt in tempore: alteratio eſt motus: ergo in tempore.cum dicit Porphyrius, illuminatio eſt ſubita: verũ:ſed,illuminatio eſt alteratio,falſum eſt. Sed Ariſtoteles appellauit alterationẽ.Dico, quòd improprie:quia, vt ſecundo de anima dixit, alteratio eſt aliqua propria, quæ eſt cum corruptione contrarij:aliqua improprie eſt alteratio,ideo in inſtanti poteſt fieri.Ioãnes dicit,& Simplicius quòd alterationem ſubitã eſſe contingit bifariam, vel quòd ſit aliqua alteratio ſubita,id eſt in inſtanti, & ſic nulla alteratio proprie dicta fit in inſtanti : quia eſt motus, & motus non ſit in inſtanti:alio modo poteſt dici alteratio momentanea quoad partes ſubiecti : quia fit ſimul ſecundum omnes partes ſui, ita ſol calefacit hominẽ ſecundum ſui partes omnes.aliqua enim alteratio fit in tempore, & etiã quo ad partes ſubiecti, vt ſi ignis calefacerit nos, prius calefaceret ae-

rem

rem: deinde partem propinquiorem; & ſic ſucceſſione aliqua: tamẽ alteratio dicitur fieri ſubita, quoad omnes ſui partes ſubiecti. & hoc exemplum aſſumpſit Ariſtoteles octauo Phy. 23, vbi dicit, ſi alterabile eſt diuiſibile, alteratio tamen nõ debet eſſe diuiſibilis: idem ſexto Phyſicorum ideo errabat Meliſſus: quia in ſubſtantia primo generatur vna pars: quia omnes partes poſſunt alterari ſimul, vt dixit de coagulatione lactis, & congelatione aquæ. Secundo, quia illud eſt diuerſę rationis à ſui partibus in homogeneis videtur dubitatio: quia omnes partes ſunt eiuſdẽ rationis. ideo non videtur quod vna pars prius generatur, de hac dubitatione dicebamus: quia dubitarunt Latini in minimum datur in rebus naturalibus. Latini dicunt, quòd heterogenis dicitur, quia datur minimus homo, & minima planta, in homogeneis non datur minimum. dixit D. Thomas, vnde non datur minima caro, & minimus neruus. ſed nos dicemus infra, an in omnibus rebus naturalibus detur minimum: & dicemus, quòd ſic. & nedum in ſubſtantia diſsimilari: ſed etiã in ſimilari & accidentibus. & contra diuum Thomam eſt dictum Ariſtotelis hic, in quo dicit, quòd in ſubſtantia primo abſoluitur prima pars, quę prima eſt, & dixit in quacũque ſubſtantia. De tertio, quia Meliſſus non eſt vſus hoc argumento; ſed accepit ex ſuppoſitione, quòd ens ſit vnum immobile, & infinitum: quomodo ergo Ariſtoteles dicit, ꝙ ſyllogiſmus eius peccat in forma. dicit Ioãnes quòd fuerũt duæ opiniones. alij enim dixerunt, ꝙ accepit illud ex ſuppoſitione: alij, ꝙ vſus eſt ſyllogiſmo. & Ariſtoteles huic opinioni videtur adhærere: & ideo dicit, ꝙ eius ſyllogiſmus peccat. De quarto dicit Simplicius, quòd reuera argumentum Ariſtotelis eſt tantum contra ſuperficiem verborum: & hoc facit, vt inquit Simplicius, quia mos erat apud antiquos contradicere verbis, ne illa eſſent cauſa errãdi alijs; dicit tamen vnum Simplicius, quòd eſt falſum: quia dicit, quòd Ariſtoteles poſuit primam cauſam infinitam, quoad durationem, & etiam poſuit infinitam quo ad magnitudinem: quia in corpore finito eſt finita potẽtia; ſed errat Simplicius: quia Ariſtoteles nullibi poſuit infinitũ in actu, vnde primo cœleſtium, & ſecundo probauit cœlum eſſe finitum, quia animatum. omne enim animatum eſt terminatum: nec poſuit quantitatem in actu infinitam, bene in potentia. & octauo Phyſicorum dixit, ꝙ potentia cauſę non eſt infiniti vigoris: quia moueret cœlum in inſtanti, nec argumentum ſuum cogit: quia dicit ex octauo Phyſicorum finitæ magnitudinis eſt finitæ potentię: ſic ergo cœlum, cui adeſt prima cauſa, eſſet finitę magnitudinis: & ipſa eſſet finita finitæ durationis. oppoſitum dixit Ariſtoteles octauo Phyſicorum. Dico, quòd corpus finitæ magnitudinis, & finitæ potentiæ per ſe: & ſic cœlum ex ſe eſt finitæ potentiæ; ſed habet infinitatem ex ſua prima cauſa, id eſt ſua forma. perpetuo enim mouetur à ſui forma. ideo ſtat, ꝙ cœlum ſit magnitudinis finitę, & durationis infinitæ. Dicit autẽ Simplicius ꝙ Ariſtoteles. breuitate ſua ſæpe reddit interpretes ancipites. Secundũ igitur Alexandrum obijcit rationi Meliſsi: quia dicit illud infinitum non poteſt moueri in loco, nec in vacuo. primo dicit non ſequitur: non poteſt moueri nec per plenum, nec per vacuum: ergo non poteſt moueri: quia aqua ſi circundatur, remanet in eodẽ loco, & non mutat locum, & non mouetur nec in loco, nec in vacuo, ſicuti cœlum quieſcit in eodem loco, & mouetur nec per vacuũ, nec per plenum; ſed tantum mouetur, vt partes ſibi ſuccedunt. vel dicas, quòd illud ens, & ſi non moueatur motu locali nec in vacuo, nec in pleno; mouetur tamen motu alterationis, & non mutat locum. ſed Simplicius Alexandro obijcit, & citat Parmenidem, & dicit, quòd illud eſt immobile quocunque motu; ſed dicit, quòd eſt immobile: quia eſt ſimile, & ſic nedum motu locali non poteſt moueri; ſed nec aliqua alia ſpecie motus: non ergo illa eſt ratio, ꝙ ens ſit immobile: quia non mouetur nec in vacuo, nec in pleno; ſed quia perpetuo ſibi ſimile in eodem etiam loco permanens, & ſic etiam Ariſtoteles poſuit primam cauſam eſſe omnino immobilẽ: quia ſi eſſet mobilis aliqua ſpecie motus diſſolueretur. ideo Ariſtoteles reiecit tertio hãc rationẽ: quia dicit ꝙ eſt immobile: quia eſt ſibi ipſi ſimili permanens in eodem loco, dicit Ariſtoteles aqua eſt ſibi ſimilis in eodem loco; tamen mouetur in vaſe. ideo ratio Meliſsi nulla; ſed dicetis, quæ differentia eſt inter aquam, & illud ens immobile? quia aqua eſt ſenſibilis, & corruptibilis: illud ens immobile eſt intellectuale. ideo eſt immobile quocũq; motu. Dicetis, vt dixit, ꝙ Ariſtoteles tantũ ſuperficiẽ reprehendit.

LECTIO XXXVI.

ERAT ſecunda dubitatio Ioannis ſuper textu prælecto: quia ĩquit Ariſtoteles, quòd illud ens immobile, quod poſuit Meliſſus, & ſi non mouetur motu locali, quid prohibet, quin moueatur motu alterationis. ita videtur dicere, ꝙ infinitum, ſi ſit immobile motu locali: quia infinitum occupat omnia. ideo non poteſt moueri etiam quo ad alterationem: quia alteratio fit ab extrinſeco: & cum infinitum nihil extrinſecũ ſibi compatiatur, cum omnia occupat, quid ergo dicit, etſi infinitum non mouetur motu locali, quid prohibet, quòd non moueatur motu alterationis, cum nec alterari poſsit. Addo ego: quia ſi infinitum, tunc poſſet alterari vt vel ab infinita, vel à finito. ab infinito, non quia dico infinita, non poſſunt dari nec à finito: quia à minori non peruenit actio, vt dixit Ariſto. tertio Phyſicorum. ſecundo, quia ſibi contradicit: quia ſexto huius dixit, omne mobile eſt mobile motu locali. ideo dixit, motus localis eſt primus 8. Phyſicorum. ideo ſexto huius probauit, ꝙ mobile omne ſit diuiſibile: quia dicit, omne mobile eſt localiter mobile: quod eſt localiter mobile eſt diuiſibile: quia habet partes à termino à quo, & ad terminũ ad quẽ. ideo diuiſibile: quomodo ergo hic dicit, ꝙ ſi infinitum non ſit mobile motu locali, quid prohibet moueri alteratione: quia alterabile præſupponit motum localem. de primo dicit Ioannes, quòd reuera infinitum non eſt mobile aliquo motu: quia non cõpetit ſibi extrinſecum. & dicit, quòd Ariſtoteles non dicit, ꝙ infinitum ſit mobile, ſed oſtendit ex ratione rationẽ Meliſsi eſſe falſam: quia dicebat, ſi illud ens infinitum moueretur vel in loco, vel in vacuo moueretur, ſed in neutro: ergo dicit Ariſtot. non eſt falſa: quia aliquod mouetur, quod nec in loco, nec in vacuo mouetur: quia aqua in vaſe permanens eadem circumuoluitur, & mouetur; & tamẽ nec in loco, nec in vacuo. ſecũdo dicit, etſi nõ poteſt illa ratione moueri motu locali, quid prohibet, quin moueatur motu alterationis. non enim ipſe dicit, quòd alteratio non præſupponit motum localem; ſed dicit, ꝙ ex ratione Meliſsi non ſequitur. quòd, ſi ſit immobile illud ens motu locali, quod etiam ſit immobile motu alterationis. ideo dicit, quid prohibet ex illa ratione, quod motu alterationis moueatur. de ſecundo, quia ſibi contradicit: quia hic dicit, ꝙ alteratio poteſt eſſe ſine motu locali octauo Phyſicorum dixit oppoſitum: quia probauit, quòd motus localis eſt primus omniũ motuum. Dico, quòd Ariſtoteles hic loquitur ad hominẽ: quia oſtẽdit, quòd ex ſui ratione motus localis eſt primus, vt octauo Phyſicorum dixit, & alteratio, & actio præſupponunt localem motum. tertia dubitatio Latinorum nũquid

vna pars continui alicuius quieſcere poſsit, alia moueri motu locali: quia de motu auctionis, & alterationis eſt manifeſtum: quia vna pars aquæ poteſt calefieri; tamen altera non calefiet. ita aliqua pars viuentis poteſt augeri, & altera non augetur ex impedimento. eſt altera dubitatio de motu locali, an motu locali aliqua continua pars moueri poſsit. & Ariſtoteles videtur dicere, ꝙ ſic hoc in loco, tamen quinto Metaphyſices dicit, ꝙ continuum eſt illud, cuius motus eſt vnus; ſi vna pars ergo quieſceret, & altera moueretur eodẽ continuo: non eſſet ergo continuitas. etiam quia ſuperficies communis partis quieſcentis & mouentis moueretur, & quieſceret. impoſsibile autem eſt idem moueri, & quieſcere. probatur, quia eadem pars eodem tempore moueretur vt terminus partis mouentis, & eadem quieſceret, reſpectu partis quieſcentis: quod inconueniens eſt, Dico, ꝙ in duplici differentia eſt motus localis. aliquis purus, vt cum ei non admiſcetur: alius motus, ſicut cum deſcendit gleba terræ: alius eſt admixtus alterationi, ſicut cũ aer proprior eſt igni rareſcit, & calefit. & ſic alteratur, & mouetur motu locali: quia occupat maiorem locum. ſicut etiã de uento, qui mouet vnam partem aeris, ſcilicet eam, quæ recipit impetum venti: alia pars denſior non mouetur: ergo ſi loquamur de motu locali puro impoſsibile eſt, ꝙ vna pars moueatur: altera quieſcat. & ſic loquebatur Ariſtoteles quinto Metaphyſices, & cũ dicebat, continuũ eſt, cuius motus eſt vnus. intelligebat Ariſtoteles de motu locali ſimplici: ſi vero loquamur de motu locali mixto alterationi, poſsibile eſt, ꝙ vna pars continui moueatur, & altera quieſcat, ſicut ipſe dabat exemplum de virga viridi, cuius pars inferior quieſcit, & ſuperior mouetur: quia inflectitur, & ei motui locali admixta eſt alteratio, & ſic non inconuenit, quod in continuo aliqua pars moueatur, alia quieſcat. Ad argumentum quia ſuperficies communis moueretur, & quieſceret. Dico, ꝙ verũ eſt; ſed hoc eſt per accidens: quia reſpectu partis quieſcentis dicitur quieſcere, reſpectu mouentis moueri: & ſic non inconuenit, quòd aliquid moueatur, & quieſcat ratione diuerſorum: tamen non eſt verum, quòd Latini ſupponunt, quòd Ariſtoteles dicat aquam quieſcere, ſcilicet vnã partem moueri, & alteram quieſcere: quia dicit Ariſtoteles, tota aqua quieſcente mouetur, & non mutat locum: non dicit quòd vna pars moueatur, & altera quieſcat. Sed dices, an toto quieſcẽte poſsint omnes partes moueri. Dicimus, ꝙ ſic immo neceſſarium, ſicut cœlum totum quieſcens mouetur. quo ad omnes ſui partes: quia omnes partes mouentur, & totum quieſcit in eodem loco. dicitur enim quieſcere in quantum non mutat locum: quia ſecundum rei veritatem mouetur; partes tamen mouentur: quia vna pars eſt in oriẽte, & venit in occidentẽ. & econtra, & ſic totũ dicitur quieſcere. Ariſt. interruperat rationem ſuam: quia non dixit, an illud ens ſit vnum genere, an vnum ſpecie, ſed tãtum declarauit, ꝙ nõ ſit vnum numero: modo reuertitur, & probat, quòd ens non ſit vnum ſpecie, nec vnum genere. quòd non vnum ſpecie, probat: quia, ſi ſpecies habet contrarias differentias: ergo non eſt vnum ſpecie, niſi dicamus, inquit Ariſtoteles, quòd ſit vnum ſpecie: quo ergo ad materiam: quia eadem eſt materia omnium generabilium: & corruptibilium: & ita cęli materia ſit eadem cum iſtorum inferiorum inquantum in potentia: & ſic forſan eſſet dictum naturaliter, nec poteſt eſſe vnum genere: quia cum genus præſupponat multas ſpecies, non erit ens vnum: quia plures ſunt ſpecies, quæ ſub genere continentur. Sed dicetis, vana eſt ratio Ariſtotelis, quia Meliſſus diceret, quòd illud eſt vnum numero, cum dicit, aut erit vnum numero indiuiſibile, aut cõtinuitate, aut ratione. Meliſſus dicit, quòd nullo iſtorũ modorum. At, non plus diuiditur. vnum verum eſt; in generibus tamen inter. i. eſt aliquod vnum nullo illorum modorum: cum autem dicebat, ſi eſt vnum in diuiſione, cum indiuiſibile ſit terminus, plura erunt, quæ erunt: quia terminus, & id cuius eſt terminus. illud autem vnum indiuiſibile, quod ponit Meliſſus, nõ eſt terminus, ſi eſt vnum ex ſui natura, ideo Ariſtoteles tantum cortices verborum reprehedit, vt diximus, & dicemus, & ad Parmenidem dicit, quòd eodem modo contradictum eſt Parmenidi, ſicut Meliſſo: quia accepit propoſitionẽ falſam, tum etiam quia errauit in forma ſyllogiſmi. vnde inquit, & ad Parmenidem idem modus rationum eſt: & ſi qui ſunt alij proprij, & ſolutio eſt, quia partim falſa, partim non concludit, &c. habet autem Parmenides proprium modum: quia alio modo arguit & aſſumit alias præmiſſas, quàm Meliſſus: tum etiam quia Parmenides dixit tale ens eſſe finitum, vt Ariſtoteles. Meliſſus vero infinitum, vt ponunt Theologi rationẽ Parmenidis. Alexãder exponit ex Theophraſto in libello de hiſtoria naturali. & hæc erat ratio Parmenidis, omne nõ ens eſt nihil: quidquid eſt præter ens eſt nihil: ergo eſt ens vnũ. aliter Simplicius ex Eudemo, quicquid eſt præter ens, eſt non ens: ens vno modo dicitur: ergo ens eſt vnũ. dicit Simplicius, ꝙ iſtæ rationes ſunt eædem, & nõ diuerſa: quia idẽ eſt præter ens, & nõ ens, & ens vno modo dicitur, ideo cõueniunt in ſenſu. ideo dicamus, cum dicit, quicquid eſt præter ens, eſt non ens: & ens vno modo dicitur. falſa eſt, ita dicit Ariſtoteles: quia ens dicitur de decem prædicamentis analogice. ſi vero accipit ens pro qualitate, non valet, quòd eſt præter ens, id eſt præter qualitatem eſt non ens: ſi vero pro ſubſtantia, cum dicit; quidquid eſt præter ens eſt nõ ens, id est ſubſtantia vera eſt, ſed falſa eſt alia, ſed ens vno modo dicitur. etiam vitioſa eſt ratio Parmenidis, cum dicit, quicquid eſt præter ens, eſt non ens, & vno modo dicitur; ſed ens vno modo dicitur: ergo ens eſt vnum. iſta argumentatio eſt vitioſa: quia non concludit. illa etiam eſt vitioſa, quæ falſa eſt, ꝙ non concludat. probat Ariſtoteles: quia dicit ſupponamus, ꝙ omnia corpora, quæ ſunt in natura, ſint alba & ſpecie, & differentia. Ariſtoteles ſæpe ſupponit impoſsibilia naturæ poſsibilia; tamen imaginationi, dicit, ſupponamus omnia eſſe alba, & arguamus, quicquid eſt præter album eſt nihil; ſed quod eſt præter album nihil eſt: ergo album eſt vnum numero. propoſitiones ſunt veræ ſecundum Parmenidem, & Meliſſum; tamen concluſio eſt falſa: quia ſuppoſuimus, ꝙ illa differant ſpecie: etiam, quia, ſi eſſet vnũ album numero, vel vnum indiuiduum: & ſic plura eſſent: quia eſſet terminus, nec poteſt eſſe continuitate vnum, nec poteſt eſſe vnũ ratione: quia album, & ſubiectum differunt ratione; ſed eſt vnum ſubiecto plura ratione; & hoc eſſe vnũ ſubiecto plura ratione fuit ignotũ antiquis, & ſic viſum eſt quomodo ratio Parmenidis peccet.

LECTIO XXXVII.

IN COMENTO vigeſimoquinto erãt duo animaduertenda. primo, quia dicebat Ariſtoteles, quòd ſermo concludens per ſe, debet concludere in omnium materia: & dictum eſt: quia Parmenides peccabat in forma: & Ariſtoteles probabat in alijs terminis: quia dicebat, ſupponatur, ꝙ omnia in natura ſint alba, tamẽ ſpecie diuerſa, tamen arguamus eſſe non album, eſt nihil, quicquid eſt præter album, eſt non album. inferamus ergo vnum eſt album, falſa eſt concluſio; quia non eſt vnum continuitate: quia homo certiſſa vix ſunt diſcontinua, nec vnum in diuiſione:

ſione: quia ceruſſa & hõ ſunt quanta nec vnũ ratione: quia ratio ſubiecti eſt diuerſa ab accidente. illatio ergo hæc eſt falſa, & iſta aſsimilatur illi Parmenidis: ergo & illa falſa: q̃a vbi antecedens eſt verũ, & conſequens falſum, conſequentia nulla eſt; ideo dicit ꝙ ratio Parmenidis peccat. fundatur Ariſtoteles in hoc principio, ſermo neceſſarius eſt concludens in omni materia. vnde duplex eſt illatio: vna eſt neceſſaria vt arguitur à ſpecie ad genus, vt ſi homo eſt, animal eſt: quia non ſtat, homo non eſt, ergo nõ eſt animal. & huc uſque Latini loquũtur bene. illatio neceſſaria dupliciter diuiditur. alia eſt per ſe neceſſaria: alia per accidens. per ſe neceſſaria eſt, quæ fit in debita forma, & eſt, quæ tenet merito diſpoſitionis terminorum, & non ſignificationis illorũ: per accidens neceſſaria eſt, quæ non gratia ordinis; ſed ſignificationis: omnes ergo illationes, quæ tenent ratione ordinis, & diſpoſitionis terminorum, ſunt per ſe neceſſariæ ratione formæ, vt contingit in tribus figuris. vt etiã ſi conuertatur vniuerſalis in particularem, & vniuerſalis negatiua in ſeipſam, vt nullũ a eſt b, nullum b eſt a. alia eſt illatio neceſſaria per accidens, quę tenet gratia ſignificationis terminorum, & non habitudinis: & ſunt omnes illæ illationes, quæ fundantur in locis dialecticis, vt cum arguamus à ſpecie ad genus, vt ſi dicamus homo currit: ergo animal currit: quia hæc illatio non eſt neceſſaria circumſcripta habitudine ſpeciei. ita in relatiuis, vt ſi pater eſt; filius eſt. tenet enim gratia materiæ. ita recte dicit Auerroes, ꝙ ſermo cõcludens neceſſario ſecundum formam, concludit in omni materia ſecundum formam. ideo, quia illatio illa, ꝙ omnia ſint alba eſt falſa: & ita illa particularis. vnde etiam Latinorum errores patent: quia diuidunt conſequentiam in conſequentiam formalem de forma: & eſt illa, quæ tenet gratia diſpoſitionis terminorum, & in conſequentiam formalem de materia, vt eſt illa, quæ tenet gratia ſignificationis terminorum; ſed iſta non eſt formalis, ſed tantum materialis vnde illa diuiſio implicat dicere conſequentiam formalem de materia, & conſequentiam formalem de forma: & Ariſtoteles nunquam poſuit hanc diuiſionem. Inſurgit alia dubitatio, quid nam ſit illatio. aliqui dicunt, ꝙ eſt intellectus antecedentis ad conſequens: aliqui dicunt, ꝙ eſt paſsio antecedentis ad conſequens: aliqui dicunt ꝙ eſt qualitas: quia dicit Sermoneta, ꝙ illatio eſt qualitas multiplicata in omni parte aeris. falſum eſt, & omnes illæ opiniones ſunt falſæ ſecundum Ariſtotelem. Dico enim, ꝙ illatio non eſt, niſi modus concipiendi: nec eſt intellectus, nec qualitas. vnde duplex eſt terminus Categoricus, & ſyncategoricus, vt etiam dixit Parſianus. Categoricus eſt, cum ſignificat rem, & eſt tantum nomen, & verbum: terminus ſyncategoricus non eſt intellectui notio quædam. ſed tantum modus concipiendi. ideo cum illatio ſit ex terminis ſyncategoricis, non repræſentat rem; ſed modum concipiendi: quia idem ſignificat homo, & omnis homo; ſed differunt tantũ in modo ſignificandi: quia homo ſignificat naturam humanam: omnis homo autẽ omnes homines. dixit poſtea Auerroes, ꝙ iſte ſermo non intelligitur à Themiſtio. hic indigemus vaticinio: quia Themiſtius & Auerroes eodem modo exponũt. At dicetis, quod debet legi litera affirmatiue, & ſic intelligitur à Themiſtio, vel ꝙ Auerroes deceptus eſt circa textũ Themiſtij; ſed relinquatis Auerroẽ, cum non recte loquitur dubitationes literales: quia Ariſtoteles dicit, ꝙ Parmenides ignorauit ens eſſe vnum ſubiecto, plura ratione. dicit Simplicius cõtra, quia Parmenides ſciuit vnum eſſe ſubiectum plura ratione: quia dicebat ens eſſe vnũ immobile finitum. ſi enim hęc diſtinguerentur, re eſſet pluralitas in primo ente; quod tamen eſt falſum, etiam ſecundũ Ariſtotelem. 12. Metaphyſices non diſtinguitur; ſed tantũ ratione, quid ergo dicit Ariſtoteles, ꝙ Parmenides ignorauit hanc diſtinctionem. ſecundo, quia dicit, ꝙ album ſignificat ſubiectum & albedinem, oppoſitum dixit in prędicamento ſubſtantiæ, dixit enim ſignificat tantum propriam qualitatem, ſcilicet albedinem. tertio, quia ponit differentiam inter Parmenidem, & Meliſſum, cum dicit, ratio Meliſsi eſt magis oneroſa, quia ſicut Meliſſus peccat in materia, & forma. ita Parmenides. quarto, quomodo Ariſtoteles dicit, ꝙ Parmenides recte dixit, quicquid eſt præter ens eſt non ens: ergo infinitum ens. oppoſitum dixit Boetius in principio Perihermenias, ſcilicet ꝙ tranſcendẽtia non poſſunt infinitari, & ratio eſt: quia negatio infinitãs ponit vnã naturam, & alteram negat; ſed tranſcendentia omnem naturam negant. etiam Themiſtius dicit, ꝙ illud non ens debet accipere Ariſtoteles, vt commune ſubſtantiæ, & accidẽti: quia aliter illatio eſſet falſa, quicquid eſt pręter ens, eſt non ens: ſi ens, accipitur, vt dicit, ſubſtantiam tantum, vel accidens tantum. de primo dicit Simplicius, ꝙ re vera Parmenides ſciuit illam diſtinctionem vnum eſſe re plura ratione; ſed Ariſtoteles dixit eum ignorare illã: quia non ita clare expreſsit, vt erat exprimenda; tamen ſciuit illam. de ſecunda duplex eſt concretum. ſubſtantiale, & accidentale. de concreto accidentali eſt triplex opinio. de concreto ſubſtantiali eſt etiam dubitatio: quia Themiſtius, & Scotus dicunt, ꝙ homo ſignificat tertiam entitatem, ſcilicet humanitatem, nominales dicunt, ꝙ ſignificat ſingularia. Ariſtoteles & Auerroes dicunt, ꝙ primo ſignificant formam. ſecundo, connotando tamẽ corpus, quia forma eſt tota quidditas rei, ſeptimo Metaphyſices, quidditas eſt, id quod primo exprimitur definitiõe. ideo, quod primo exponitur definitione eſt forma: concretum ergo ſubſtantiale primo ſignificat formam. ſecundo connotando materiam. de concreto accidentali Auicenna dixit, ꝙ primo eſt album, & ita nominales: quia concretum ſignificat perfectius: ſubiectum autem, cum ſit ſubſtantia, perfectius eſt accidente, ſed dicit Auerroes, ſi ita eſſet, nugatio eẽt, ſi diceremus, naſus ſimus, quia ſimus, ſignificat primo naſum, & ſic diceremus naſus eſt, naſus ſimus. etiam, quia, ſi albũ primo ſignificat lignũ, cui ineſt albedo, terminus mentalis caderet à ſua ſignificatione, quod eſt tertia regula: quia definitio hominis, primo hominẽ naturaliter repræſentat, & ſignificat terminus mentalis ex ſui natura. quod autẽ cadat à ſui ſignificatione patet, quia permutetur tabula alba; tamen non amplius ſignificat tabulam hanc, quam primo ſignificabat. ideo cadit à ſui ſignificatione. ideo alij, vt Burleus dicunt, ꝙ album ſignificat ſubiectum, & qualitatem. huic aduerſantur verba Ariſtotelis in prædicamento: quia dicit, albus tantum albedinem ſignificat, ideo verior eſt opinio, quæ dicit, ꝙ albus primo ſignificat albedinem. ſecundo connotat ſubiectum, ita intelligemus verba Ariſtotelis hic, ꝙ album ſignificat primo formam, ſecũdo ſubiectum: quia forma eſt, id quod primo exprimitur definitione ſeptimo Metaphyſices, de tertio cur dixit, ꝙ ratio Meliſsi eſt magis oneroſa. Dico, vt dicit Themiſtius: qui dicit, quòd ratio Parmenidis eſt in figura prima: & ſic illa ratio aliquid concludit, licet non concludat propoſitum ſuum. concludit enim quod eſt præter ens, eſt non ens. ratio Meliſsi nõ concludit: quia non eſt in figura. Sed dicetis, quia dicunt logicales, ꝙ exceptiuę non ſunt propoſitiones quantæ: quia non ſunt vniuerſales: quia Syllogiſmi in prima figura regulantur per dictum de omni, & de nullo, cum exceptiuę nõ ſunt vniuerſales, non erũt quantæ. etiam exemplo, eſſe irrationale eſt ſubſtantia, omne animal pręter hominem eſt irrationale: ergo omne ani-

ma

mal, quod eſt præter hominem eſt ſubſtantia: maior,& minor etiã vera;tamen concluſio eſt falſa. etiam ſi dicas omne currens mouetur: omne animal præter hominem currit (ſupponamus, quòd homo non currat,tamẽ moueatur) inſers ergo omne animal preter hominem mouetur: quia etiã homo mouetur:ergo concluſio falſa.demonſtro,ꝙ exceptiue non ſunt quantæ, vt dicunt logici, nec ſyllogiſmus Parmenidis eſt exceptiuus: quia nõ eſt ex propoſitionibus exceptiuus,ſed eſt de ſubiecto exceptiuo:quia dicit omne nõ ens eſt nihil,quod eſt præter ens eſt non ens, id eſt quod entis natura non participat,eſt nõ ens.ita, cum dicit omne irrationale eſt ſubſtantia:omne animal præter hominem eſt irrationale. De vltimo dico, ꝙ terminus tranſcendens non poteſt infinitari perfecte:hic vero infinitatur ens imperfecte:quia tollitur ſui natura,& non perfecte:quia ſic poneret vnam naturam,alteram negaret.

LECTIO XXXVIII.

NECESSE eſt igitur accipere.}Hęc verba obſcuriſſima ſunt : ſententia clara, quæ eſt: quia,cum contradixerit Meliſſo,& Parmenidi, tertio loco communi argumento arguit contra vtrunq;,& dicit,ſupponamus quòd ens dicatur de multis, de ſubſtantia, & de accidente, quæ quidem duo differunt ratione, quia ſubſtantia eſt ens proprie:accidens eſt ens per aliud, & effectus entis.percontor ergo ipſos,cum dicunt ens eſſe vnum,an intelligant accidens, an ſubſtantiam. ſimiliter nomine albi, an intelligatur accidens,an ſubiectum;ſi intelligant accidens:ſubſtantia ergo erit non ens.Non dico,ꝙ ſit aliquid ens, ſed dico, quòd ſequitur ꝙ ſubſtantia nullo modo erit ens, cum ens tantum ſit vnum,atque illud ſit accidens: & vltra cum accidens accidat alicui,illud tale debet eſſe ens;ſed accidens accidit ſubſtantiæ:ergo ſubſtãtia neceſſario erit ens: ergo idẽ erit ens, & non ens, quod implicat contradictionem: quia oĩa, quæ ſunt, accidens:ſunt at ſubſtantiæ accidit accidens, etiam ſubſtantia erit ens.Sed dicetis,quòd nomine entis intelligitis ſubſtantiam:quia maximè eſt ens, & proprie ens; ſi ita dicatis,ſubſtantia erit ens,& non ens erit ens:quia ſola ſubſtantia eſt ens.erit nõ ens,cum accidens ſit non ens: quia ſola ſubſtãtia eſt ens id,cui accidit non ens.eſt non ens, ſed accidens accidit ſubſtantiæ: ergo ſubſtantia erit non ens:& per ipſos eſt ens,quia ſola ſubſtantia eſt ens:eſt ergo nõ ens: quia ei accidit non ens:& id,cui accidit non ens,eſt nõ ens. Nec igitur magnitudinem habebit,quod eſt,&c.Tripliciter exponitur,dicit Simplicius.aliqui dicũt,ꝙ arguit etiam aduerſus Meliſſum,& Parmenidem:quia dicit, ſi vos dicetis ens eſſe vnũ,nihil erit in entibus, quod ſit particeps magnitudinis. hoc eſt falſum,vt patet. ꝙ autem hoc ſequatur, patet:quia ſi eſt aliquid capax magnitudinis,illud diuiſibile in partes infinitas,quæ ſunt diuerſæ: & ſic nõ erit vnum. cum ergo ſupponetis ens eſſe vnum,non poteſtis dicere aliquid participare magnitudine. ſed dicit Simplicius, ꝙ expoſitio non conuenit primo, quia non eſt continua verbis ſuperioribus;debet tamen eſſe continua propter illud verbum,Neque igitur etiam. Quia infert, tanquam impoſsibile,quòd illud vnũ ens non ſit capax magnitudinis. hoc non eſt impoſsibile Meliſſo,& Parmenidi : quia ipſi ponunt illud ens eſſe intellectuale,quod caret omni magnitudine:& ita finitum, & infinitum proprie non competunt tali enti: quia tale ens dicitur intellectuale à Parmenide infinitum ſecundum potentiam,vt etiam ait Ariſtoteles, ponit etiam à Meliſſo infinitum ſecundum potentiam, vt theologi:quia proprie talis ſubſtantia non eſt nec finita, nec infinita.ideo eſt alia expoſitio,quæ continuatur cũ præcedentibus: quia illud ens,quod eſt vnum, ſi eſt ſuſtantia,neceſſe eſt,quòd illa ſubſtantia careat magnitudine:quia ſi habebit magnitudinem,erit ſubſtantia,& magnitudo: & ſic plura erũt, quæ ſunt,& ſic magnitudine carent: ergo nec finita, nec infinita.ex hoc patet,ꝙ quantitas diſtinguatur à re quãta ex iſtis verbis.Sed dicetis,quod tamen dicitur ſuſtantia,& magnitudo eſſe plura,quia diuiſibilis,non poſſunt dicere:quia fecit illud argumentum ſupra Ariſt.dicit Simplicius,non intelligamus vtrunq; partium, in quas diuiditur magnitudo; ſed vtriq; partium,id eſt ſubſtantia, & accidens.

QVOD {autem diuiditur.}Continuat ad ſuperiora, ꝙ nomine entis, non poſſunt intelligere ſubſtantiam : quia illa ſubſtantia eſt definibilis:ſi definibilis,ergo habebit partes definientes: & ſic habebit genus, & differentias, & illæ partes ſubſtantiæ ſunt ſubſtantiæ.iam ergo plures erunt ſubſtantiæ,& non vna.dixit,ꝙ illa ſubſtantia,ſi eſt vna,definitur:quia,id quod tradit modum declarandi ignotum, pertinet ad logicum, ideo primum ſubiectum logicæ eſt modus ſciẽdi. id ergo,quod declaratur,vel eſt ſimplex vel cõpoſitum.ſi ſimplex,declaratur dupliciter: vel definitione, quæ conſtat ex genere & differentia, & non poteſt ſciri genus niſi ſciamus eius ſpecies,& hoc fit diuiſione. ideo ſimplex declaratur definitione, & diuiſione. & ita oportet, ꝙ logicus conſideret genus,& differentias, vt ſciamus definire,& ita prædicamenta,cum genera ſint, pertinent ad logicum.ſi id,quod declaratur,ſit complexum, notificatur vel demonſtratione,vel enthymemate,vel exemplo,vel inductione:ſi ergo ſit vna ſubſtantia, neceſſe eſt,vt definiatur, dixit Ioannes.& tripliciter ſimplex declaratur, vel negatiue,ſicut de Deo dicimus, ꝙ Deus nõ eſt homo,non eſt Angelus,ſed eſt his omnibus maius: vel analogia, vt ſimilitudo quædam:vel definitione:ſi ergo illa ſubſtantia definitur habebit partes definientes:& illæ partes ſunt ſubſtantiæ. Exemplum, vt homo eſt animal,pedeſtre,mortale, quę eſt definitio Platonis.illę partes ſunt ſubſtãtiæ:quia ſi nõ erũt ergo accidentia vel ſeparabilia, vel inſeparabilia. ſi ſeparabilia, erit ergo homo ſine ſua definitione aliquando, quod eſt abſurdum.ſi inſeparabilia,cum illa debeant definiri per ſuum ſubiectum,erit ergo circulatio: quia totum definitur per partes:non autem contra,ſi dicetis,ꝙ illa accidentia nõ accidũt definito,ſed alteri:ergo & definitum,quod eſt ſubſtãtia,accidit alteri,quod eſt abſurdum:quia quod vere eſt, nulli accidit,id eſt ſubſtantia. ex hoc infert correlariũ: quia illa ſubſtantia non erit definibilis, vel qua partibus carebit: quia erit indiuiſibilis ſecundũ diuiſionem partium:ergo & ipſa erit indiuiſibilis : ergo vniuersũ erit indiuiſibile: quia, quod conſtat ex indiuiſibilibus, indiuiduale eſt.per hanc rationem Ariſtoteles innuit duplicem ſubſtãtiam.vna,quæ definitur ex ipſa,& non ponitur in definitione partium ſuarum.aliæ quę non definitur, vt ſubſtantia indiuidua, quæ conſtat ex materia & forma, & ipſa non ponitur in definitione materiæ,& formæ.ita ꝙ omne definitum, vt exponit Ioannes,quod definitur ex partibus eiuſdem generis,ſcilicet ꝙ partes ſunt ſubſtantiæ.aliter exponit Simplicius;ſi illa ſubſtantia non definitur: ergo ſecundum diuiſionem eſt indiuiſibilis: ergo & ipſa indiuiſibilis : ergo vniuerſum indiuiſibile:quia conſtans ex indiuiſibilibus eſt indiuiſibile.

LECTIO XXXIX.

SIMPLICIVS longe digreditur,tandem duo dicit ponit quinque rationes aduerſus Parmenidem. prima, quòd ens multipliciter dicitur: quia de decem prædicamentis:

camentis:ergo & hoc conſenſu omniũ,& ita non petit principium. ſi igitur dicitur de decem prædicamentis: non ergo eſt vnum.ſecunda. ens dicitur de ſubſtantia, & de accidente:ergo non erit vnum.tertia, ſi ens eſt vnum,non habebit magnitudinem.quarta,ſi eſt vnum, non erit definibile: quia definibile habet partes : ergo plura eſſent entia : quia definitio conſtat ex partibus. quinta , ſi ens eſt vnum , vel vnum genere,vel ſpecie,vel numero.non poteſt eſſe vnum genere:quia genus prædicatur de pluribus : nec vnum ſpecie,quia ſpecies de pluribus indiuiduis : nec numero, quia vel continuitate.& tunc plura erũt: quia continuum eſt diuiſibile in infinitum : nec in diuiſione : quia indiuiſibile ſit terminus,ideo includit aliquid aliud à termino: & ſic plura erunt entia:nec vnum ratione, quia, vt probatũ eſt, alia eſt ratio ſubſtantiæ, alia accidentis . & ſic nullo modo ens poterit eſſe vnum . Secundo quærit Simplicius, an ens,quod poſuit Parmenides , ſit vnum genere , an numero. & ratio dubitabilis eſt: quia Aſpaſius dicit , ꝙ erat vnum genere : quia omnia continentur ſub ente , & ſub genere. ſed Simplicius confutat hanc opinionem : quia ens dicitur de alio, ſcilicet de homine.ens,quod poſuit Parmenides, non dicitur de alio.& genus, vt genus , non differt: ens Parmenidis differt,ideo non eſt vnum genere, ſed numero, ideo aſsimilauit ſphærę,quæ eadem eſt vndequaque. ſed eſt dubitatio prima Simplicij:quia dicit, ſi partes definitionis ſint etiam accidẽtia,vel ſeparabilia, vel inſeparabilia. ſi inſeparabilia, in eorum definitione ponit ſubiectum. hoc non videtur verum:quia nigredo eſt inſeparabile accidens coruo; & tamẽ coruus non ponitur in eius definitione.de hoc dicit Simplicius,ꝙ non omne accidens inſeparabile definitur per ſubiectum. ſed Ariſtoteles intelligit propriũ quarto modo : ſed nigredo in coruo non eſt pro principio.quarto modo,ideo non eſt neceſſe,ꝙ coruus ponatur in definitione eius.dubitatur ſecundo, dicit Ioannes , quia ſi dicamus, quod genus accidit vni differentia:alteri non ſequitur: ergo definitum, quod eſt ſubſtantia,accidit alteri: bene ſequitur; ſi genus & differentia accidat eidem,definitum,quod eſt ſubſtantia,accidit alteri.dicit Ioannes,& ſi genus accidat vni,& differẽtia alteri,verum erit dictum Ariſtotelis,ꝙ ſubſtantia definita accidit alteri:quia,& ſi non accidat illis ſeorſum ſumptis;accidet tamen ſimul ſumptis . & ratio eſt, quia dantur differentiæ vltimæ . quia conuertuntur cum ſubiecto. ideo ſi illæ differentiæ accidunt alteri , ita definitum accidit alteri:& ſi Ariſtoteles ſecũdo Poſteriorum dicat, quòd omnes partes definitionis ſunt in plus , quàm definitum , loquitur tamen ad nos.eſt dubitatio Latinorum, quia Ariſtoteles dicit,quod verum eſt,ſubſtantia nulli accidit.cõtra. quia Alexãder;vt dicit Ariſtoteles quinto Phyſicorum, dicit,quòd caliditas,& frigiditas ſunt formæ elementorum; tamen accidunt mixtis : quia ſunt accidentia in mixtis. Secũdo,quia ſecundo de generatione Ariſtoteles dixit, ꝙ illæ qualitates ſunt principia elementorum : & principia ſubſtantiæ ſunt ſubſtantiæ:ergo illæ qualitates ſunt ſubſtantię;& tamẽ ſunt accidentia mixtis. Tertio,quia relatio non diſtinguitur à fũdamento ſecundum viam communem: quia albedo eſt ſimilis ſibi per ſuam ſubſtantiam : ſic ergo erit ſubſtantia ſibi,& accidens vt refertur. ꝙ autem ralatio non diſtinguatur à fundamento, in eis veniret altera per ſe , quod eſt falſum:quia mutatio aduenit ipſi fundamento: non autem ipſi relationi aduenit,primo mutato.etiam, quia medici dicũt, ꝙ lapis in veſsica eſt morbus , eſt accidens : quia ſanum & ægrum ſunt accidentia ; & tamen ipſe lapis eſt ſubſtantia . etiam. t 2.Metaphyſices notio primæ ſubſtãtiæ,quæ eſt ſubſtantia, recipitur in ſecundis, vt finis, & ſic in eis recipitur, vt accidens;tamen in ſe eſt ſubſtantia, & ſic non inuenitur, ꝙ vna res ſit ſubſtantia vni,& alteri accidens. Dico,quòd reuera ſubſtantia non eſt accidens proprie dictum; ſed bene ſecundum denominationem ſubſtantia poterit eſſe accidens. Ad argumentum Alexandri , quia caliditas eſt forma ſubſtantialis,dicetis, vt Auerroes primo de generatione,ꝙ circumſcribit per illas qualitates formam, ſubſtantialẽ:non ꝙ dixerit illas qualitates eſſe formas ſubſtantiales . De ſecundo dicetis, vt Ioannes ibi,quia poſſunt conſiderari elementa , vt ſunt ſubſtantiæ , & ſic eorum principia non ſunt illæ qualitates.poſſunt conſiderari,vt elementa, & vt dicta referuntur ad mixtum, in cuius mixturam veniunt, & veniunt in mixturam per alterationẽ,& alteratio fit mediantibus illis qualitatibus , ideo dixit illas qualitates eſſe principia elementorum,vt elemẽta. & Auerroes impugnat hic Alexandrum,ꝙ dicebat illas qualitates eſſe formas ſubſtãtiales:quia,quod vere eſt,id eſt,ſubſtantia nulli accidit. ſed reprehendit Alexandrũ quo ad verba:quia Alexander noluit illas quatitates eſſe formas elementorum ; ſed per illas circumſcripſit formas elementorum, vt primo de generatione dixit Auerroes. De tertio,quia dicis,relatio eſt eadẽ cum fundamento.dicis,relatio eſt accidens.nõ eſt verum , ꝙ ſit accidens ſecundum rem ; ſed eſt accidens ſecundum modum prædicandi:quia denominatiue prædicatur, quod dicunt medici,lapis exiſtens in veſsica eſt ſubſtantia,& tamen eſt accidens viuenti. Dico, ꝙ eſt in ſe ſubſtantia, eſt accidens improprie, vt inhæret: quia ſecundum rei veritatem ſemper eſt ſubſtãtia.appellatur accidens, vt alijs inhęret.de quinto, quia notio,& finis, quæ eſt vltra ſubſtãtiam, eius notio ineſt alijs ſubſtantijs,vt accidens; tamen in ſe talis notio eſt ſubſtantia. Dico,ꝙ reuera talis notio in omnibus eſt ſubſtantia ; ſed dicitur accidens per modum prædicandi ſecundum accidens:quia dicimus,ꝙ ſecunda intelligentia intelligit primam,& amat illam, & ita denominatiue prædicatur,& ſecundum modum accidens:reuera tamẽ illa non eſt ſubſtanna:quia in ſubſtantijs ſepatatis nullum eſt accidens,& nullus diſcurſus,ideo nec eſt error in illis.

Erat ſecunda dubitatio:quia Ariſt.dixit, ꝙ totum non ponitur in definitione partium ; ſed bene partes definiunt totum:quia idem definerent ſeipſum.contra: quia in relatiuis idem definitur per alterum . vnde vnum relatiuorum per alterum definitur tantum . ſupra hoc Burleus dixit multas fatuitates. Dicetis,vt Ariſtoteles ſexto Topicorum, quòd vnum relatiuorum definitur per reliquum . ita relatiuũ eſt, vt differentia correlatiui . vnde triplex eſt relatiuum æquiparantiæ,vt eſt ſimile ad ſimile:aliud eſt relatiuum ſuppoſitionis,vt filius ad patrem:aliud ſuper poſitionis,& ſic poteſt eſſe pater ſuppoſitus filio,& filius patri:nõ ergo incõuenit,ꝙ idem definiat, & definiatur . Dicatis,ꝙ illud non inconuenit in relatiuis , ſed in abſolutis eſt inconueniens , quod totum ponatur in definitione partium:in relatiuis vero non.nec eſt verum, quod dicit Scotus.ꝙ vnum relatiuorum fundamentaliter ponatur in definitione alterius . primo, quia ponitur, vt ipſa etiam ſimul natura, vt dixit ſexto Topicorum;ſed formaliter ſunt ſimul natura: ergo vnũ relatiuum definitur per reliquum formaliter: quia fundamẽtaliter præcedit vnum alterum. Exemplum. Pater fundamentaliter,id eſt ſecundum ſui ſubſtantiam præcedit filiũ; formaliter tamen , vt pater & filius ſunt etiam ſimul natura.tertia dubitatio,quia Ariſtoteles dicit, quòd animal rationale ſunt partes ſubſtantiæ, & ſic partes rei . oppoſitum Auerrois ſupra in quarto textu , & 7.Metaphyſices & ſupra Porphyrium:quia inquit definitio,quæ conſtat ex materia,& forma,illę partes ſunt ſecundum rem. definitio cõ-

ſtans ex genere,& differentia.vt ex animali, & rationali,& partes ſecundum intellectum,quia ſimilia ex parte rei, non datur etiam:quia definitio eſt inſtrumẽtum,quo cogniſcitur ſimplex,& cognoſcuntur res per intellectum: ergo illæ partes non erunt ſubſtantiæ,ſed accidẽtia etiam: quia Auerroes ex Ariſtotele,ſeptimo Metaphyſices dixit, ꝙ ſubſtantia non eſt vniuerſale : quia vniuerſale eſt commune pluribus:ſubſtantia autem non . ideo ſubſtantia non eſt vniuerſale.Ideo aliqui, vt Burleus accipit, quòd dicitur vniuerſale ex parte rei:quia dixit,quòd genus, & differentia ſunt ſubſtantiæ;ſed boc eſt falſum. vnde vniuerſalia in duplici differentia poſſunt conſiderari vno modo. materialiter:alio modo,formaliter,pro eo,quòd ſignificat. ſi accipiatur materialiter,tunc vniuerſalia erunt accidentia:quia materialiter res non eſt,niſi qualitas,poſſunt accipi formaliter,id eſt pro ſignificato: quia forma non eſt, niſi ſignificatio, & tunc erit ſubſtantia : quia vniuerſalia ſignificat ipſa indiuidua , quæ ſunt ſubſtantia,& non aliud ſunt,quàm ſua indiuidua,& ſic ſunt,ſubſtantiam ſignificant;materialiter tamẽ ſumpta accidẽtia.Sed dices, quomodo Ariſtoteles ex genere, & differentia arguit pluralitatem ſubſtantiarum: quia genus, vt animal,primo ſignificat hominem; ita rationale. ſignificat hominem : quia vt docuit Ariſtoteles genus , & differentia ſumuntur ab eadem forma:quomodo ergo,cum illa ſignificant vnam ſubſtantiam , arguit plures ſubſtantias ex illis? Secũdo,quia cum dicitur homo, eſt animal rationale, cum animal ſit pars definitionis ſubſtantiæ: ergo erit ſubſtãtia. & cum præcedat hominem in illo: ergo inſtantialiter erit ſubſtantia ; & tamen non ſignificabit ſua indiuidua. oppoſitum iam diximus.quid ergo dicendum?de primo dico,ꝙ reuera non arguit plures ſubſtantias. Dicit Simplicius, ꝙ arguunt diuerſas ſubſtantias ſecundum diuerſas partes definiti; ſed quæ ſunt partes definiti: quia circumſcribunt eãdem formam.Dico ergo, quòd non ſimpliciter infert plures ſubſtantias; ſed refert ad minus eſſe plures ſubſtantias : ergo ad modum concipiendi : quia equus, vt habet principium ſentiendi, ſimpliciter ſignificat ſubſtantiam, quæ eſt genus, vt eſt principium talis ſentiendi , ſumitur pro differentia.& ita eſt eadem ſubſtantia in rem diuerſam ſecundũ modũ concipiendi.de ſecundo,cum dicis, animal eſt prius homine:ergo primo erit ſubſtãtia.Dico,quòd illa proprietas eſt tantum ſecundum intellectum:quia cum Ariſt.dixit in Prędicamẽtis,illud eſt prius,à quo non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia.ideo genus prius ſpecie:quia non valet:eſt animal ergo homo;ſed bene contra loquitur de proprietate ſecundum intellectum,& non ſecundum tempus: quia genus eſt idem , quod ſingulare vniuerſaliter acceptũ, vt dicunt omnes optimi expoſitores , quidquid dicat Burleus, qui videtur ponere , quoquo pacto vniuerſalia in re à ſingularibus diſtincta , & ſic videtur ſequi Platonem, qui poſuit vniuerſalia in re; ſed hãc opinionem primo,& ſeptimo Metaphyſices confutauit Ariſtoteles.

LECTIO QVADRAGESIMA.

QVIDAM autem rationibus, &c. Textus obſcurus,& Simplicius facit maximam cõfuſionem.mihi videtur Ioãnes omnibus expoſitoribus clarior,qui dicit poſtquam diſſoluit Ariſtoteles primam rationem Parmenidis,quæ erat, quòd non eſt ens, eſt nihil:quicquid eſt præter ens,eſt non ens: ergo quod eſt præter ens:non eſt, & dixit Ariſtoteles,ꝙ ratio Parmenidis peccabat in materia, & forma,vt dixit.hic vult diſſoluere ſecundam rationem Parmenidis,& vult reprehendere Platonem;qui male diſſoluit. & hæc fuit cauſa erroris, & huic alligatur ratio Zenonis , quam diſſoluit,& huic conſentit Xenocrates, diſcipulus Platonis.Plato conſentit Parmenidi, & Xenocrates Zenoni, diſcipulo Parmenidis : dixit ergo quòd Plato conſentit Parmenidi.& hęc erat ſecunda ratio Parmenidis:quia ſi ens vnum ſignificat:& contradictoria nõ ſunt ſimul vera.de eodem ergo ens eſt vnum: quia ſi ens non ſignificaret vnum, ſed plura,entia eſſent plura . Addit, & contradictoria non ſunt ſimul vera:quia, ſi contradictoria ſunt vera,ſequetur, quòd etiam erit verum,non ens eſt, plura eſſent entia: quia omne,quod eſt,ens eſt:& quod nõ eſt,ens eſt, verum & ens eſt , ideo entia eſſent plura . ideo ex illis duobus aſſumptis concludit cõſequens, ſcilicet quòd ens ſit vnum, & dicit,ꝙ Plato concedit hãc rationem.Sed debetis dicere, quòd Plato concedit huic rationi , nõ totali:ſed tantum concedit aſſumptis,negat illationem;& ſic Plato conſentit Parmenidi: quia concedit primam, & ſecundam partem aſſumpti: ſoluit autem rationem negando illationem.& Plato hanc opinionem confutat in dialogo , qui appellatur Sophiſta : quia dicebat Plato , quòd erat duplex ens intellectuale , & ſenſuale.intellectuale eſt proprie ens:& ens ſenſuale,quod eſt, vt materia quæ eſt principium ſenſibilium: & talia improprie ſunt entia.ideo,quia videbat Plato eſſe plura entia,negauit illationem Parmenidis . adducit ſecundo , rationem Zenonis,cui conſentit Xenocrates: quia dat Zeno ſequens Parmenidem preceptorem,quòd ens erat vnum,& indiuiſibile.probat,quòd eſſet vnum;quia ſi non,nec eſſent multa:quia multa conſtant ex vnitatibus : ſi ergo ens non eſſet vnum: non ergo multa , ideo eſt vnum.ſecundo probat, ꝙ ſit indiuiſibile, quia ſi quęlibet pars continui ſit diuiſibilis, in infinitum,id eſt in infinitas partes , & cum in tempore finito non poſſunt pertranſiri partes infinitæ, ſequitur,quòd motus nõ poterit eſſe in magnitudine ; ſed motus eſt in magnitudine,datur ergo pars indiuiſibilis, ſuper qua fiat motus.& ſic ens erit vnum,& indiuiſibile: & appellat hanc rationem,ex diſſectione: quia, ſi non ſit indiuiſibilis magnitudo , quælibet pars materiæ continebit infimas partes, & ſic non poterunt pertranſire hanc rationem. impugnat Ariſtoteles ſexto huius.demonſtrabit enim, quòd continuum non componitur ex punctis , immo quælibet pars lineæ eſt diuiſibilis. reuertitur ad Platonem, ꝙ male ſoluit argumẽtum Parmenidis:quia negabat conſequens,& illationẽ. cõfutat Ariſtoteles hanc ſolutionẽ dupliciter.primo,quia dicit, ꝙ Plato putat non ens tolli à natura , id eſt ens ſenſibile tolli à natura ex ratione illa Parmenidis . dicit Ariſtoteles, ꝙ non tollitur ex illa ratione ens ſenſibile : quia Parmenides dicebat ens intellectuale omne bonum,non tamen tollebat entia ſenſibilia: quia ſunt entia. ſecundario, ita ex illa ratione non ſequitur,ꝙ tollatur ens ſenſibile;ſed tantũ probatur,ꝙ ens intellectuale ſit vnum.ſecundo dato,ꝙ ſit duplex ens.vnum intellectuale:alterum ſenſibile; non tamen debet negare conſequens: quia adhuc verum, eſt ꝙ ens ſit vnum:quia & ſi nõ eſt vnum numero; eſt tamen vnũ quaſi genere. ita dupliciter reprehendit Platonem.

LECTIO XLI.

IN expoſitione Ioannis eſt dubitatio, quia dicit, ꝙ Ariſtoteles citat rationem Parmenidis, ens ſignificat vnũ , & contradictoria non ſunt ſimul vera:ergo ens eſt vnum: poſtea adducebat rationem Zenonis ens eſſe vnum, & indiuiſibile; ſed videtur dubitatio, quæ dicit, ꝙ Plato acquieuit huic rationi , ſcilicet

ſcilicet quia concedit ens eſſe vnum, & contradictoria non eſſe ſimul vera: negabat illationem. videtur ſecundum hãc expoſitionẽ concedere cõtradictoria eſſe ſimul vera: quia concedit non ens eſſe: quia dicit ens ſenſibile eſſe, quod nõ eſt ens: deinde dicebat ens intellectuale eſſe vnum quomodo ergo concedit, quod contradictoria non ſit ſimul vera? Secundo, quia nõ eſt abſurdum apud Parmenidem, quòd ens ſit vnum genere: quia dicit, ꝙ ens eſt vnum, & vnũ numero: quia loquitur de ente intellectuali, quod eſt vnum. De primo dico, quòd illa non ſunt contradictoria: quia ens ſimpliciter, & non ens tale, vt ſenſibile, non ſunt contradictoria; ſed ens ſimpliciter: & non ens ſimpliciter: quia non ens ſimpliciter negat omnem eſſentiam, ſed non ens nõ negat omnem eſſentiam ſed negat omne tale ens, ſicut nos dicimus, ꝙ Socrates nõ eſt ens, id eſt non eſt tale, ens ſicut ait Plato; eſt tamen ens ſecundum ſe. & ita loquebatur Plato: quia ens ſenſibile, non eſt ens, id eſt non eſt tale ens. Idem de ſecundo, quia ſi hoc non ſit abſurdum Parmenidi, quòd ens ſenſibile, & intellectuale ſit vnum genere; tamen Parmenides intelligit, ꝙ ens ſit vnum numero: quia de intellectuali loquitur, quod eſt vnum numero. Eſt dubitatio Simplicij: quia dicit Ariſtoteles, quòd Plato concedit, quòd nõ ens ſit contrarium, dicit in Parmenide: quia, ſi non ens cõtrariatur enti, abſurdum eſt dicere, quòd non ens ſit: quia non dicit Plato non ens eſſe, non ens ſimpliciter, ſed dixit non ens eſſe tale, ſicut Ariſtoteles dixit, ꝙ accidens eſt non ens, id eſt non ens tale, id eſt ſubſtãtia: quia eſt effectus ſubſtantiæ. Secunda dubitatio Simplicij: quia dixit, ꝙ Xenocrates conſentit Zenoni, itaque concedit continuũ non eſſe diuiſibile in infinitum? dicit ergo, quomodo hoc eſt poſſibile, quia cum Xenocrates ſit vir ſapiens & mathematicus negauit illud principium, ꝙ cõtinuum ſit diuiſibile in infinitum, quod non eſt credendum. Tertio, quid intelligat Parmenides per illud ens, an cœlum an primam intelligentiam, an aliquid aliud: quia eſt diuerſitas apud Græcos, & ſi intelligat primam cauſam, tunc argumẽta Ariſtotelis nullius valoris ſunt. De primo dicunt Simplicius, & Themiſtius, quòd cum Plato dixit, non ens eſſe, non loquitur de nõ ente ſimpliciter; ſed non ente, ſecundũ quid, id eſt quod tale non ens poteſt eſſe, ſicut dicimus, quod accidens eſt nõ ens tale, cum dixit oppoſitũ in Parmenide, loquitur de non ente ſimpliciter: quid ergo intelligit Plato per non ens tale? Themiſtius dixit, ꝙ intelligit quietem, & motum. idem, & aduerſum, vt in Sophiſta declarat Plato, ſunt tamen entia in ſe, ſed vocantur non entia: quia non permanent. Porphyrius dicit, ꝙ per non ens tale intelligit materiam, & formam. ideo dixit Auguſtinus, feciſti nos prope alterum te. & ſic compoſitum dicitur non ens, & ens non ens, vt materia participat ens, vt participat forma, quæ eſt actu. dicit ergo Simplicius, quid ergo habet antecedens contra Platonem? ita etiam Ariſtot. per non ens intellexit eſſe, ſicut dixit accidens non eſſe ens. ideo dicit Simplicius, ꝙ Alexander aliter dicit, ꝙ per non ens intelligit ens ſimpliciter. ſed quomodo nõ declarat Alexãder? Simplicius declarat: quia Plato diuidebat ens in ens independens: & dependens diuidit in intellectuale, quod dependet à prima cauſa, & ſenſibile: & hoc ens appellauit ſimpliciter ens: & deinde dixit non eſſe ſimpliciter; non tamen abſolute: quia dicebat non eſſe ens, quod eſt primũ ens. ideo non hoc reprehendit Platonem, ꝙ concedit non ens eſſe ſimpliciter. ſed dicit Simplicius, nõ inuenitur in Platone. ideo mihi magis placet expoſitio Ioannis, qui dicit, ꝙ Ariſtoteles non damnat Platonem, quòd non ens ſit: quia etiã ipſe Ariſtoteles poſuit non ens eſſe, ſed damnat: quia dicebat, quòd ex ratione Parmenidis, ſequitur, ꝙ non ens ſit, id eſt quod ens ſenſibile ſit. & hæc eſt verior expoſitio. De ſecundo dicit, ꝙ Xenocrates non conſentit illi dicto, immo ponit continuum diuiſibile in infinitum; ſed dicebat, quòd cõtinuum aliquod erat indiuiſibile actu: potentia tamen in infinitum diuiſibile. & ſi dicas, ſi id continuum diuiſibile in infinitum: ergo aliquãdo diuidetur: quia fruſtra eſt illa potentia, quæ non reducitur ad actũ. dicit Simplicius, quod ſenſus illius propoſitionis non eſt, quod continuum ſit diuiſibile in infinitum in potentia, ita quòd illa potentia, non reſpiciat actum diuiſum; ſed reſpicit actum diuidendum: quia ſemper continuũ poteſt diuidi. vel ſecundo intelligit, quod datur magnitudo inſenſibilis per accidẽs: quia linea per ſemper eſt diuiſibilis in infinitũ, ratione formæ habet magnitudinem terminatam: quia omnes formę habent ſuam magnitudinem determinatam: itaque nec in maiori poteſt eſſe, nec in minori, & ita exponit. De tertio dicit Eudemus, quod per ens intelligit cœlum: quia Parmenides appellauit ens eſſe aliquãdo ens, ideo dicebat illud ens eſſe vnũ, ſcilicet vniuerſum etiam: quia aſsimilauit ſphæræ vndequaq; ad medium accedẽti, & tale eſt cœlum: ergo pro ente intelligitur cœlum: & quia appellauit illud ens continuum; ſed cœlum eſt ens continuum: ergo dicit Simplicius, quod non poteſt defendi: quia male aſsimilaſſet ſphærę: quia tunc nõ eſſet cœlum: quia cœlum eſſet corpus ſphæricum, & non ſphæra. etiam, quia poſuit illud ens eſſe immobile: cœlum autem eſt mobile. ideo alij dicunt, quod per illud ens intelligit animam rationalem: quia Auerroes impoſuit Ariſtoteli animam rationalem eſſe vnam numero; ſed cõfutat hanc expoſitionem: quia dicit, quod illud ens intelligit Parmenides permanens in ſe, & indepẽdens. non ita eſt anima rationalis: quia depẽdet à prima cauſa: Aſpaſius exponit per illud ens, quod intellexit ens commune ſubſtantiæ, & accidenti: & tale eſt vnum genere, ſicut Ariſtoteles poſuit. ſed confutaui hanc expoſitionẽ: quia tale ens Parmenidis definitur: genus non definitur. etiam tale ens non prædicatur: genus prædicatur de pluribus differentibus ſpecie ideo quarto dixit Simplicius, & idem Cardinalis, & Auerroes in libro deſtructionum, quòd per illud ens intellexit primam cauſam, quæ eſt vna numero. & ſic dicit, ꝙ ens eſt vnum numero. & appellauit illud omne: quia continet omnia in ſe eminenter. aſſimilauit ſpheræ, dicit Simplicius, myſtice. ſed, quomodo non exponit. Dico, quòd quo ad hoc: quia, ſicut ſphæra recurrit in ſe ipſam: quia nõ habet principium, nec medium in finem determinatum, ita in illo ente intellectus, intellectio, & id quod intelligitur, ſunt idem, ideo ſuper ſe ipſum reuertitur, ideo aſsimilauit ſphærę. dixit illud ens eſſe continuum, ſicut cauſa dicitur continua, & contigua ſui effectui, ita dicit, quòd tale ens ſit contiguum generabilibus, & corruptibilibus. Sed dices, argumenta ergo Platonis, & Ariſtotelis contra Parmenidem nulla erant: quia Plato arguebat, ꝙ ens nõ erat vnum: quia dicebat, duplex eſt mundus; intellectualis, & ſenſibilis. ideo entia sũt plura. ſecũdo, quia negauit conſequentiam Parmenidis, quòd ens eſſet vnum: quia in ſecunda differentia erat ens. ita Ariſtoteles arguebat, quòd ens non continuum: quia dicebat de ſubſtantia, & accidente, ideo plura erunt entia. etiam, quia ens non poteſt eſſe vnum numero indiuiſibile, nec continuatione, nec ratione: ergo plura erunt entia. Dicetis, quòd reuera illa argumenta parum cogunt aduerſus Parmenidem, ſi intelligamus mentem Parmenidis, vt diximus. ſed ipſi reprehẽdunt tantum corticem verborum, ne illa verba præberent occaſionem errandi alijs; & mos talis fuit apud antiquos reprehendere, ſi malum pertenderent ſenſum.

LECTIO XLII.

AT AVTEM {phyſici, &c.} Poſtquam reiecit opiniones eorum, qui ponebant ens vnum immobile: quia illa opinio nō erat naturalis, qui dicebant ens eſſe vnū, ſcilicet ſubſtant iam primā abſtractam, & negabant naturam: quia negabant motum, cuius principium eſt, natura: nunc vult recitare opinionem illorum, qui naturaliter loquuntur, & ſi aliqui ponebāt vnum principium. dicebant enim illud eſſe vnum ens materiale. & primo proponit arguere cōtra eos, qui ponunt vnum principium, ſecundo, cōtra eos qui plura, & infinita ponunt, & dicit, qui dicunt vnum eſſe principium materiale omnium rerum, aliqui dicunt, ꝙ eſt vnum ex tribus elementis, vel aqua, vel ignis, vel aer: nullus poſuit terram propter difficilem ſui alterationem. aliquis poſuit aliquod medium inter duo elementa: aliqui, vt Anaximander, principium incertum, ſubſtantiam generationis. aliqui ponunt, quòd illo principio generentur omnia corpora non alteratione, ſed motu locali, ſcilicet congregatione, & diſgregatione. & ſic Ariſtoteles, & omnes philoſophi conueniunt, qui ponunt duo contraria cum vno ſubiecto: & aliqui ponunt contraria ex parte ſubiecta denſitatem, & raritatem: aliqui ponunt contraria magis vniuerſalia, & dicunt eſſe exceſſum, & defectum: quidam ponunt huiuſmodi contraria, vt Plato, magnum, & paruū, licet differat Plato ab alijs: quia alij ponunt duo contraria ex parte formæ: Plato poſuit talia duo principia, vt circumſcribunt ſubiectum aliquod, ſcilicet materiam primam: ponit etiam Plato, cauſam efficientem, ſcilicet ideam, quæ eſt exemplar rei producendæ. Alexander dicit, quòd Plato poſuit materiam primam principium, nedū ſenſibilium, ſed etiam idearum, & intelligibilium. obijcit Simplicius Alexādro: quia in intelligibili corpore non poſuit materiam, ideo talis materia non eſt communis æternis, & corruptibilibus, ideo Simplicius dicit, quòd Plato poſuit materiam communem generabilibus, & corruptibilibus: & poſuit cauſam efficientem, ſcilicet ideam, quæ eſt exemplar. & Simplicius, quoad verba notat: quia dixit Ariſtoteles in igne denſius, aere vero ſubtilius, non dixit rarius aere, vt oſtenderet, quòd denſitas reducitur ad craſsitiem, & rarius ad tenuitatem. in prædicamentis vero, quòd rarum, & denſum non ſunt in prædicamento qualitatis, ſed in prędicamento poſitionis. Sed dices, cur Plato nominauit materiā nomine magni, & parui? dicit Simplicius, quòd ideo nominauit illam duplici nomine, ſcilicet magni, & parui: quia myſtice loquebatur: q̄a materia ſui natura eſt informis, & expers quātitatis, ideo appellauit paruū. appellauit magnum, quia ipſa eſt, quæ prius recipit quantitatē, quàm alias formas, vt dixit etiam Auerroes in de ſubſtantia orbis. aliter dixit Ioannes, quòd Plato imitatus eſt mentem Pythagoricorum: quia ſicut ipſi ponebant numerum principium rerum, ita Plato circumſcripſit materiam duplici nomine: quia ſicut forma aſsimilatur vnitati, ita res dicitur vna per formam, ideo forma dicitur vna: & quia numerus recedens ab vnitate primus eſt binarius, ideo circumſcripſit materiam numero binario, ſcilicet nomine magni, & parui, & appellauit eam nomine magni.

Numerat modo eos, qui dicebant principia eſſe plura, vt Anaxagoras, & Empedocles; ſed differunt: quia Anaxagoras ponebat principia multitudine, & numero, & ſpecie infinita: & talia ſunt corpora ſimilaria, vt elementa, ſanguis, os: & ſimilaria dicebat illa eſſe principia omnium rerum. Empedocles poſuit principia eſſe ſimilaria; ſed dixit tātum eſſe quatuor elementa. Anaxagoras poſuit etiam mixta ſimilaria, quia poſuit cauſam efficiētem. Empedocles poſuit litem, & amicitiam. & quia Anaxagoras poſuit mundum generari ex illis ſimilaribus; ſed dixit non interiturum. Empedocles dixit infinities generari, & corrumpi: litigant iſti: quia Auerroes. 8. Phyſicorum dixit Anaxagoram poſuiſſe mundum interiturum. hic Ariſtoteles dixit oppoſitum: qui vitarunt in verba Ariſtotelis, faciunt maximas intricationes. Sed dicatis vos, quòd Auerroes errauit ibi: quia oppoſitum hic dicit Ariſtoteles. ſed dicetis, cur applicauit cōtraria principijs Anaxagoræ, cum Empedocles poſuerit illa principia contraria eſſe? Dico, ſicut dixi in 6. textu, cū dicebam, quòd illud verbum, aut contraria, applicabat Anaxagoræ, non autem Democrito: & quòd attribuit contraria principijs Anaxagoræ: quia ipſe poſuit in ſuis principijs omnia contraria, & quo ad primas qualitates, & quo ad ſecundas, ſcilicet quo ad odorē, & ſaporem. Empedocles autem poſuit illa elementa contraria, quo ad primas qualitates tantum: ideo attribuit Anaxagoræ, non Empedocli, nec Democrito, vt etiā ſupra dixi in textu octauo. videtur autem Anaxagoras, non refutare opinionem ponentium infinita principia naturalia: quia cōfutato, quòd principia nō poſſunt eſſe infinita, & quòd non poſſunt eſſe vnum, relinquitur, quòd principia naturalia erunt finita: dicit ergo, ꝙ Anaxagoras poſuit plura principia infinita, & adſcribit hāc opinionē illi, etſi alij fuerint illius opinionis, vt Democritus; ſed aſcribitur Anaxagoræ: quia præcipuus fuit in illa, quia poſuit principia multitudine infinita, & ſpecie: & dixit talia eſſe ſimilaria, commixta & infinita: & probat ſuam opinionem duplici ratione. prima, ex nihilo nihil fit, & in hoc cōueniunt omnes philoſophi. ideo Parmenides dixit, quòd eſt tantum vnum ens: quia vel illud generatur ex nihilo, vel ex aliquo. ſi ex nihilo, hoc eſt falſum: quia ex nihilo nihil fit: ſi ex ente, erit ergo ens ante ens. dicit Anaxagoras, ſi nihil ex nihilo generatur, relinquitur, ꝙ res naturales generentur ex ſibi aliquo intrinſeco, quia non apparet aliquod extra. ideo res naturales non vere generantur, nec corrumpuntur, ſed congregantur, & ſeparantur. ſed dicit Anaxagoras, quomodo dicimus, quòd hoc vel ex ſe fit, vel ex carne, cum omnia ſint commixta? dicit, quòd dicimus ab elemento prædominante, carne, & addit verbum abſcurum, quòd bifariam ſumitur generatio, vel alteratione, vel ſegregatione. Sed dicetis, quomodo hoc poteſt eſſe? quia ſegregatio eſt motus localis: alteratio eſt motus ad qualitates: quomodo ergo generatio fit ex alteratione, & motu locali? ideo dicit Porphyrius, quòd illa verba non ſunt referenda ad Anaxagoram, ſed ad Democritum, & Anaximenē: quia Democritus ponebat generationē ſegregatione. Anaximenes vero dicebat generationem fieri alteratione. ſed Porphyrio obijcit Simplicius: quia īquit Simplicius quòd Anaxagoras dicit generationem fieri alteratione, & ſegregatione, ideo dicit cum Alexandro, ꝙ verba ſunt referenda ad Anaxagoram. Sed dices alteratio eſt ad motum qualis, ſegregatio ad motum localem. ideo dicit Simplicius cū Alexandro, ꝙ Ariſtoteles primo de generatione dixit, ꝙ Anaxagoras ignorauit propriā vocem: quia aliquando dixit generationem fieri alteratione, aliquando ſegregatione.

Amplius {autem ex eo, quod.} Ponit ſecundam rationē: quia dicit, videntur contraria ex ſe inuicem fieri, vt calidū ex frigido, humidum ex ſicco, & album ex nigro, cum cōtraria non poſsint ſeinuicem generare, ſed magis ſe interimant: neceſſe ergo quòd in vno contrariorum inſit alterum, vt in nigro album, & ſic de alijs: reſtat ergo verū eſſe, quòd principia ſint ſimilaria, & commixta multitudine, ac ſpecie infinita. Sed dicetis, quomodo dixit, quòd infinito

prædom-

prædominatur aliquid: quia dixit, quod appellatur à prædominante, & ſi ſic commixtum ex infinitis partibus, tanquá à prædominantibus contraria. infinito enim nihil prædominari poteſt: ergo nó eſt verum eius dictum. Dico, quòd reuera infinito nihil prędominatur, ſed dicit ꝙ aliqua prędominatur, quo ad ſenſum reſpectu aliarum partium.

LECTIO XLIII.

IN FINITTM ſecundum. } quod infinitũ recitauit opiniones Anaxagoræ, hoc loco vult illam euertere, & in tertio cęli curioſe hanc perſequitur, & pluribus argumẽtis vtitur aduerſus Anaxagoram: quia plures erant ſuppoſitiones, ideo pluribus vtitur argumẽtis. prima erant, quòd erant infinita corpora ſimilaria, inuicem commixta, & infinitum nó poſſunt ſeparari ab inuicem, & infinita multitudine, & ſpecie, ideo dixit, quòd nó erat vera generatio rerum naturalium, ſed magis ſegregatio, occurrit ergo Ariſtoteles primo illi ſuppoſitioni, quòd infinita ſint corpora ſimilaria ſpecie, & multitudine: & arguit ſic. infinitum qua infinitum, ignotum eſt: ergo omne infinitum eſt ignotum: quia valet ex reduplicatiua inferre vniuerſales, vt ſecundo Priorum: quia valet homo, in quãtum homo eſt riſibilis: ergo omnis homo eſt riſibilis: & ita valet de infinito in infinitum, in quantum infinitum ſciri nó poteſt quo nullum infinitum. duplex enim eſt infinitum, vnum ſecundum quantitatem cótinuam, vt ponebat Anaximenes, qui dicebat principium eſſe indeterminatum, & finitum: aliud eſt infinitum ſecundum quantitatem diſcretam. ſi ergo Anaxagoras ponit principia infinita ſimilaria: ergo erunt ignota: ergo & compoſita: ergo & compoſita ex cauſis: quia ſcire arbitramur, cum cauſam cognoſcimus. ſed cum cauſæ ſint infinitæ, ignotæ ſunt: ergo & cõpoſita erũt ignota. & ſic auferunt ſcientiam naturalis. ſed huic obijcit Porphyrius: quia omnis demõſtratio debet eſſe ex proprijs concluſionis demonſtrandæ. ſed iſta non procedit ex proprijs: quia etiam procedit aduerſus Democritum: quia probat principia infinita multitudine, & ita Leuſippus: quomodo ergo demonſtratio Ariſtotelis eſt demonſtratio? ſecundo, dicit Simplicius ex verbis Anaxagoræ, quòd hęc ratio non cogit aduerſus oppoſitiones eius: quia Anaxagoras ponebat illa principia infinita quo ad nos, ſecundum naturam autem finita. & probat hoc Simplicius: quia dixit, mens diuina ſecernit hæc ab inuicem: ergo cognouit ea: ergo ſunt finita ſecundum naturam. de primo dicit Porphyrius, ꝙ reuera non eſt demonſtratio: ſed eſt ratio dialectica procedens ex communibus. ſed Porphyrio obijcit Simplicius, & Alexander: quia hęc ratio non eſt communis Democrito, & Leuſippo; ſed tantum propria Anaxagoræ: quia Democritus ponebat principia infinita in multitudine, ſed Anaxagoras quo ad ſpeciem, ideo propria ei. ſed non intelligo Simplicium; & mirãdum eſt de eo: quia ratio Porphyrij ſtat: quia Ariſtoteles dixit infinitum, quà infinitum eſt ignotum: ergo omne infinitum eſt ignotũ: ergo ratio communis etiam Democrito: etiam quia dicebat Anaxagoras, quòd principia erant infinita & quoad multitudinẽ, & quo ad ſpecies: ſecũdo, quia dicit quòd Democritus non poſuit principia eſſe infinita, quoad ſpecies: falſum eſt; quia etiam ſecundum ſpeciem poſuit infinita; ſed dixit differre figura talia corpora lectilia, quæ figuræ apud ipſum ſunt infinita, ideo ratio erit communis vtriq;. ideo dico, vt Porphyrius, Ioannes, & Auerroes, quòd hęc ratio eſt dialectica: & dicit Auerroes verba notanda, hoc eſt, quod vult dicere, quod dicunt Latini, quòd duplex eſt logica vna docens, ſcilicet quam docemur, alia vtens, qua vtimur in alijs ſcientijs. & logice quam docemus, eſt finis & ſubiectũ, vt dixi, & modus ſciendi per quem intelligit logicam: etiá quia talis modus ſciendi ducit nos in cognitionem ignoti: & ignotum tripliciter notificatur: quia vel eſt ſimplex, vel complexũ. ſi ſimplex, notificatur definitione, & diuiſione: ſi complexum, notificatur argumẽtatione, quæ eſt quadruplex. ideo Ariſtoteles docet definire, diuidere, & arguere. logica vtẽs eſt eadem cum docẽte, differt tantum ratione: quia dicitur vtens, vt eſt habitus, quo vtor in alijs ſcientijs, vnde dicitur ſi ſcientiæ debent eſſe ſcientiæ, oportet quòd vtantur logica: quia nemo ſcit, quod neſciat ſe ſcire: vnde ſi dubitat ſe ſcire, nó ſcit: & cum ſcire ſit per definitionem, diuiſionem, argumentationem; vnde ſiquis non ſcit ſe definire, non habet ſcientiam, ſed habitum; ideo iuriſtæ non habent ſcientiam; ſed tantum opinionem: quia neſciunt ſe definire, & diuidere: quia ignorant definitionem, & diuiſionem, & argumentationem: & eadem met diſtinctio datur de parte logice, ſcilicet de dialectica. quia vel eſt docens, & ſic eſt ſubiecti determinati: quia, cuius ſubiectum eſt ſyllogiſmus topicus, eſt dialectica vtens illa, qua vtimur in alijs ſcientijs, & iſta non habet determinatum genus ſubiecti: quia in omnibus ſcientijs ingreditur. dicitur etiam ratio dialectica; vt accipit propoſitionem in logica declaratam: & in alijs ſcientijs vtitur exemplo, ſicut iſta propoſitio: infinitum, quà infinitum, eſt ignotum: accipitur in primo Poſteriorum. & hic cauſa vtitur, ideo ratio eſt dialectica: duo ergo, vt Porphyrius, Ioannes, & Auerroes quòd illa ratio eſt communis: quia procedit ex communibus: quia accipit illam propoſitionem, quòd infinitum, qua infinitũ eſt ignotum, quæ communis eſt Democrito, & Leuſippo, non ſolum Anaxagoræ, vt dicebat ſimplicius. de ſecundo dicit Simplicius adhuc ſtat argumentum Ariſtotelis: quia ſi illa principia ſunt infinita, quoad nos ſunt nobis ignota: & ſic compoſita ex illis erunt ignota: & ſic ſcientia naturalis nulla erit. Amplius ſecunda ratio ad ſecundam ſuppoſitionem, quæ dicebat, quòd corpora ſimilaria ſunt inuicem commixta, inquit Ariſtoteles, impoſsibilis eſt hæc ſuppoſitio prima, ratio eſt iſta omnis forma naturalis ſecundum ſpeciem, qua valet indeterminato quanto ſubſiſtit; & eſt, id eſt omnis res naturalis habet ſuam maximam quantitatem, ſub qua poteſt generari, & materiam, ſub qua poteſt generari: & probat Ariſtoteles inductione: & primo in toto, quia totum eſt ſecundum determinatam quantitatem, & ita ſuppoſuit inductiuæ in toto, & in toto artificiali, & naturali: quia in artificialibus ſerra non fit in infinitum ſecundum magnitudinem, nec ſecundum paruitatem: quia ſi ſic careret fine, propter quem facta eſt: & ita in artificialibus cæteris, ita de toto naturali: quia omnino ſecundum ſui naturam habet determinatam quantitatem, quo ad magnitudinem, quia non poteſt pertingere vſque ad cœlum; etiam licet habeat minimam quantitatem, ſub qua poteſt generari. ideo Ariſtoteles in libro de generatione animalium, quærens cur fiunt plures fætus ex illa ſuperflua materia & non fiat tantum vnus fœtus, dixit, quòd non poteſt generari vnus fætus: quia determinata eſt magnitudo, ſub qua poteſt generari homo. ideo plures generantur fætus. ita in plantis patet, & Ariſtoteles, quaſi omittens hanc rationem, ſumit inductionem de partibus: & partes ſunt duplices, vel diſsimilares, vel ſimilares. oſtendit, quòd de ſimilaribus, & diſsimilaribus non ſit vera ſuppoſitio: quia homo habet caput, quod eſt pars heterogenea: quia homo nó poteſt generari cum capite infinito, ſed cum determinato.

probat

probat de ſimilaribus, quòd ipſæ habent determinatã quantitatem: quia ſi partes creſcunt infinitum, & totum creſcit etiam; quia ſi os, caro decreſcunt in infinitum: ergo & totum. ita ſi partes diminuantur in in finitum: ergo & totum; ſed totum non poteſt nec creſcere, nec diminui in infinitum, vt planta, &c. ergo nec partes. & ita Ariſtoteles probat ex partibus illam ſuppoſitionem, & dicit, ſi partes creſcunt in infinitum, & totum etiam primus ſenſus eſt: quia Ariſtoteles limitat propoſitionem: quia non eſt verum de partibus eſſentialibus: quia partes eſſentiales, ſcilicet materia & forma non augentur, etiam quia in partes eſſentiales non diuiditur totum. primo dicit Ioannes, ſed in partes integrales. ideo non eſt vera ſuppoſitio de partibus eſſentialibus, ſed de integralibus. duplex ſenſus, quòd nec eſt vera de partibus integralibus omnibus: qnia caro in manu diuiditur in infinitum, & diminuitur itidem; tamen totum non, ſed vera de partibus integralibus, quæ ſunt in actu, & non quæ ſunt in potentia partes, hoc eſt dictum, cuius partes poſſunt per ſe ſubſiſtere. in talibus eſt vera ſuppoſitio de partibus in potentia, id eſt quæ non poſſunt per ſe ſubſiſtere non eſt vera: partes autem actu ſunt, vt manus, brachium, quæ per ſe poſſunt ſubſiſtere: partes potentia ſunt, vt minimum minima carne, & minimum minimo oſſe. & ſic de alijs partibus, quæ non poſſunt ſubſiſtere. Tertia expoſitio, quòd Ariſtoteles referat hæc verba ad Anaxagoram: qnia ille poſuit in omni re naturali debere dari minimum, & ita poſuit: quia, ſi non poſuiſſet in ſectile corpus poſſe dimidi, & ſic non poterit eſſe principium: quia principium debet eſſe æternum, quod ideo poſuit corpus in ſectile. & ideo Ariſtoteles referebat ad Anaxagoram, quòd ſuppoſitio eſſet vera, quòd in re naturali detur maximum & minimum. Eſt aliud verbum, Fructus. Alexander exponit ſemen: ſed ei obijcit Simplicius, quia ſemen ſecundũ Arſt. enumeratnr inter cauſas effectiuas. ideo euaneſcit ille calor ſeminis, id eſt ſpiritus generatiui, & non ſit pars totius, ſed pro fructu intelligit pericarpion. id eſt carnem illam inuoluentem fructus ipſos: fructus autem appellatur καρπὸν, & tale pericarpion poteſt eſſe pars plantæ materialis; ſed ſemen non poteſt eſſe pars plantæ: qnia tantum actiuæ concurrit, & euaneſcit. ideo pro fructu pericarpion intelligendum, vt dicit Simplicius, & bene.

LECTIO XLIIII.

EXPONEBAT nobis Ariſtoteles opinionem Anaxagoræ, qui dicebat principia rerum naturalium eſſe infinita, nedum multitudine, ſed ſpecie etiam, & poſuit ita commixta, quòd infinitum poterat ſecerni: & dixit omnia corpora naturalia generari ſegregatione ſuarum partium. reprehendebat Ariſtoteles hanc opinionem, & primo occurrebat primæ ſuppoſitioni, in qua dicebat principia eſſe infinita ſimilia, & in infinitum poterunt ſecerni reliqua corpora naturalia: quia dicebat Ariſtoteles, quòd non eſt verum: quia omnis forma naturalis eſt indeterminatiuo quanto, & probatur inductione: quia homo non poteſt generari ſub quantitate milij, nec ſub quantitate totius mundi: itaque homo habet determinatam quãtitatem, ſub qua poteſt augeri, nec poteſt augeri in infinitam quantitatem, nec minui, ita de plantis contingit, & Ariſtoteles probat de partibus: quia dicebat, caput requirit determinatam quantitatem, ſub qua poteſt augeri. itaque ſub minori non poteſt generari, nec poteſt augeri in infinitum: & probat Ariſtoteles quòd partes non poſſunt augeri in infinitum: quia cuius partes augentur in infinitum, ita & totum, ſed totum viuens non poteſt augeri in infinitum: ergo nec partes, ita nec poſſunt in infinitum diminui: quia etiam totum viuens diminueretur, ita partes ſimilares non poſſunt augeri in infinitum: quia ſi ſic, & partes diſſimilares: qnia ex ſimilaribus conſtant, quod tamen eſt falſum, nec illæ partes poſſunt in infinitum diminui: & ita erat de artificialibus vt dicebat Ioan. Grammaticus. Secũda ſuppoſitio, quia dicit, quòd corpus infinitum ablatione infiniti abſumitur, id eſt menſuratur, vt exponit Ioannes: quia corpus infinitum menſuratur finito: quia maior quantitas menſuratur minori, & dixit aſſumitur: quia metiẽdo partes infiniri multoties aſſumitur, & ſic aſſumitur in infinitũ: ex illis ergo duabus ſuppoſitionibus arguit Ariſtoteles: quia dicit, cum ſeparamus carnem ab aqua continuo, cum qualibet caro ſubſiſtat, & illa, quæ ſecernitur, non poteſt eſſe minor materia, & ſic in illa aqua erunt infinita magnitudine æqualia, ſcilicet ad minimum, & ſic ex ablatione fini i non aſſumetur ſinitum. oppoſitum dicit mathematicus. ſi ergo diceris, quòd poſſunt ſecerni infinitæ partes carnis ab aqua, ſequetur abſurdum dictum. ſi diceris, quòd non poſſunt ſecerni, dabitur ergo pars parua aquæ ex aqua non poterit ſecerni aqua: ergo non qualibet pars ſimilaris miſcetur parti ſimilari, cuius oppoſitum dixit ipſe: probat ergo Ariſtoteles per cõtradictoria: quia dicit vel ex illa aqua ſecernentur infinitæ partes carnis, vel non ex vtroque membro ſequuntur abſurda. dabitur ex Simplicio: quia Ariſtoteles dixit dari minimam carnem, quæ poſsit ſeorſum ſubſiſtere, quia minima non poteſt dari, & de alijs: eſt ergo dubitatio, qnia omne corpus naturale eſt continuum: quia quantum, & omne continuum eſt diuiſibile in infinitum: omnis caro in ſua ſpecie poteſt diuidi, & totum eſt maius ſua parte: ergo non datur minima caro, & ita non datur minimum corpus. ſecundo dicit Simplicius: quia Ariſtoteles laborat, quòd omnis forma ſit indeterminata quantitate, & Ariſtoteles probauit in partibus, & non debuit laborare in hac ſuppoſitione: quia Anaxagoras illam concedit: quia poſuit principia ſimilaria eſſe perpetua, quia principia. & talia dicebat etiam inſectilia: quia ſi diuiderentur, non eſſet æterna. tertio, quia dicit Ioannes, quòd illa conditionalis eſt falſa, quòd ſi in infinitum decreſcit pars vnius, quòd & in infinitum decreſcit totum: quia dato, quòd partes decreſcant in infinitum ſecundum magnitudinem, poſſunt tamen augeri ſecundum numerum. & totum non creſcit in infinitum. ſecundo, quia os, & caro poſſunt minui in infinitum, & totum non minuetur in infinitum: quia partes diſſimilares non poſſunt augeri in infinitum: quia illæ partes diſſimilares non habent figuram: & ſic habent determinatam quantitatem; partes tamen ſimilares poſſunt augeri in infinitum. quarto, quia Ariſtoteles dixit, quòd fructus erat pars plantæ. exponebat Alexander pro fructu, id eſt ſemẽ; ſed Simplicius obijcit, & dicit, quòd nomine fructus intelligit principium, id eſt caro illa, quæ ſe habet, vt materia generationis: illi fructus ſe habent, vt cauſa effectiua. hæc expoſitio habet dubitationem: quia Theophraſtus dicit, primo de hiſtoria animalium primo, quòd fructus in planta non eſt pars plantæ: itaque pomum non eſt pars plantæ, ſicut fœtus non eſt pars mulieris; ſed ſunt agnata. & ita dixit Galenus. 1 1. de quinto med. quia agnata duplicia ſunt, vel ſunt eiuſdem ſpeciei, ſicut lana reſpectu ouis. etenim à natura naſcitur in oue. aliqua ſunt agnata non eiuſdem generis, vt viſcus reſpectu aliarum plantarum. de primo, cum dicis, corpus naturale eſt diuiſibile in infintum, dicit Ioannes, quòd poteſt accipi caro, vt corpus continuum: & ſic eſt

diuiſibilis

diuiſibilis in infinitū,& non datur minima caro, & ita reſpectn materiæ eſt diuiſibilis in infinitū: quia materia nullam ſibi determinatā quantitatem deteıminat. ideo primo cœli definiuit corpus naturale diuiſibile in infinitum reſpectu materiæ: & hoc pacto non datur minima caro. potest conſiderari caro, vt ſub propria forma, & ſic habet determinatā quantitatem. ratio eſt, dicit Simplicius, & Ioannes: quia vnumquodque determinat ſibi determinatā qualitatē: quia homo determinat complexioē determinatam. ita etiam forma naturalis cum determinat, debet determinare propriam qualitatē, & ſic omnes formæ naturales, ſiue ſint ſubſtantiæ, ſiue qualitates, habent determinatā quantitatē. De ſecundo dico, ꝙ Ariſtoteles probauit illā ſuppoſitionē, vt oſtenderet illā ſumi non tātum ab Anaxagora, ſed etiam ſecundum rei veritatem, ideo nō fruſtra laborat. De tertio dico, ꝙ accipit numerum determinatum partium, ex quibus conſtat capnt. ſi dicas, poſſunt augeri illæ partes ſecundum numerum, verum eſt. ſed Ariſtoteles non ita accipit, ſed accipit numerum determinatū partium, ex quibus conſtat totum ipſum, & dicit, ꝙ ſi illæ partes in infinitum decreſcenr, etiam & totū. De ſecundo dico negando, ꝙ partes ſimilares poſſunt diminui in infinitū: quia illæ partes determinant ſibi minimā quantitatem. ſecnndo dico, ꝙ & ſi illæ partes ſimilares poſſunt diminui in infinitū; tamen illa cōditionalis eſt falſa per accidens: qnia partes illę nō determinant ſibi figurā: totum antē determinat. ideo totū nō poteſt augeri, ſed partes. De quarto dico, ꝙ reuera fructus, etiā caro, nō ſunt partes plātæ propriæ. ſi Ariſtoteles appellauit illas partes, improprie appellauit, ideo accipiatis loco exēpli.

LECTIO XLV.

AD hęc autem ſi omne. } Arguebamus autem aduerſum Anaxagoram: quia dicebar, omnia corpora ſimilaria inuicē cōmiſceri, itaq; quodlibet ex quolibet ſecernatur: reiecit Ariſtoteles primo qnia dicebat ad hoc ſe qui principia eſſe infinita, ſed cum de infinitis nulla ſit ſciētia, periret etiam ſcientia naturalis. dixit ſecundo, ꝙ quælibet pars ſimilaris non poteſt ſecari ex qualibet parte: quia datur minima magnitudo, ſub qua generatur caro, & maxima, ſub qua augetur: accipiatur ergo minima, an ex illa poteſt ſecerni alia portio. & ſi ſiet caro ergo remanens erit minor minima. quod implicat contradictionem. ſi non poſſumus ſecernere aliā portionem carnis, neq; poſſumus ſegregare aliud corpus ſimilare: quia in omni alio corpore ſublato ineſt caro: quia corpora ſunt inuicem cōmixta: non ergo verum eſt, ꝙ ex quolibet corpore ſimilari poſsit ſecerni quodlibet ſimilare, ſi dicas, ꝙ ex carne illa ſecernitur, ſed illa, quæ remanet, corrumpitur. & ita ait Simplicius erraſſe Anaxagoram ponentem illa corpora eſſe principia rerum naturalium: qnia principia ſunt ęterna, illa autem corruptibilia, quia diuiſibilia. Tertium argumentum: quia ſequeretur, quòd in corpore finito eſſent corpora infinita actu, & nedū infinita, ſed etiam infinities infinita ſpecie diſtincta, & ſic infinita corpora erunt in finito corpore infinities infinita: quia in qnolibet corpore ſunt alia corpora ſpecie diſtincta infinita. & ſic ſequitur, qnòd infinitū erit maius infinito: quia vna portio eſt maior altera: & cum quælibet infinita contineat corpora, vtræque infinitæ; & tamen vna erit maior altera: tamen infinitum non eſt maius infinito: quia maius, & minus competunt quātitati finitæ, ſi aliquis dicat, quòd Anaxagoras poſuit illa principia infinita, quoad nos, ſed finita quoad naturam. & ſic argumentum Ariſtotelis nullum erit. dicit Simplicius, ꝙ adhnc ſtat argumētum Ariſtotelis, quia periret ſcientia naturalis: quia ex quo illa principia ſunt infinita, ideo ignota, & ita res naturales erūt ignotæ: quia arbitramur ſcire, cū canſas cognoſcimus. etiam ſtat argumentum: quia accipimus partem minimam nigri, an ex illa parte ſecernitur nigrum, & ſic quod remanebit erit minimum minimo, quod eſt abſurdum. ſi nō ergo nec aliud poterit ſecerni ex eo, ſcilicet album, qnod cōmiſcetur ei: qnia ſecundum ipſum cōtraria etiam inuicem mixta. ſecundo, quia cerebrum eſt membrum organicum, vt dixit Galenus; nō ergo ſimilare, vt dicit Ariſtoteles. Dicatis, quòd Ariſtoteles accepit hic pro exemplo, vel ꝙ accepit illam medullarē ſubſtantiā, & ſic videtur ſimilare: qnia quęlibet pars ſubſtātiæ mednllaris eſt ſubſtātia medullaris.

Nequaquam autē. } hic Ariſtoteles obijcit quarto Anaxagoræ: quia dixit, quòd quodlibet cuilibet miſcetur modo, quòd quælibet pars ſimilaris poteſt ſeparari à qualibet parte ſimilari obijcit ſuppoſitioni Ariſtotelis dupliciter, quia inquit, recte dixit; ſed non ſcit, quid eſt hoc dictum. Dico, qnia Anaxagoras ponebat ſimilaria tam ſecundum ſubſtantiam quàm ſecundum accidens: & ſic verum eſt, ꝙ ſimilaria, id eſt accidētia nō poſſunt ſeparari à ſimilaribus, id eſt ſubſtantijs, ſed non eſt ſcite dictū, id eſt non aſsignauit verā cauſam. ſcire enim eſt rem per cauſam cognoſcere. quia dicebat Anaxagoras, quòd nō poterunt ſeparari: quia ſunt commixta illa ſimilaria; ſed hoc eſt falſum: qnia ponit accidentia ſimilaria; tamen non miſcentur cum ſubſtantia, vt primo de generatione dixit Ariſtoteles, quia mixtio eſt, cum partes ſubſtantiales miſcentur: non autē accidens miſcetur ſubſtātiæ, & complexio eſt finis mixtionis, dixit Ariſtoteles primo de generatione, vnde ſi miſceatur aqua ferventiſsima cum frigidiſsima, non ſit mixtio, iſti tamen volunt probare dari æqnale ad pōdus; ſed illa non eſt mixtio: quia mixtio eſt corruptorum vnio. ideo elementa tantum virtualiter remanent. quidquid dixit Auerroes, qui voluit elementa formaliter remanere. ſed de hac quæſtione quinto huius dicemus: nō ergo illa vera cauſa, quòd accidentia non poſſunt ſeparari, qnia ſunt commixta ſubſtantiæ: quia non ſunt cōmixta, vt diximus. Obijcit ſecundo, quia mens, quæ eſt, vt cauſa efficiens, ſtolida erit: quia tentabit facere impoſsibilia, cum tentet ſeparare corpora ſimilia ad inuicem. hoc enim eſt impoſsibile, cum ſint infinita infinities cōmixta, vt dicebat Anaxagoras. obijcit Simplicius, quia dicit, ꝙ mens non intendit ſeparare illa ſimilaria, ſed ex illis producere res naturales. ideo mens non eſt ſtolida. ſecūdo quia Plato in Phædone in perſona Socratis reprehendit Anaxagoram, quòd non poſuit mentem tanquam cauſam efficientem: quid ergo hic dicit Ariſtoteles, ꝙ poſuit mentem. De primo dicit Simplicius, ſi ita eſt, Ariſtoteles tantū reprehendit corticem verborum. De ſecundo dico, quod Plato dicit, quòd non meminerit mentis, ſed dixit quòd nō vtitur ea in proprietatibus rerum, ſed bene eam ponebat; ſed cum cauſam reddebat, recurrebat ad cauſas materiales, & omittebat mētem. qninto obijcit aduerſus Anaxagoras, quia dicebat, quòd generatio eſt ſegregatio rei inexiſtētis. dicit Ariſtoteles, ſi aliquādo ita eſt, non tamen ſemper bene ex pluribus ſruſtris luti fit lutum, & ita ex pluribus partibus domus fit domus; non tamen ſemper ita eſt: quia aer generatur ex aqua, & non ſegregatione, ſed alteratione, cuius ſignum dicit Simplicius: quia ex vno cyatho aquæ fiūt plures cyathi aeris: quomodo ergo aer ſecernitur in tanta quantitate ex aqua? ideo non omnis generatio fit ſegregatione partis inexiſtentis, & ſi aliquādo ita accidat. nūc modo comparat opinionem Empedoclis ad Anaxagorā: quia

ſupra

ſupra de illis mentionem habuit,& dixit,quòd illa Empedoclis eſt rectior, quia poſuit principia finita, ꝙ illa Anaxagoræ, qui infinita. primo, quia infinitum, vt infinitum eſt ignorũ,& ſic res naturales erunt ignoræ.ſecundo,quia fruſtra fiunt per plura,quæ poſſunt fieri per pauciora, & æque bene.ſed per principia finita, ita res naturales fiunt,vt per infinita, & melius: ergo illa oppoſitio Empedoclis eſt rectior. Dixit Ariſtot.quod ego omiſi, quòd impoſsibile eſt ſeparare quodlibet corpus ſimilare à corpore ſimilari ratione quantitatis: quia cuilibet datur minimum ſecundum ſpeciem ſuam nec ratione quantitatis, id eſt ratione accidentium: quia Anaxagoras poſuit etiam accidentia ſimilaria, quæ tamen non poſſunt ſeparari ſubiecto.

LECTIO XLVI.

SVPER capite prælecto ſunt plures dubitationes.prima eſt,quia dixit,quòd ex nihilo nihil fit. & in hoc conueniunt omnes antiqui. eſt ergo dubitatio an forma habeat aliquod eſſe ante generationem; ſi nõ habet aliquod eſſe ante ſui productionem,ex nihilo nihil fiet,cuius oppoſitum dixit Ariſtoteles hic, & etiam ſeptimo Metaphyſices ponens differentiam inter principia naturalia, & artificialia, dixit, quòd artificialia habent eſſe in mouẽte,id eſt efficiente principia rerum naturalium in moto, id eſt in materia: ergo habet eſſe forma ſecũdum aliquod ſui in materia etiam: quia octauo Metaphyſices dixit Ariſtoteles, quòd forma largitur perfectionem, & non multitudinem largiretur: quia & ipſa in numero poneretur: cum ergo tantum perfectionem rei largiatur, in materia præexiſtebat ante ſui generationem.dicẽdum eſt,quòd forma ante ſui eſſe habet eſſe potentiale tum ex parte materiæ, quia poteſt recipi in eam,tum ex parte agentis, quia agens illam producere poteſt.quænam ſit illa potentia Albertus dicit, quòd habet eſſe habituale in materia,quæ verba sũt obſcura.Andreas in expoſitione ſex principiorum dixit, ꝙ ſenſus illorum verborum eſt,quòd forma habet eſſe habituale in materia, id eſt habet eſſe ſecundum partem in materia realem;ſed hæc oppoſitio non poteſt ſtare,nec de mente Alberti:quia cum forma non habeat partes,niſi per accidens, & illæ partes ſunt eiuſdem rationis: cur ergo illa pars eſt magis ab æterno, ꝙ altera in materia? ideo dicit Thomas, & Egidius, quòd iſte erat ſenſus, quòd forma habet eſſe in materia ſecundum eſſentiam:generantur vero ſecũdum exiſtentiam, quæ exiſtẽtia realiter differt ab eſſentia: quia exiſtentia ſecundũ ipſos dicitur accidens;ſed hæc oppoſitio patitur difficultatẽ, quia nulla eſſet generatio ſubſtantialis: quia cum terminus generationis ſubſtantialis ſit ſubſtantia, & per ipſos terminus generationis eſt exiſtẽtia, quæ eſt accidens additum efficientiæ: ergo generatio ſubſtantialis terminabitur ad accidẽs: quid ergo eſt dicendum de formis,cum diuerſi diuerſa ſentiant? ideo dico,quòd forma eſt in potentia tum ex parte materiæ, tũ ex parte agentis.ex parte materiæ, qua poteſt deduci ex potentia eius,ita etiam ex parte agentis: quia agens poteſt producere illam formam, ideo ita non eſt creatio: quia præſupponit ſuum eſſe in materia potentiale, ideo generatur, quia antequam ignis generaretur, præexiſtebat in materia prima. potẽtia à qua poterat adduci, itaque non tãtum materiam præſupponit, ſed oportet, quòd de eius potẽtia deducatur ad hoc, vt generetur. Sed dicetis, quid de anima intellectiua quæ eſt æterna,& nõ deducitur ex potentia materiæ? ideo creatur, quia nõ præſupponit ſeipſam in materia, ita etiam materia prima;& producta à primo opifice.etiam alia corpora cœleſtia producta etiã à Deo:ex nihilo ergo dabitur creatio.Dico,quòd anima illa etiam improducta, ideo nõ creatur, & ita anima intellectiua eſt improducta: quia vna numero ſecundum Auerroem. non enim poteſt multiplicari anima intellectiua: quia eſſent tot animæ intellectuales, quot indiuidua, quod falſum eſt, quoniã apud Ariſtotelem non datur alius ſtatus: quia aliquando plura moriuntur corpora,quàm naſcantur.etiam erat ratio Auerrois.12.Metaphyſices,quia dicebat omnis multiplicatio prouenit ex materia: quia poteſt diuidi in diuerſas partes, cum autem ipſa non deducatur ex potẽtia materiæ:ideo vna eſt, & improducta.vſus eſt etiam hac ratione ad probandum, quòd non poſſunt eſſe plures mundi,& hæc eſt oppoſitio Ariſtotelis, etſi falſa ſit:quia ſecundum rei veritatem tot animæ intellectuales, quot indiuidua: & datur alius ſtatus: ſed philoſophus hoc non poſuit, quia nec ratio, nec ſenſus hoc oſtendebat. ſed eſt dubitatio, quia forma eſt in materia in potẽtia, ꝙ forma poteſt recipi in materia, & deducitur ex eius potentia:& ſic creatio non eſt. Sed dicetis, cur cum forma ſit in potentia ex parte agentis, ſi non præſupponit materiã debet creari, cum temen ſit in potentia, in agente. Dico,ꝙ ratio eſt:quia potentia materiæ paſsiua præſupponit actiuã agentis,vnde non eſt actiua, ſi non ſit paſsiua.iſtæ enim potentiæ ſimul ſe conſequuntur.Exemplum. quia in igne amplius non eſt potentia agentis actiua. ita nec potentia materiæ paſsiua ad inuicem, cum corrumpetur ignis, non poterit ſuſcipere illam formam: quia corruptum amplius non redit idem numero, ſecundo de generatione:quia corruptũ nulla eſt alia ratio,hoc tamen falſum ſecundum theologos: quia Deus,cum ſit infinitæ potẽtiæ,poteſt facere, vt redeat idem numero. eſſet difficultas apud eoſdem: quia cum in ſacramento altaris ſint accidentia, & agens cum approximatur, agat in illa, & deducatur forma, quomodo non erit creatio? quia non præſupponit materiã, cum tamen ibi ſint accidentia,attamen ipſi dicunt quòd creare ſolum Deo cõpetit,& non creaturis. dimittamus vt ipſi ſoluant hoc argumentum,quia ad nos non attinet,cum ſimus philoſophi.ergo ad noſtra argumenta. ad primum dico negando antecedens:quia forma præcedit ſecundum eſſe potentiale tum ex parte materiæ, tum ex parte agentis: quia cum præſupponit potentiam materiæ, ita etiam præſupponit potentiã agentis:quia iſtæ potentiæ ſe comitantur, ideo non eſt creatio,ſed generatio. De ſecũdo dico, quòd habet aliquod eſſe in potentia: quia ex eius potentia deducitur: quia forma largitur perfectionem,& non multitudinem. Dico,quòd non largitur multitudinem:quia generatio illius eſt corruptio alterius. Secunda dubitatio: quia dicit infinitum,quà infinitum eſt ignotum. hoc videtur falſum:quia ſupra definit infinitum,quòd erat quantum indeterminatum.tum ſecundo, quia propoſitio in primo modo dicendi, & in ſecundo verificatur de infinitis indiuiduis.itaque intellectus noſter apprehendit hanc propoſitionem, omnis homo eſt animal rationale. verificatur de infinitis indiuiduis: quia de prҿſentibus,& præteritis,& futuris ſtãte æternitate mũdi. Tertio quia Deus eſt infiniti vigoris, & apprehenditur ab intellectu noſtro ſub ratione infiniti, vt dicit Scotus.& ſic apprehenditur,vt intellectus acquieſcat:quia,ſi apprehẽderetur ſub ratione finiti, intellectus nõ aquieſceret etiam ſeipſum. Deus apprehendit:ergo infinitum poteſt apprehendi, vt infinitum. De primo,cum dicis infinitũ differt, Dico,quòd ex primo,& ſecundo Poſte.duplex eſt definitio,quid nominis,& quid rei:& illa eſt definitio, quid nominis: & figmenta habent definitionem. quid nominis,id

eſt quo

eſt qūod importat illud nomē: & omnis definitio quid rei eſt quid nominis: non autem contra, vt etiam dixit Scotus. ideo quòd illa eſt definitio quid nominis, quando generat notitiam rei. De ſecunda dico, ꝙ illa ſunt infinita in potētia, & non loquitur de illo infinito, ſed de infinito actu, immo illud infinitum potentia, vt infinitum eſt ignotum: quia non poteſt terminari, ideo vt infinitum eſt ignotum, & talis propoſitio eſt nota, vt finita actu: ignora, vt infinita potentia, id eſt per ſucceſsionem. De tertio, Philoſophus negabat aſſumptum, ꝙ Deus ſit infiniti vigoris: quia moueret cœlum in inſtanti. mouet enim effectus, vt dicunt omnes Græci, ſed quid dicerent Theologi, qui ponunt Deum infiniti vigoris. Dico, vt ipſi dicūt, ꝙ infinitum poteſt apprehendi ab infinito intellectu, & ſic Deus ſeipſum apprehendit: quia illa notio eſt infinita, ſicut intellectus infinitus; ſed quid de intellectu noſtro, qui eſt finitus & tamen apprehendit Deum ſub ratione infiniti? dico vt ipſi, ꝙ intellectus noſter apprehendit Deum, vt infinitum non propria virtute, ſed virtute ipſius Dei. Exemplū, quia cum anima noſtra erit in patria apprehendit Deum ſub ratione infiniti, non virtute propria, ſed potentia Dei; non tamen comprehendit Deum: quia comprehendere eſt ex toto; vt intellectus noſter beatus nō ex toto apprehēdit Deum, ſed apprehendit aliquam partem, ſub ratione tamē infiniti, quam voluntas diuina, & voluntas ſecundum merita tot facit apprehendere, ideo non omnes beati ſunt æqualiter beati in patria diſpoſiti. hæc quæſtio quarto ſententiarum diſtinct. quadrageſimanona. Tertia dubitatio, quia dixit ꝙ nullum infinitum poteſt apprehendi à nobis: quia non poteſt comprehendi niſi ex partibus, ex quibus conſtat, & illæ ſunt infinitæ: non poſſunt ergo apprehendi. ſed dubitatio eſt quare, ſi accipiatur totum finitum, illud conſtabit ex partibus infinitis: quia diuiſibile eſt in infinitum diuiſibile. & ſic nō poterit ſciri illud infinitum. Dico, quòd infinitum duplex, infinitum actu, infinitum potētia, & vt potentia infinitum non poteſt comprehendi à nobis: quia non poſſumus comprehendere ſucceſsionē partis poſt partē. immo nec Deus poteſt apprehendere tale infinitum, vt dicit Scotus, ſecundo ſententiarū, diſtinctione ſecunda: quia repugnat potentiæ diuinæ: quia apprehendere partem poſt partem, eſt apprehendere in tempore. Deus autem omnia inſtanti apprehendit. Alio modo conſideratur finitum, vt eſt quantitas finita. & ſic cognoſcitur à nobis, & accipimus partes ad libitum noſtrum: quia accipimus decem partes, vel ſex, vel quatuor: & ſic finitum eſt notum, & ſic habemus ſciētiam rerum naturalium. Eſt quarta dubitatio, an omnis forma naturalis habeat ſuum minimū, & maximum. ex vna parte videtur, ꝙ non: quia Ariſtoteles quinto Metaphyſices, decimaoctaua dixit, ꝙ continuum eſt diuiſibile in infinitum, quod poteſt eſſe vnum ſub alio: ergo non datur minimum: quia corpus naturale eſt continuum, ideo diuiſibile in partes minores, cum infinitum diuiſibile ſit. ſecūdo accipiatur maximus ignis, & apponatur ei combuſtibile, vel ignis comburet, vel non. ſi cōburet combuſtibile, ergo augebitur: & ſic dabitur ignis maior maximo. ſi non comburet, hoc videtur abſurdum: quia ignis paruus comburit tale combuſtibile: ergo talis, qui eſt maximus. & etiam Ariſtoteles fatetur ſecundo de anima quadrageſimaprima, ꝙ combuſtibili appoſito igni ignis augebitur in infinitum. hæc quæſtio poteſt habere triplicem intellectum, primo ex parte potentiæ, id eſt an potentia habeat determinatum pondus, quod poſsit portare, itaq; maius portare non poſſit. ſecundo ex parte durationis an forma naturalis habeat maximum, & minimum tempus, quo poſsit durare. tertio, an forma naturalis habeat maximum, & minimum ſui eſſe reſpectu quantitatis. prima autem diſputatur in Auerroem primo cœli: ſecunda pro Auer. ad ſecundum de generatione: quia Ariſtoteles dicit, nunquam habet periodum ſuæ vitæ. ſed ad abundantiorem doctrinam dicemus de omnibus. Dico, vt intelligatis, quòd debetis imaginari: quia imaginamur vnum gradum magnitudinis vſq; ad ſupremum gradum. & diuidunt magnitudini tripliciter, in parte inferiori, & in parte ſuperiori, & in media: pars inferior nō conuenit homini ratione paruitatis: ſuperior non conuenit ratione magnitudinis: media conuenit ratione commenſurationis. aliqui dicunt, ꝙ datur minima magnitudo affirmatiue, id eſt datur minima magnitudo, ſub qua poteſt generari, & datur minima negatiue, id eſt datur minima quantitas, ſub qua nō poteſt generari. ita datur maxima magnitudo affirmatiue, ſub qua poteſt generari homo, & maxima ſub qua nō poteſt introduci forma hominis. Exemplū. minimus homo ſecūdum ſpeciem affirmatiue eſt, cum eſt ſub tam modica quantitate, ſub qua inueniri poſſet per ſe, & non ſub minori, & eſt cum minima illa magnitudo ſe tenet ex parte inferioris magnitudinis, vt minimus homo negatiue, ſiue excluſiue eſt, cū ſe tenet ex parte maioris magnitudinis, ſub qua per ſe inueniri non poteſt. tamen eſt ſuprema quo ad generationem paruam. ita de maximo. Alia diſtinctio, quòd datur minimum, & maximum ex cauſa intrinſeca. minimum ex cauſa intrinſeca eſt, cum forma hominis repugnant operari, & eſſe in quantitate illa minori: & ita maximum ex cauſa intrinſeca eſt, cum forma hominis ſub maiori quantitate illa data maxima eſſe, ac operari non poteſt. minimum ex cauſa intrinſeca eſt, cum minimum illo non poteſt reſiſtere cōtinenti ſibi contrario per tempus, quamuis illa forma in tanta materia poſsit contineri.

LECTIO XLVII.

ERAT dubitatio difficilis, an formæ naturales terminarētur maximo numero: & erat triplex ſenſus, vnus, an habeat maximā magnitudinem, ſub qua ſtare poſsit, ſecundus, an habeat finitam durationem, ita quod ſit rei determinata periodus. tertius quo ad potentiam, an datur maximum, & minimum quod potētię correſpondeat, ita quod ſit dari maximum pondus, & ita competens, quod non maius dixit pro intellectu quæſtionis, ꝙ duplex erat dari minimum, & maximum dupliciter, minimum negatiue, id eſt minima quantitas, ſub qua non poteſt eſſe minimum affirmatiue, id eſt minima quantitas, ſub qua poteſt eſſe, ita maximum affirmatiue eſt maxima quantitas, ſub qua poteſt eſſe res naturalis. maximum negatiue, quod eſt maxima quantitas, ſub qua nō poteſt eſſe homo, & pro intellectione oportet imaginari illam magnitudinem, quam heri diximus, ſcilicet ꝙ diuiditur in partē inferiorem, quæ non competat ratione magnitudinis: & media prima opinio attribuitur Pico in tractatu proprio, ꝙ calculatur facit proprium tractatum, ſcilicet ꝙ formæ naturales habeant maximam quantitatem, & minimum negatiue: quia datur maxima, cum qua non poteſt eſſe homo, non datur tamen maxima, ſub qua ſtare poſsit. Exemplum. ſi aer corrumpatur in aquam, continue frigeſcit aqua, & reducetur in condenſationem, & continue decreſcit, cum peruenerit ad terminum illum, ſub quo non poteſt ſtare forma aeris, tūc appellatur maxima quantitas, ſub qua nō poteſt ſtare forma: quia non datur maior illa. ſi vero aer tranſeat in naturam ignis datur minima quantitas, ſub qua nō poteſt ſtare for-

ma aeris:quia aer continue caleſcit,& rareſcit,ſed huic opinioni obſtat verbum Ariſtotelis, quia dicit, datur minima caro.dixit enim,accepta minima carne,non dixit negatiue, ſed affirmatiue: & dixit accepta illa carne, an ex illa poſsit ſecerni caro. ſi ſit, tunc dabitur minus numero; ſi non, nec alia pars poterit ſecerni, cũ in qualibet parte ſit caro,& non poteſt dari minor minima carne, ideo Ariſtoteles accepit affirmatiue dari minimam carnem ,& confirmatur ſexto huius,vbi dicit Ariſtoteles , in omni generatiõe datur pars prima.exponit Auerroes pars prima,ſ.prima pars genita affirmatiue, quę eſt minima pars,ſub qua poteſt generari genitũ: & non ſub minori etiã ratione:quia omnis rei permanẽtis habet ſuum primũ inſtãs , in quo eſt, &prius nõ erat. ſi ergo aer generatur ex aqua, & igne,habet ſuum primũ inſtans , in quo habet eſſe , illa quantitas eſt minima, ſub qua poteſt generari aer : quia prius illa quantitas erat quantitas aquæ : ergo datur minimum effectiue. eſt ſecunda opinio,quòd omnis forma naturalis terminatur effectiue, ſed à cauſa extrinſeca: non autem intrinſeca, quia datur minimum viſibile. dicebat Ariſtoteles primo cœli,ꝙ poteſt videri: & ſic datur minimum viſibile, quo minus non poteſt videri à cauſa extrinſeca;tamen quia aere illuminato, ſi ponatur illud viſibile , poteſt cauſare viſionem in oculo, & in tanta diſtantia minimum eo viſibile aere illuminato non poteſt cauſare viſionem in tãta diſtiantia, & ita de carne datur minimum:quia datur minima caro, quæ poſsit reſiſtere corrumpenti , vt puta ꝙ aer ſit virtutis, vt duo, & caro ſit reſiſtentię,vt duo,tunc aer non corrumpet carnem:quia ab æquali non pręuenit actio,non datur illa,quę poſsit reſiſtere aeri,quia aer corrumpet illam, & bipartita eſt opinio. Petrus Mantuanus in tractatu de inſtanti primo,'& vltimo dixit,ꝙ à cauſa intrinſeca non datur minima caro: quia caro eſt continua,& ſic diuiſibilis in infinitum:ita nec poteſt dari maxima,quia quacũque data poteſt dari maior: etiam in heterogeneis nõ datur maxima quantitas:quia in homine nõ datur minimus homo. ꝙ autem quælibet ſit homo, probat :quia conſtat ex corpore, & anima:& dicebat,quòd vnus homo erat infiniti homines, nec datur maximus homo:quia data qualibet parte,ſemper poteſt dari maior.ſed falſum eſt , quòd quælibet pars hominis ſit homo : quia,ſi ſic,infiniti homines eſſent in vno homine, & ſic ex vno homine poſſet fieri exercitus. nec valet, quòd dicit, quælibet pars cõſtat ex corpore,& anima:ergo quælibet pars eſt homo. Dico negando conſequentiam: quia ad hoc, vt ſit homo oppoſitũ,vt conſtet ex corpore, & anima ſeorſum exiſtens,quod non contingit in parte;: quia pars abſciſa à toto eſt æquiuoca. ſi dicatis, homo eſt terminus abſolutus,ideo in eius definitione nec ponitur, nec debet poni reſpectiuũ, ideo nec ſeorſum exiſtens debet poni. dico, etſi non ponatur in definitione hominis,ſeorſum exiſtens: includitur tamen in definitione hominis , ſicut in definitione corporis naturalis non ponitur motus ; includit tamen motum implicite in ſui definitione.Ioannes Scotus ſecundo ſententiarũ , quæſtione nona dixit,ꝙ duplices ſubſtãtię.vna eſt homiomeria,quæ eſt eiuſdem nominis cum toto.vt primo de hiſtoria animalium dixit Ariſtoteles,& diſsimilaris,quę non habet idem nomen cum toto: dicit in ſubſtantijs ſimilaribus deſcendendo,non datur minimum,id eſt quod non datur minima caro : aſcendẽdo vero datur maximum corpus homogeneum:ideo dixit tertio Sententiarum, ꝙ Deus nõ poteſt creare hominem infinitum , nec gratiam infinitam: in ſubſtantijs vero eterogeneis dixit dari maximum,& minimum.& ratio :quia corpora eterogenea determinant ſibi quantitatem . ſic probauit Ariſtoteles ꝙ cœlum habeat figuram,quia animatum:ita ergo cum homo determinet ſibi figuram habet maximum, & minimum: quia ad hoc, vt aliquid ſit figuratum,oportet,vt habeat maximum,& minimum:quia non ſub quacunque maiori aut minori quantitate . ideo corpora eterogenea habent maximum & minimum. ſed hæc oppoſitio non caret dubitatione: quia dicit , datur minimum viſibile:quia, ſi accipiantur minus,poteſt videri,vt dicam infra.ideo dico tertio,ꝙ omnis forma naturalis habet minimum, ſub qua poteſt eſſe affirmatiue , & à cauſa intrinſeca:& ita habet maximum,& ſic generaliter omne corpus ſubſiſtens habet maximum,& minimum ex cauſa intrinſeca.huius opinionis eſt diuus Thomas,& Gregorius Ariminenſis in diſputatione de charitate ,& Gandauiẽſis & Gaetanus:pro hac opinione eſt auctoritas Ariſtotelis hic, qui dicit dari minimam carnem: quia dicit accipiamus minimam carnem.dicũt aduerſarij,quòd hic accipit ab operatione,non ꝙ ita ſentiat.& etiam dixit Sueſſanus;ſed Ioannes , & Simplicius dixerunt oppoſitum ꝙ nedum accepit ab opinione , ſed etiam à ſeipſo.ideo probauit, ꝙ datur minima caro:quia,ſi illa augeretur, & partis diſsimilares augerentur , quod eſt abſurdum:ergo ſecũdum eſt argumẽtum ex ſecundo de anima.4 t .vbi dixit ignem non eſſe cauſam augmentationis: quia ignis augeretur in infinitum ; ſed dixit animam eſſe cauſam augmentationis: quia omnium natura conſtantiũ eſt determinata quantitas,ideo formæ intrinſecæ habeant magnitudinem determinatam, & non rationem materiæ.tertio, quod eſt argumentũ Ioannis:quia ſicut eſt in arte,ita in natura; ſed in arte videmus', ꝙ datur maximum, & minimum: ergo & in natura.quarto, quia nedum qualitates determinent formæ ſubſtantiales,ſed etiam quantitates.Exemplum. ſi ex aqua fit aer,caliditas in ea non agit & creſcit illa quantitas : ſignum ergo, ꝙ habeat quantitatem maiorem aqua: & ſic habet quantitatem determinatam.quinto , experientia, quia videmus,ſi ex aere fiet aqua , ſemper decreſcit quantitas aeris : & fuit exemplum Auerrois de ſubſtantia orbis: etiam quia, ſi ſit ſulfur,& approximatur ei ignis,videmus,ꝙ nõ inflammatur per aliquam moram:deinde ſubito vna pars inflammatur,& illa eſt,ſub qua poteſt generari ignis;& ſic datur minima pars.ideo dico, ꝙ aliquæ ſunt diſsimilares.& de partibus ſimilaribus fit hoc cõmune dictum, ꝙ omne tale corpus habet quantitatem determinatam:ergo ad maximum, & minimum : & fuit dictum Ariſtotelis ſecundo de generatione animalium,capite ſecundo,ꝙ omne corpus terminatur maximo, & minimo.& quarto eiuſdem, capite quarto , quærit hoc ploblema , cur ex multa quantitate non generatur vnus fœtus magnus,ſed plures?dicitur, quia homo habet maximam, & minimam magnitudinem, ſub qua poteſt eſſe, ideo generantur plures fœtus . ideo dixit, animalis eſt certa magnitudo & ad maximum , & minimum,quam non ſupergreditur. ita dixit Auerroes ſexto Phyſicorũ,vbi dixit, ꝙ terminus embrionis eſt determinatus, etiam quia corpus animatum habet figurationem . figura enim habet terminum. etiam videmus experientia , quòd elephas non generatur ſub quãtitate montis.ita de homine,& alijs.ideo experientia patet,quod in vnoquoque corpore naturali datur maximum , & minimum affirmatiue à cauſa intrinſeca. Sed dicetis,ſi generatio hominis ſucceſsiua eſt , vt dicit Auerroes primo huius,quomodo ergo datur minima quãtitas, ſub qua poteſt generari homo:quia, cum ſit ſucceſsiua, ergo nulla eſt minima quantitas ſub qua poteſt generari:quia,cum hæ partes, & illæ prius accipiant formam animam hominis,quàm aliæ,ideo non datur minima quantitas:quia, ſi ſic,generatio hominis eſſet ſubita, & nõ ſucceſſiua.

ſiua.oppoſitum dixit Auerroes,& Ariſtoteles,primo de hiſtoria animalium, & primo de generatione animaliū,ideo Ariſtoteles dixit, cor primo generatur. Dico,quòd reuera eſt generatio ſucceſsiua, non quo ad partes actu,ſed ad partes potentia.

LECTIO XLVIII.

ERAT prima concluſio, ꝙ in omni ſubſtantia heterogenea dabatur maxima,& minima quantitas affirmatiue ex cauſa intrinſeca; alia tamen eſt minima conueniens homini,alia plātæ:quia illa corpora etiam differunt ſpecie. Erat dubitatio, quia generatio hominis eſt ſucceſsiua, ideo per partes ante partes: nulla ergo portio materię ſimul informatur ab anima intellectiua: quia datur minimus homo, vt verbi gratia,pedalis:ſi autem ſub quātitate dimidij pedis poteſt eſſe anima rationalis:ergo illa nō erit minima quantitas: neceſſe ergo,ſi datur minima quātitas,ſub qua poſsit eſſe homo, ꝙ ſubito generetur anima intellectiua. ꝙ ſi generatio eſt ſucceſsiua, impoſsibile hoc eſt,ꝙ ſub aliqua portione materiæ ſubito introducatur forma hominis. quòd autem ſucceſsiue ſit generatio hominis, dicebat Auerroes primo huius: quia non deſiſtunt partes ſeminis recedere, donec introducatur forma hominis. ideo Ariſtoteles dicebat,quòd in generatione animalis, primo generatur cor, non vt dicebat Theophraſtus,qui volebat, ꝙ inciperet generatio omnium membrorū ſimul, ſed paulo citius abſolueretur cor. Galenus dixit, ꝙ erat hepar primo genitū. conuenit ergo Ariſtoteles cum Hippocrate,ꝙ prius generetur cor, & ſuceſsiua eſt generatio hominis, ideo Ariſtoteles primo de hiſtoria animaliū dicebat, ꝙ in albo oui tertio die apparet gutta ſanguinis: deinde generantur aliæ partes. Dico,ſi Auerroes intelligat,ꝙ ſucceſsiue ſit generatio hominis,ſicut eſt inflammatio ligni, in rei veritate non datur minima quantitas in homine:quia concludet argumentū:quia ſemper minor portio, ſub qua diſponitur quantitas hominis ſi vero intelligamus, ꝙ cor prius generetur,vel hepar,deinde alia membra, non ſequitur, ꝙ detur minima quantitas,ſub qua poſsit generari homo: & non debetis imaginari,quòd, & ſi cor prius generatur,in eo introducatur intellectiua anima,ſed vegetatiua, & ſenſitiua imperfecta: cum vero completa eſt omnium membrorū generatio, introducetur forma:& ſic anima fit vna numero,non mouetur de motu locali,ſed fit præſens vni indiuiduo, cui nō erat præſens.ideo dico, ꝙ generatio hominis eſt ſucceſsiua, quo ad partes in potentia:quia primo cor tum generatio non eſt ſucceſsiua, quo ad partes in actu, id eſt cum in corde erit introducta forma hominis:quomodo dabitur ergo minima quantitas, ſub qua poſsit generari homo? dico, quia datur minimum cor,minimum cerebrum, ideo datur minima quātitas,qua poteſt informare homo, & minorem non poteſt informare.ideo dico,negando argumentum,ſucceſsiua eſt generatio hominis:ergo nulla eſt portio materiæ minima,ſub qua generatur homo.nego argumentum, quia ſucceſsiua eſt generatio quo ad partes in potentia, ita intelligit Auerroes. verum eſt, ſed tamen videtur Auerroes habere alium ſenſum:qui a dicit non ceſſant partes ſeminis corrumpi: & per ſemen intelligit ſanguinem mēſtruum. ſemē enim proprie eſt à maſculo, & ſanguis mēſtruus improprie eſt:quia ſemē dicit cauſam effectiuam ſecundum Ariſtotelem. quicquid dicunt medici Auerroi videtur ꝙ per ſucceſsionem introducatur forma hominis,quod eſt abſurdum. Secunda dubitatio,accipiatur homo ſub minima quātitate, vt bipedali magnitudine: deinde augeatur in bipedali, ſequetur,ſi diuidatur homo,habebit quęlibet pars minimū,& poterit ſubſiſtere;tamen hoc apparet falſum:quia, ſi homo diuidatur, corrumpitur. Dico, ꝙ ille homo cum creſcit in ſecundaria quantitate,non creſcit in ſecundario minimo hominis:ſed bene creſcit in ſecundaria quantitate quantitatis naturalis. ſecus eſt de igne,& carne: quia ſi ignis minimus creſcit duplici quantitate ſui minimi, & diuidatur talis ignis, remanent duo minima per ſe ſubſiſtentia ipſius ignis.non ita de homine: quia etſi homo augeatur in ſecundaria quantitate ſui minimi;non poteſt tamen diuidi in duo minima:quia,ſi diuidatur,corrumpetur;& hoc eſt ob perfectionem hominis, vt ſecundo de anima videtur dicere Ioannes Grammaticus,tertio dato maximo homine, ideo nō poterit impinguari,nec à calore naturali calefieri:quia ex calefactione rarefiet, & augebitur,& non poterit intumeſcere.hæc videntur abſurda eſſe,accipiatur homo minimus talis, non poterit frigefieri:quia ſic condenſabitur, & dabitur homo minimo, vel ſtatim corrumpetur, nec poterit macrefieri.Dicatis,vt aliqui dicunt, ꝙ datur maxima magnitudo, ad quā poterit accedere homo remanens inter limites ſuos;præter naturam tamen talis homo creſcere poteſt, & dabitur maximum,& ita diminuetur creſcendo: quia dabitur minima quantitas, ſub qua nō poterit eſſe, & decreſcendo deueniet ad minimam quantitatem,ſub qua non poteſt eſſe, ideo homo nō nouit in vltimo inſtanti:quia ſicut nouit in vno inſtanti,ita in mille, ſed apud Ariſtotelem datur primum nō eſſe hominis, vt ſexto, & octauo Phyſicorum dixit. ideo male dicunt iſti patres,ꝙ in vltimo inſtanti ſuæ vitæ,ſed loquuntur in bono ſenſu. ſecunda concluſio in ſubſtantia ſimilari,ſiue illa ſit mixta,ſiue ſimplex,ſiue corruptibilis,ſiue æterna,datur maxima quantitas,& minima affirmatiue: vnde orbes cœleſtes,& ſi ſunt æterni habent maximā quantitatem,ſub qua poſſunt eſſe,& ita de alijs orbibus.differūt enim orbes ſpecie adinuicem: ita etiam de ſimilibus corrumpentibus: quia in carne, & oſſe datur maxima quantitas,& minima per ſe ſeorſum exiſtens: inexiſtens tamen nō datur minima caro. ſed contra hanc cōcluſionem inſurrexerunt fere omnes,primo,ex parte totius,& partiū ex Ariſtotelis quinto Metaphyſices,quia dicit,continuum eſt diuiſibile in infinitas partes,quarum quælibet poteſt ſeorſum ſubſiſtere:ergo non datur minima quantitas:quia illa ſemper eſt diuiſibilis. Secundo, accipiatur minima caro. totum enim, & partes ſunt eiuſdem ſpeciei; ſi ergo conuenit toto per ſe exiſtere: ergo & parti: quia in eſſentialibus quicquid conuenit vni indiuiduo per ſe eiuſdem ſpeciei cōpetit alijs, vt rationale competit Socrati,ita & Platoni.ideo quicquid competit carni, competit & parti; cum partes, & totū ſunt eiuſdem rationis. Tertio,partes totius materiei ſunt priores ſuo toto, & poſſunt ſeparari à toto, quinto Metaphyſices:ergo non erat illud minimum,quod poterat ſubſiſtere. Quarto,de nutritione: quia nutrimento diſtribuitur in plantis, & animalibus:quia,verbi gratia,ſi ſupponam, ꝙ animal nutriatur ex ſanguine, tanquam ex alimento proximo, quia accipiatur caro, quæ debeat nutriri; cum carni diſtribuitur ſanguis, an minimus ſanguinis demādatur minimo carnis, illa caro augebitur in duplum, & ſic cras in aliud duplum, fiat maxima magnitudo, ſi vero ſecundum partes minores:dabitur ergo minus minimo,quod eſt intentum.de primo dixit Auerroes ſeptimo Phyſicorum textu ſecundo,& quarto cœli: & hic Ioannes Grammaticus,ꝙ caro,vel alia ſubſtantia ſimilaris poteſt conſiderari,vt quanta, & ſic non datur minimum,& ita loquebatur Ariſtoteles: quia in diuiſionis eſt in partes per ſe ſubſiſtentes poteſt conſiderari ca-

ro, vt corpus naturale, & ſic habet ſuum minimum, & illa non etit diuiſionis: quia ſi diuidatur, corrumpatur; ſed ſecũdum banc reſponſionem inſtetit Scotus ſecundo ſententiarum, diſtinctione ſecunda, quæſt. nona. primo ſequitur, ꝙ idem corpus erit diuiſibile, & non diuiſibile: quia vt quãta, diuiſibilis: vt corpus, non diuiſibilis. ſecundo, corpus naturale, quò naturale eſt quantum, ideo diuiſibile infinitum. ꝙ autem ſit quantum, probat: quia Ariſtoteles primo cœli definiens corpus naturale dixit eſſe cõtinuum, omniquaque diuiſibile: deinde, quia continuum erat genus, definit, ꝙ erat diuiſibile in infinitum: ergo corpus natnrale includit quantum: quia continuum. tertio, cui per ſe competit ſubiectum, per ſe competit paſsio: quia, cui per ſe competit eſſe animalis, cõpetit paſsio animalis; ſed corpori naturali, quà naturale competit quãtum: ergo ei competit ſua paſsio, quæ eſt diuiſibilis infinitum, ideo non datur minimum. De primo dico, ꝙ idem ſit diuiſibile, & non diuiſibile reſpectu tamen diuerſorum: quia & naturale, non eſt diuiſibile: vt quantum, diuiſibile: & ſic hæc non eſt contradictio: quia contradictio eſt de eodem reſpectu eiuſdem. De ſecundo dico, ꝙ corpus naturale, quà naturale eſt quantum, quia eſt prima paſsio competens quantitati: ergo diuiſibile in infinitum concedendo. At dixiſti oppoſitum. Dico, ꝙ poteſt conſiderari corpus naturale, vel reſpectu materiæ, & ſic ſemper eſt diuiſibile in infinitũ, vel reſpectu formæ: & tunc nõ eſt diuiſibile in infinitum; ſed habet minimum ſui. & ita loquebatur primo cœli, ꝙ corpus naturale eſt quantum, & diuiſibile in infinitum reſpectu materię, & non formæ. De tertio eodem modo dico, quòd competit corpori naturali eſſe diuiſibile infinitum reſpectu materiæ, & ratione formæ. eſt indiuiſibile: quia datur ſui minimum, ſub quo poteſt eſſe, quod ſi diuidatur corrumpetur, nec poterit ſubſiſtere.

LECTIO XLIX

ERAT ſecũda dubitatio, quia in homogeneis totũ, & pars ſunt eiuſdem ſpeciei: idem ergo iudicium de toto, & parte, & eſt regula ſecundo cœli, quòd in corporibus homogeneis, quicquid competit vni indiuiduo, alteri competit, ſi ſunt eiuſdem ſpeciei: & quia cœlum erat ſphæricũ, dicebat Ariſtoteles ſecũdo cœli, ita & aſtra: quia ſunt eiuſdem naturæ. cum ergo caro tota, & pars carnis ſit eiuſdem ſpeciei: quidquid ergo competit toti carni, idẽ etiam & parti; ſed toti competit per ſe ſubſiſtere: ergo & parti, & illa pars eſt minor minima: ergo datur minus minimo. Dico, quòd duplicia ſunt prædicata, quæ competunt rei, aliqua ſunt, quæ ſequuntur formam; non tamen abſolute, ſed vt forma eſt in tali materia diſpoſita. exemplum. mas, & femina ſunt eiuſdem ſpeciei: differunt tantum accidentaliter. mas habet generare in femina, & femina in ſeipſa. iſta prędicata competunt per ſe ſpeciei; ſed quia nõ ſequuntur abſolute formam hominis, ſed formam hominis in tali materia, ideo generatio in aliud conuenit mari, & non feminæ. ita de cœlo, vt recedit à polis, velociter mouetur: quà autẽ apud polos, tarde: quia tale prædicatum velociter moueri ſequitur formam orbis in tali materia, ita caro, & pars carnis ſunt eiuſdem ſpeciei; ſed hoc prædicatum ſubſiſtere nõ ſequitur formam carnis abſolute; ſed formam carnis in tali materia diſpoſita, ac tanta. ideo toti carni competit per ſe ſubſiſtere: non autem parti totius. de tertio dico, ſi conſiderantur illæ partes minimæ, vt natura priores, toto non repugnat eis ſeorſum exiſtere ſine toto; repugnat tamen eis aliunde reſpectu quantitatis: quia illa quantitas non eſt tãta, cum qua poſsit ſubſiſtere; non inconuenit tantum. repugnet reſpectu alterius non repugnat. erat quartum argumẽtum de nutritione: quia cum ſanguis ſit vltimum alimentũ in potentia, an minimum ſanguinis correſpondeat minimo carnis: & ſic in ſingula nutritione pars animalis duplabitur, quòd eſt falſum: quia homo creſceret in maximã quantitatem; ſi vero minimũ ſanguinis ſit minimum minimo correſpondens minimo carnis dabitur: ergo minimũ minimo ſeorſum exiſtens. nutritio enim fit per minima ſecũdum formam primo de generatione duo debemus imaginari, quòd nutritio fiat: quia quælibet pars minima carnis nutritur; & fit per minima: per minima ſecundũ partes formales debemus imaginari, ꝙ ita diſtribuatur ſanguis carni, quia in carne ſunt meatus, & illis demandantur illa minima ſanguinis; & cum eſt in motibus, alteratur ad qualitatem carnis, & alterato ſanguine ad carnẽ fit caro, & in eodem inſtanti diuiditur in tot minima carnis, quæ ei circũſtant: & ſic ſunt minores partes partibus minoribus, ſed ille & ſanguis iã factus eſt caro & adhęret, illi carni, & nõ ſubſiſtunt partes. ideo non ſequitur abſurdum: quia illæ partes non ſubſiſtunt per ſe, & ita nutritio fit per minima nutrientis, & non nutriti. Erat ſecunda via ex natura actionis & paſsionis. primo, quia omne agẽs ab æquali portione vniformiter agit: quia ſi in vna hora agit vnum gradũ caloris, ita & in alia hora; dato minimo. accipiamus minus. ignis cũ dimidio diuidatur, & applicicetur ei aqua, aqua alterabitur prius minus ignis calefaciẽdo, & humectãdo: quia generatio præſupponit alterationem: deinde illud, minimus ignis conuertitur in naturam aquæ, quid erit de reliquo dimidio minimi, aut remanet ſeorſum ſubſiſtens: & ſic dabitur minimum minimo, quod diximus iam oppoſitum, ſi non remanebit; ſed in aquam conuertetur: ſtabit ergo cum maxima caliditate, & ſiccitate: quia nõdum agit aqua in illud dimidium ignis, ideo remanet ſiccum, & calidum. etiam vltimum eſſe rei dabitur: quia dici poterit eſt ignis: nũc nõ eſt. cuius oppoſitum ſexto Phyſicorum dixit Ariſtoteles, octauo, vbi dixit rei permanentis non datur vltimum eſſe rei; ſed primũ nõ eſſe rei datur: quod autem agens ab ęquali portione deformiter agat, patet: quia per ipſum minimũ ignis, aqua illa transſmutata in natura ipſius reliquum dimidium ignis in inſtantis tranſmutatur. Dico, quòd reuera deformiter agit tale agens: quia, cum aqua tranſmutauit minimum ignis: poſtea tranſmutauit in inſtanti; & ſic deformiter agit; ſed eſt per accidens via ſequelæ: quia forma non poterat ſubſiſtere ſub tam parua quantitate. ideo corrumpit ſubito illud dimidiũ ignis. ſecunda dubitatio, quia Ariſtoteles dixit ſexto Phyſicorum, datur primum genitum: eſt prima pars hic, cum minimũ ignis cum dimidia ſimul tranſcendit in naturam aquæ: non dabitur ergo prima pars genita, quæ ſit minima: quia totum illud minimum cum dimidio tranſmutatur. Secunda dubitatio, quia omnis corruptio ſubſtantialis eſt, cum alteratione: diuidatur ergo minima caro, illæ partes corrumpuntur, & non fuerunt alteratæ: ergo dabitur corruptio ſine alteratione. Dico, quòd eſt alteratio, quia diuiſio cum ſit motus localis, & fit in tempore, & ſic alteratur a continente, vt ab aere, & tranſmutatur in continente: quia alterantur illæ partes à continente. Dicunt iſti fiat iſta diuiſio in vacuo. Dico, ꝙ vacuum eſt impoſsibile apud Ariſtotelem. Sed dicunt, Deus poteſt facere vacuum: ponatur ergo, quòd ſit & in ipſo. diuidatur, quid ſequitur. Dicit ipſe: quia cum res ſit miraculoſa, expoſitio miraculoſa dari debet, faciat modo Deus, quicquid libuerit: nos autem naturaliter loquimur. Quarta dubitatio,

quia

quia ex primo generatione, & ſecudo, & quarto Meteororum, elementa ſunt proportionata: quia elementum maius eſt maiori magnitudine, quia rarius, & cum qualitate ſunt in ſubiecto denſiori, fortius agunt, ideo cum elemẽtum inferius ſit denſius, ideo eius qualitates fortius poterunt agere. ideo elemẽto ſuperiori data eſt maior magnitudo, & ſeruata eſt inter illa analogia. ita elementũ ſuperius eſt in proportione decupla reſpectu inferioris, ideo dãtur. ex vno pugillo terræ ſunt decẽ pugilli aquæ, & ex decem aquæ vnus terræ: accipiatur ergo minimum ignis, & applicetur ei terræ; ſi illa terra conuertet minimum ignis in ſui naturã, tunc illud nõ erit minus terræ: & ſic dabitur minor minima terra, quia ex vno minimo ignis non poteſt fieri minimũ terræ, vno ex centum minimis ignis fit vnum terræ, cum elementum ſuperius ſit, in decupla proportione dicam infra: pro nunc dico, quòd conuertet in ſui naturam, ſed frigefaciendo ignem ignis terræ adhærebit, & fiet terra, tamẽ inexiſtebat terra: & ſic non eſt inconueniens dari minimum minimo inexiſtẽs; ſed bene ſeorſum exiſtens. eſt tertia via, quia dato minimo ſtabit forma vnius elementi cum contrarijs ſibi qualitatibus, vt forma ignis ſtabit cum ſumma frigiditate, & humiditate; quia accipiatur minimum ignis, vel minimum cum dimidio, & minimum ignis ſit pedalis, & aqua agat in dimidium illius minimi ignis, quod eſt poſſibile: quia veniat ei impedimentum, cum illa pars minimi erit frigefacta, & humectata, tunc introducatur forma in illa parte. alia pars ſimul remanebit, & ſic dabitur minimũ minimo, ſi in aquæ naturam tranſibit: ergo forma aquæ cũ caliditate, & ſiccitate. ſecundo, quia omne agens velocius agit in partem propinquam, quàm in remotam: ſit ergo minimum ignis pedale, aqua ei applicata prius aget in dimidiam partem, & inducet primo frigiditatem vt. 6. humiditates vt. 6. quæro, an antequam inducat frigiditatem in reliquo dimidio magis remoto, conuertet primum dimidiũ in aquam: remanebit ergo reliquum dimidium, & ſic dabitur minimum minimo: ſi remanebit ignis, donec introducat in reliquo dimidio frigiditatem, & humiditatem, ſcilicet fiet intenſior frigiditas in parte propinqua, & remanebit forma ignis cũ frigiditate & humiditate. aliqui dicunt, ꝙ in eo inſtanti, in quo approximatur aqua, non agit prius in dimidio, quàm in totum: quia frigiditas non eſt receptibilis in quantitate tam exigua. Sed diximus, et ſi non poſsit introducere frigiditatẽ, quia quantitas eſt minima, cur non corrumpit caliditatẽ, & ſiccitatem? quia, poſsibile eſt, corrumpat caliditatem, & ſiccitatem, & non introducatur frigiditas. ideo dico concedendo, ꝙ ignis agat in dimidiã partem. an autẽ reliqua pars corrumpatur, dico, ꝙ ſic, ſed via ſequelæ: quia quantitas non eſt ſufficiens. Dices, ſtabit ergo forma aquæ cum caliditate & ſiccitate. verum eſt, ſed hoc eſt præter naturam, & poſsibile eſt, ꝙ vnum elementũ habeat quantitatem alterius elementi per accidens; & ita accidit hic ratione paruitatis quantitatis: quia per ſe aqua habet frigiditatem & humiditatem. de ſecundo, ꝙ dimidia pars erit alterata per frigiditatem & humiditatem, vt 6. Dices ſtabit ergo forma ignis cum qualitatibus ſibi cõtrarijs. Dico, ꝙ ille qualitates non ſunt contrariæ ignis, vt tali pauca quantitate; ſed ſunt illi contrariæ, cum ignis eſt in debita quantitate: ſi vero non ſit in debita quãtitate, non ſunt contrarię. Sed dices, dabitur ergo ignis frigidus, quia ſtabit forma ignis cum frigiditate. oppoſitũ dixit Ariſtoteles in prædicamentis, ꝙ non datur ignis frigidus. Dico quòd datur, ſi Ariſtoteles dicit, quòd non loquitur ſecundam naturam ſui: quia ignis eſt calidus, & non frigidus natura, cur dimidia minimi ignis magis ſtat cum qualitate exigua ignis, & cum qualitatibus ſibi contrarijs, quàm quòd tranſmutetur in aquam, quia tantum repugnat parua quantitas. Dicatis, quia cum in omni genere naturali requiratur tum diſpoſitio qualitatum, tum quãtitatis: quia quantitas eſt primum accidens, quod recipiatur in materia: ideo magis ſtat ignis cum illa exigua quantitate cum qualitatibus elementi contrarij, quàm quod tranſmutatur in aquam ratione paruæ quantitatis: quia illa quãtitas repugnat, ne introducatur forma aquæ: & quia ipſa quantitas eſt primum accidens diſponens ad ſuſceptionẽ formæ, ideo non introducitur ibi forma aquæ, ſed remanet forma ignis.

LECTIO QVINQVAGESIMA.

ERAT dubitatio de minimo naturali, ꝙ ſuppoſuit Ariſtoteles ex verbis ſuis. Erat ſecunda dubitatio, quia, dato minimo naturali, ſequitur dari vltimum eſſe rei permanẽtis. oppoſitum dixit Ariſtoteles ſexto Phyſicorum, ꝙ rei permanentis nõ datur vltimum eſſe; ſed primum non eſſe ſui: quia hominis non datur ſuum vltimum non eſſe; ſed bene primum ſui nõ eſſe, id eſt, quod erat poſt incipiet non eſſe. quod autem hoc ſequeretur, oſtẽdo: quia aqua applicetur in minimũ ignis: quia nunc non agit: quia motus non habet primum eſſe, & vltimum eſſe. poſt frigefaciet, & condenſabit, aut poſt hoc erit ignis, aut non; ſi nõ ignis, ſed aqua dabitur vltimũ ignis eſſe: quia nec erat, nec non eſt; ſi vero remanet ignis cum ab aqua frigefactus eſt, & condenſatus: minimus ergo ignis, fiet minor minimo: ſic ergo cum aqua poſt illud nunc agit in ignem illum condẽſando, aut remanet ignis: & ſic datur minimus minimo, ſi non, ergo dabitur vltimum eſſe ignis. Aliqui dicunt, quòd datur primũ non eſſe: quia cum aqua agit in ignem, & ſufficienter approximatur igni non eſt ignis, & ante erat; ſed reſponſio falſa: quia cũ ſufficienter approximatur, eſt aqua in illo inſtanti non agit: quia actio eſt in tempore, & in motu. ideo Alexander Achillinus in tertio libro elemẽtorum dicit, ꝙ dari minimũ contingit tripliciter. Primo dari minimum ignis, id eſt minima quantitas, ſub qua poſsit generari ignis: & ſic in omni ſubſtantia datur minimum, quo ad generationem. Secundo dari minimum eſt, quo ad illa minima quantitas poſsit conſeruare formam ſui: & ſic dicit, non datur tale minimũ, quia plurimam quantitatem, requiſit pro conſeruatione ſui, quàm pro generatione. ideo dicit dari minimum pro generatione; ſed ſub iſta nõ poteſt permanere, ita dixit dari minimum, quo ad generationẽ, non quo ad conſeruationem: quia ſub tanta minima quantitate non poteſt conſeruari, ſicut generari: & ita reſpondit ad argumentum, quòd caſus non eſt naturaliter poſsibile: quia ſub illo minimo non poterat conſeruari ignis, quanquã ſub illo generatus eſt. hæc ſua eſt imaginatio, quòd in triplici differentia ſit minimum, aliquod eſt minimum generationis, & hoc datur; ſed res ſub illo minimo non poteſt permanere: aliud eſt minus, quod eſt primo maius pro conſeruatione, & hoc non datur: aliud eſt minimum ſecundum rei naturam, & hoc eſt maius, & tale, quod ſi diuidatur adhuc permanet; ſed non ſecundũ naturam: & ſi adhuc diuidatur, corrumpetur in agens, vel corrumpens: & ſic ergo ſupponit aliquod non poſsibile, quod datur minimum illud pro conſeruatione: quia probabile eſt, ꝙ illa minima ſint ęqualis quantitatis. ſtaque minimum ignis ſit æquale minimo terræ. Secundo dicit, non datur minimum, ſub quo poſsit conſeruari. Tertio dicit, quòd non ſemper generatur minima quantitas, ſed aliquando maxima, vt ſi generaretur aer ex igne,

ex igne,tũc generaretur ſub maxima quantitate aeris; ſi ve-
ro generaretur ex aqua , ſub maxima quantitate generare-
tur,ſed hæc omnia mihi videntur falſa.primo dicit ,ꝙ om-
nes ſubſtãtiæ habent minimũ in ſui generatione : non autẽ
ſimpliciter, quia remoto fauore generantis non poteſt du-
rare ſub illa quantitate.oppoſitum dixit Ariſtoteles de car
ne; quia dicimus, dari minimum ex cauſa intrinſeca, id eſt
dari minimum ratione formæ, ſub quo poſsit ſubſiſtere,&
ita ſupponit Ariſtoteles dari minimum carnis ex ſui natu-
ra:quia dicit accipiatur minima caro , & applicetur ei cor-
rumpens,an ſecernit carnẽ, vel non.& ita Ariſtoteles ſup-
ponit dari minimum abſolute, remoto generante : quia cũ
adeſt generans nõ amplificatur corrumpẽs. ſecundo,dicit,
ꝙ minima ſunt ad inuicẽ æqualia, hoc eſt falſum; quia lon
ge maiori magnitudine ſunt ignis, quàm aquæ, quia maior
diſputatio requiritur in igne , quàm in aqua : quia ignis eſt
perfectior,ideo æqualia non ſunt illa minima.erat tertium
dictum:quia dicit,quòd res non generantur ſemper ſub mi
nima quantitate, ſed aliquando ſub maxima . oppoſitũ di-
xit Auerroes,vbi expoſuit dictum Ariſtot.ſexto Phyſico-
rum, quòd in omni generato datur primogenitũ, id eſt pri
ma pars genita. exponit Auerroes, ꝙ illud primum genitũ
partem minimam, ſub qua generatur res, vt ſi ex igne fiat
aer , primum genitum aeris erit minima pars tum ratione ,
quia ſupponamus , quod minima quantitas , ſub qua poſsit
generari aer, ſit pedalis.ipſe dicit, quòd ſub maxima gene-
ratur.ſupponatur,ꝙ ſit pedalis,prius aer agit in partem di-
midiam : & illa pars prius diſponetur ad qualitates aeris , q̈
tota quantitas . inductis ergo illis diſpoſitionibus aeris, &
eſt ſufficiens quãtitas, cum qua poſsit generari aer: quia cũ
pedali magnitudine poteſt ſtare forma aeris . ideo aer ſub
minima quantitate poteſt generari ex igne, & deceptus eſt
in hoc:quia cum aer generatur ex aqua, generatur ex dẽſio
ri ſubiecto,cum ex igne,& rariori, tum quantitas eſt æqua
lis,quia raritas,& denſitas non facit, quòd vna quantitas ſit
maior altera;nec volo adducere alia argumenta, ne pertur-
bentur ingenia veſtra.ideo dico,ꝙ idem minimũ, ſub quo
poteſt generari , & conſeruari res : & Ariſtoteles non facit
mentionem de duplici minimo:& ita facit de carne Ariſto
telis,vt ſupra diximus. quid ergo dicendum ad argumen-
tum? Dico, ꝙ datur vltimnm ſui eſſe permanentis, & non
eſt inconueniens:& maxime cum res permanens ſit, vt in-
diuiſibile . exemplũ , accipiatur calor, vt.6.& applicetur ei
frigidum, non ille calor prius erat, vt.6.nunc non eſt.& ita
accipiatur tricubitum nunc nõ eſt,ideo dico,quod rei per-
manentis datur vltimum eſſe maxime,cum res permanens
conſiſtit fere indiuiſibile.ita tunc dico, & dicũt omnes ex-
poſitores ibi . ideo dico , ꝙ minimns ignis conſiſtit fere in
indiuiſibili,ideo cum ei approximatur aqua poſt illud, nũc
incipit agere in ignem , & tranſmutat in ſui naturam: & ſic
erit vltimum eſſe ignis,& hoc non eſt inconueniens, quòd
rei permanentis dicit vltimum eſſe , cum talis res conſiſtat
fere in indiuiſibili , vt dicemus ſexto huius, cũ adducemus
huius dicti probationem,ſcilicet rei permanentis,non dari
vltimum eſſe , remanſit argumentum ſimpliciter factum :
quia continuum eſt diuiſibile in infinitum,cuius partes per
ſe ſubſiſtere poſſunt.iam dixi,quòd non repugnat,quòd il-
læ partes , vt quantæ per ſe ſubſiſtunt ratione materiæ;ra-
tione tamen formę illæ partes non poſſunt ſubſiſtere, vt di-
xi ſupra.ad ſecundum argumentum quia ei appoſito com-
buſtibili,augetur in infinitũ . Dico, vt Gregorius,ſeptima
diſtinctione,ꝙ ignis creſcit in infinitũ , id eſt in valde ma-
gna quantitate,quæ viuenti non poteſt cõpetere, ideo ignis
non poteſt eſſe cauſa auctionis: quia augeretur in valde ma
gna quãtitate viuens . ad argumentum autem detur maxi-
mus ignis,& applicetur ei combuſtibile, aut comburet,aut
non.Gaietanus dicit, ꝙ nõ comburet,quia non appetit cõ-
burere.reſponſio non poteſt ſtare:quia ipſe quaſi ponit ap-
petitum naturalem in igni. appetitus enim ignis ex ſui na-
tura,ſicut appetitus terræ eſt natura deſcendere, ſic appeti-
tus ignis eſt comburere, ideo cum applicatur ei combuſti-
bile,debet comburere:& ſic reſponſio irrationalis.ideo di-
co, quòd dari maximum ignem dupliciter poteſt intelligi.
primo,quo ad indiuiduum , id eſt quò ad raritatem, id eſt
qnòd ignis habeat tantam raritatem , ſub qua poſsit ſtare :
quia talis raritas non eſt à raritate corrumpi ; quia non da-
tur corpus rarius igne: quia et ſi cœlum ſit rarius, & tamen
alterius eſt rationis:quia æternum eſt,& ſic datur maxima
raritas , ſub qua poteſt ſtare indiuiduum ignis. ſecundo,ꝙ
ignis habeat maximã in ſui ſpecie , & ſic dabitur maximus
ignis in ſpecie:& talis eſt elementaris in ſuo loco:quia, vt di
xi heri, natura facit elementa proportionata. ad argumen-
tum,quia applicato combuſtibili, ſi nõ comburat, ſequitur
abſurdum;ſi ſic dabitur:ergo maior maximo. Dico,ſi ſen-
ſibiliter augetur,corrumpetur in alia parte, à quò?ab elemẽ
to ſibi contrario, quia etiam elementa in loco proprio ſunt
contraria. Sed dicetis, cur ab elemento contrario corrum-
pitur,ſi elemẽta ſunt proportionata? Dico,à natura vniuerſi
intendente conſeruarẽ tale analogiã elementi:quia, ſi ignis
augeretur vltra maximum ſuum , deſtrueretur talis analo-
gia,quæ eſt inter elementa: ſi vero ignis non ſenſibiliter au
geretur,philoſophus nõ curaret: quia philoſophus dicit da
ri maximum ignem ſenſibiliter, & minimum ſenſibiliter ,
non autem inſenſibiliter: reſtat, ergo quòd omnes ſubſtã-
tiæ habeãt maximam, & minimã magnitudinem; ſed quid
de accidentibus? Dico,quòd idem eſt,& duplicia ſunt acci-
dentia. quædam ſunt permanentia , quæ habent omnes ſui
partes ſimul:alia ſunt ſucceſsiua, vt tempus,& motus. Di-
co,quòd talia accidentia habent maximum, & minimum
extenſiue;intenſiue,ſi intenſionẽ patiuntur:& declaro,quia
accidẽtia permanentia habent maximam magnitudinem ,
ſub qua poſſunt eſſe : & minimam , ſub qua poſſunt eſſe:&
ita etiam ſucceſsiua accidentia . & fuit dictũ Ariſtotelis ſe-
ptimo Phyſicorum ſecunda, vbi dicit, motus habet mini-
mum corpus,in quo poteſt moueri , & maximum mobile,
& firmamentum.ideo datur motus maximus,& minimus:
& ſic etiam tempus:quia tempus nõ eſt, niſi paſsio motus :
etiam accidentia ſucceſſiua habent maximum , & minimũ
intenſiue,ſi intenſionem patiuntur: ita quòd calor non po
teſt augeri intenſiue in infinitũ,nec diminui,oſtendo:quia
ſi poſſet augeri intenſiue calor,daretur motus velocior mo
tu cœli , cuius oppoſitum dixit Ariſtoteles octauo Phyſi-
corum. quòd ſequatur oſtendo, quia augeatur calor inten-
ſiue in infinitum; ſemper ergo vigorabitur agens ſuper re-
ſiſtentiam paſsi,& in tantum poteſt vigorari,quòd in infi-
tum vigoretur , tunc illa alteratio velocior erit motu cœli :
quia motus cœli eſt à potentia finita . etiam quarto Phyſi-
corum dixit dari maximam raritatem : quia ibi Ariſtote-
les ſupponebat ad magnitudinem corpora poſſe rarefieri in
infinitum , ibi dicit Auerroes dari maximam raritatẽ, ſub
qua poteſt eſſe corpus,itaque maior non ſit.

LECTIO LI.

HERI dicebamus, quòd omnes formæ accidenta-
les, aut permanentes , aut ſucceſsiuæ habent maxi-
mum & minimum extenſiue : quia datur minimũ
ſubiectum,quod poteſt ſubeſſe motui: & datur maximum
mubile

mobile. diximus etiam dari minimum intenſiue & maximum; ſed eſt dubitatio de magnitudine, cum ex ſeipſa ſit diuiſibilis in infinitum reſpectu formæ. ſecūdo, quid de relationibus, quia non videntur habere ſubiectū maximum, & minimum per earum intenſionem: quia dato quocunq; maximo ſubiecto, & poteſt aduenire ratio. De primo dico, quòd magnitudo non habet maximum, & minimum, niſi reſpectu formæ, in quo eſt: & ita dico, ꝙ omnes formæ accidentales habent maximum, & minimum præter magnitudinem. De ſecundo dico, ꝙ relatio habet maximum, & minimum reſpectu fundamenti: quia eius fundamētum habet maximum, & minimū, vt diximus: quia omnes formæ naturales habēt maximum, & minimum; & relatio niſi diſtinguitur à fundamento: quia nil aliud eſt relatio vnius albedinis ad alia, niſi altera albedo: & ſic alia relatio alterius albedinis nō eſt, niſi altera albedo. ſecundum perſcrutandum, an ex parte potentiæ actiuæ detur maximum, & minimum. & Ariſtoteles dixit in fine primi cœli, ꝙ potētia actiua habet maximum ſui, quo poteſt reſiſtere: & potētia paſſiua terminatur minimo, à quo poteſt pati. hic inſurrexerunt calculiſtæ, & dixerunt Ariſtotelem errare; ſed ipſi magis errant. primo dicit, ꝙ potentia actiua habet maximam reſiſtentiam, quam poteſt ſuperare: & ſic terminatur maximo. ita viſus habet minimum obiectum ſibi conueniens, & ſic datur minima vox, quæ poteſt audiri ab auditu: & ita de alijs ſenſibilibus reſpectu ſenſus. primo dicunt, ꝙ impoſsibile eſt, quòd virtus actiua terminetur maximo, & ita virtus habeat maximā reſiſtentiam, quam poteſt ſuperare: quia data illa poteſt augeri. dicunt ipſi, datur minima reſiſtentia, ſub qua virtus auctiua non poterit augeri, & hanc opinionem probat ratione. ſic ſupponemus, ꝙ calor vt. 8. excedat frigidum in reſiſtentia, itaque frigiditas vt. 7. an calor excedit frigiditatem exceſſu diuiſibile, aut in diuiſibile. oportet enim quòd excedat, quia agēs debet excedere reſiſtentiam: quia ex proportione æqualis æqualitatis non fit motus, ſed ex maiori in proportione agentis ſuper reſiſtentia, aut ille calor: ergo ille calor excedit exceſſu indiuiſibili, aut diuiſibili. indiuiſibili non eſt dicendū: quia non ageret. ab indiuiſibili enim non prouenit actio: excedet ergo exceſſu diuiſibilis, vt per vnum gradum diuidatur ille gradus per modum, tunc calor, vt 7. cum dimidio aget in frigiditatem, vt 7. quia ei dominatur: ergo frigiditas, vt 7. non eſt maxima reſiſtentia, quam poterat ſuperare calor, vt 8. quia & calor 7. cū ſecundi eam ſuperat. Diximus ſecundo, ꝙ datur minimum ſenſibile reſpectu ſenſus: quia ſenſus eſt virtus paſsiua, & talis virtus paſsiua terminatur minimo. Debent ipſi, quia ſi datur minimum, vt viſibile, quod poteſt videri, illud viſibile eſt quātum, & profundum, & diuidatur ſecundum profunditatem, tunc remanebit color in ſuperficie remanente, qui videtur: quia vero color, ideo dabitur minimum minimo viſibili; tum ſequētur abſurda apud mathematicum: quia, ſi ſic, dabitur angulus viſionis minimus: quia obiectum illud viſibile eſt minimum ergo cauſabit angulum viſionis minimum. etiā dabitur debiliſsima viſio, quia obiectum debiliſsimum cauſat viſionem debiliſsimam: & cum dabitur debiliſsimum obiectum, dabitur debiliſsima viſio. oppoſitum tamen dicunt perſpectiui. tertio, dabitur vltimum eſſe viſionis, qui cum remoueatur à minimo, quod cauſat viſionē, amplius eam non cauſat, & prius cauſabat, ergo dabitur vltimū eſſe viſionis. oppoſitum dixit Ariſtoteles octauo Phyſicorum: quia rei permanentis non datur vltimum eſſe. Dico ergo, de primo ignorant fundamentum Ariſtotelis, cum dicunt accipiatur calor, vt 8. & reſiſtentia maxima ſit frigiditas, vt 7. tunc auferatur à gradu caloris medius gradus, tunc calor ſuperabit frigiditatem. verum: ergo fiet motus. nego argumentum. ſed ab improportione maioris inæqualitatis ſequitur motus. falſum eſt, & oſtendo, quia dicit Ariſtoteles, datur minima velocitas in motu, & maxima, & erit motus velocitas cœli. ita ergo dabitur minima proportio, quę correſpondet minimæ velocitati motus: quia velocitas inſequitur proportionem motoris ad motū: & ita hęc conſequuntur velocitas, motus, & proportio motus, et ſi non haberet maximam reſiſtentiam, quam hoc agens poſsit ſuperare, ſe quaeretur, ꝙ non eſſet illa virtus minima: quia cum augetur magis reſiſtentia, diminuitur virtus: ergo poſſet ſeparare quamcunque reſiſtentiam, & illa virtus ſemper fieret minor: non eſſet ergo illa minima virtus. Dico ergo de primo negando aſſumptum, ꝙ ex omni cum proportione ſequatur motus, licet ſit poſsibile ſecūdum imaginationem: quia ſecundum rei veritatem non eſt poſsibile. De ſecūdo, cum dicimus, diuidatur illud viſibile, remouetur minimum minimo, & poterit videri: quia eſt in ſuperficie, dico negādo, quòd poſsit videri, immo non remouebit viſibile: quia dato minimo colore ſi diuidatur, corrumpitur, & non poterit ſubſiſtere, nec per conſequens videri. Concedo, ac perſpectiuus dicit, ꝙ non datur. Dico, ꝙ ipſe loquitur ad imaginationem, nō autem ſecundum rei veritatem ſimpliciter. De tertio, ꝙ daretur viſio debiliſsima, concedo. oppoſitum dixit perſpectiuus. Dico, quòd loquitur ad imaginationē non autem naturaliter. De quarto, datur vltimum viſionis, concedo; ſed erit per accidens, & hoc non incouenit, vt ſupra diximus. Erat tertia dubitatio, an res habeant maximū tempus durationis. Dico ex Ariſtotele in ſecundo de generatione, quòd ſecundum ſpeciem eſt maximum tempus durationis, & illud nouit Deus: indiuidua vero habent maximum tempus, ſi computatur regimen victus, & reliqua. verum eſt, ꝙ illæ res aliquando habent primum non eſſe rei, vt homo cum deſinit eſſe, aliquando habet vltimum eſſe, ſicut calor vt 6. deſinit, ſi res habuerit primū non eſſe, tunc illud iſtans erit terminus ſuæ durationis: ſi vero habebit vltimum eſſe rei, tunc terminus vitæ illud iſtans cum toto tempore tranſacto.

LECTIO LII.

OMNES igitur contraria principia.} demonſtrauit prius Ariſtoteles, ꝙ principia non erant vnū, nec infinita, ideo erunt plura, & finita. oſtenſurus quænam ſint principia, primo declarat, quænam ſint, & qualia: & dico principia quòd ſunt cōtraria: ergo duo, & illis debet ſubijci vnū: ergo triplicia: & declarat, ꝙ principia ſint contraria. primo ex omnium conſenſu: quia, & qui ponebant vnum principium, & immobile, ponebant principia contraria, dicebat illud ens immobile eſt vnum: quia Deus. ponunt principia contraria, ſcilicet calidum, & frigidum, lux & tenebræ, id eſt terra & ignis, ita qui ponebāt vnum principium mobile, vt Thales, qui ponebat aquā, dicebat principia eſſe contraria, raritas, & denſitas, itaqui ponebat aerem. etiam Democritus, qui ponit infinita principia, ponit etiam principia contraria, qui ponit hæc principia tria differentia, ſcilicet poſitione, figura, & ordine, & vnumquodque iſtorum habet contrariam figuram, alia eſt habens angulos: alia carens angulis. & poſitio tripliciter contrariatur vel ante, vel retro, ſurſum, & deorſum, ordo prius, & poſterius: omnes ergo ponunt principia contraria, & dixit quodammodo: quia aliqui ponebant principia contraria affirmatiue,

matiue,vt qui ponebant raritatem, & denſitatem:alij vero
ponebant cõtraria principia priuatiue, vt qui ponebant ple
num,& vacuum. ideo, vt omnia contraria amplecteretur,
dixit,quodam modo in omnes, ꝙ omnes poſuerunt prima
principia contraria, ſiue poſitiue, ſiue priuatiue: & hæc eſt
bona reſponſio.probat ratione,quòd principia ſunt contra
ria:quia inquit, prima principia non fiunt ex alijs, nec ex
ſeinuicem, & omnia fiunt ex his: & iſtæ tres conditiones
competunt primis principijs.addit minorem,ſed prima cõ
traria non fiunt ex alijs, nec ex ſeinuicem, ſed cætera fiunt
ex his,& probat primo primam conditionem:quia,'ex quo
ſunt prima principia, non fiunt ex ſeinuicem: quia ſunt cõ-
traria.infra declarabit,quòd quæ fiunt, fiunt ex illis.ſed du
bitat Simplicius: quia dicit, quòd cõtraria non fiunt ex ſe-
inuicem.oppoſitum dicit infra, quòd ſcilicet ex albo fit ni-
grum.eſt multiplex reſponſio. Ammonius dicit, quòd pri-
ma contraria non fiunt ex ſeinuicẽ,ideſt non fiunt ex con-
trarijs à ſeinuicem diſtinctis; ſed hæc reſponſio extorquet
textum,& patet. ſecundo, hæc ſecunda conditio coincide-
ret cum prima, quod eſt, principia cõtraria ex alijs non fi-
unt quod patet,quia exponit, prima contraria nec fiunt ex
ſeinuicem, hoc eſt ex contrarijs à ſeinuicẽ diſtantibus,hoc
eſt dictum,non fiunt ex alijs. aliam expoſitionem dat Sim-
plicius, ꝙ prima contraria non fiunt ex ſeinuicem effecti-
ue:quia fieri ex ſeipſo,vel poteſt fieri ex materia, vel ex ter
mino, vel ex agente. ideo contraria non fiunt ex ſeinuicem
effectiue:quia quod fit à ſimili,fit à cauſa efficiente.ſed hęc
expoſitio non placet: quia ex non denotat cauſam efficien
tem ſecundum modum loquendi;ſed denotat materiam,&
oppoſitum etiam: quia infra dicit Ariſtoteles, quòd omne,
quod generatur,'à contrario generatur: quomodo ergo di-
cit cauſam efficientem, ideo aliter idem Simplicius, & Ale
xander in primo libro quæſtionum naturalium, capite.16.
& dicit ꝙ fieri ex altero, contingit biſariam, vel tanquam
ex ſubiecto, vt lectica fit ex ligno tãquam ex ſubiecto, vel
fit alterum ex altero tanquam ex oppoſito, ſicut cum dici-
mus ex albo fit nigrum: dicimus ergo, quòd vnum non fit
ex altero tanquam ex ſubiecto:quia vnum contrarium non
eſt ſubiectum alterius; vnum contrarium tamen fit ex al-
tero tanquã ex termino mutationis:quia ſi debet tranſmu-
tari albũ in nigrum,debet fieri à nigro: & ita nulla eſt con-
tradictio; ſed addit Alexand. ita etiam ſecunda contraria
non fiunt ex ſeinuicem tanquam ex ſubiecto: ergo ſecũda
contraria non differunt à primis. dicit Alexander, etſi hæc
conditio ſit communis primis, & ſecundis contrarijs,tamẽ
differunt in alio:quia ex primis omnia fiunt; non autem ex
ſecundis. dicit ſecundo Alexander, quomodo prima con-
traria dicuntur perpetua, ſi vnum fit ex altero tanquam ex
oppoſito. dat ſecũdas reſponſiones.prima, quòd illa prima
contraria ſunt perpetua, vt non generantur ex alijs, etſi ex
ſeinuicem generentur.ſecunda,ꝙ prima contraria ſunt ęter
na,etſi non numero,tamen ſpecie: quia ſemper materia ha-
bet aliquam formam, & priuationem: quia ſemper priuata
eſt aliqua forma, & ſic ſunt perpetua ſpecie; ſed vtraque re-
ſponſio videtur preter rationem. De prima, quia dicit, ꝙ
ſunt æterna:quia nõ fiunt ex alijs; generantur tamen ex ſe-
inuicem:ergo corrumpuntur:quia primo cæli,omne,quod
generatur,corrũpitur:quomodo ergo principia prima ſunt
æterna.etiam ſecunda reſponſio falſa:quia ſi non differrent
prima contraria à ſecundis, quia eſſet ſecunda, ſunt æterna
ſecundum ſpeciem,ſicut prima, ideo dico, quòd Ariſtote-
les non dicit, ꝙ illa prima principia ſint ęterna. At dicit in-
fra, oportet prima principia ſemper manere. ibi deceptus
eſt Alexander, vt dicemus: quia ſemper manere non dicit
vniuerſalitatẽ temporis,ſed tranſmutationis,& iſte eſt ſen-
ſus illorum veborum. oportet prima principia ſemper ma-
nere, id eſt in vnaquaq; tranſmutatione ſemper debent eſſe
prima principia,ſcilicet habitus,& priuatio: quia ex habitu
fit priuatio, & ex priuatione fit habitus. eſt alia dubitatio,
quia tertia conditio videtur includi in prima, & ſecunda:
quia ſufficiebat dicere, prima contraria non fiunt ex alijs,
nec ex ſeinuicem. ſequitur poſtea, ꝙ omnia fiunt ex ipſis.
dicit Simplicius, quòd illæ duæ conditiones non ſufficiunt
ad prima principia: quia aliqua poſſunt habere illas duas,
ſed non tertiã, ſicut prima genera rerum non fiunt ex alijs,
nec ex ſeinuicem;tamen quæ fiunt, non fiunt ex illis,res.n.
quæ fiunt ex prædicamentis non fiunt.ideo tertia conditio
nõ includitur in primis,& eſt neceſſe ad hoc,vt prima prin
cipia ſint principia omnia alia ex ipſis fieri. ſecũdo, quomo
do Ariſtoteles ſecundo Metaphyſices reprehendit plurita
tem principiorum,quia dicit,debet dari vnus princeps:hic
vero dicit, principia debent eſſe contraria, & exponit hæc,
ſcilicet plura. Dico, ꝙ facilis,eſt reſponſio:quia.12.Meta-
phyſices loquitur de primis efficiente,& finali,& dicit en-
tia nolunt male diſponi:ergo vnus princeps.hic vero loqui
tur de elementis rerum naturalium, ſcilicet de materia, &
forma,ideo ponit plura principia.vult probare tertiã con-
ditionem,ꝙ omnia, quæ fiunt, ex principijs primis fiunt:
& ad hoc ſupponit duas dignitates prima eſt ex parte agẽ-
tis,quia omne,quod agit, in contrariũ agit: & omne,quod
patitur, à contrario patitur. & probat quia agens non agit
in quoduis, ſed in aliquod determinatum, quod eſt aptum
natum tranſmutari in ſui naturã, & ſic illud eſt ſuum con-
trariũ: quia calidum agit in frigidum, ita quicquid patitur,
à contrario patitur: quia omnis paſſio eſt mutatio, & om-
nis mutatio eſt à contrario in contrarium per ſe:quia per ac
cidens poteſt pati ab aliquo, quod non ſit ei contrarium,vt
ſi album agat in frigidum, agit in illud per accidens:quia ei
coniunctum eſt calidum.ſecunda dignitas, quod generatur,
à contrario generatur:& quod corrumpitur per ſe, à con-
trario corrũpitur. & probat Ariſtoteles: quia omne, quod
fit,non fit ex non ente ſimpliciter, quia fieret ex omni ne-
gatione:& ſic homo fieret ex figmento; ſed quod fit,fit ex
non ente,quod eſt aptum fieri tale,& illud eſt contrarium
ei:ergo & hoc verum eſt nedum in generatione ſimplici,
ſed in compoſita:& appellat Ariſtoteles generationem ſim
plicem,quæ fit in qualitatibus ſimplicibus:generatio com-
poſita,& corruptio eſt generatio compoſiti, vt hominis,&
domus:quia homo cõſtat ex partibus:verificatur ergo iſta
propoſitio in omni generatione, ſcilicet ꝙ omne, quod fit,
ex contrario fit.ſed dicit Ariſtoteles,in generatione compo
ſita latens contraria: quia quomodo dicemus, quòd homo
generatur ex ſuo contrario?& ita debemus accipere priua-
tionẽ,& ſcilicet quia homo fit ex non homine: appellamus
ergo generali nomine cõtraria conueniens,& inconueniẽs:
conſonantia, & inconſonantia. itaque conueniens fit ex in
conuenienti:itaq; totum cohærẽs fit ex partibus, quæ prius
non cohærebant: & quia dixit Ariſtoteles quòd conueniẽs
fit ex inconuenienti: & conſonans ex inconſonanti. dicit,
quòd duplex eſt compoſitio. aliqua eſt cum ordine partiũ,
& fere omnis compoſitio eſt ita, & tunc compoſitum tale,
non fit tantum ex incompoſito; ſed etiam ordinatum ex
inordinata,ſi autem ſit compoſitio,quæ careat ordine partium,
vt in generatione lignorum: quia ibi non eſt ordo
eſſentialis, tunc dicemus fieri compoſitionem ex incompo
ſito: non autem ordinatum ex inordinato.

LECTIO LIII.

SICVT diximus in heſterna lectiõe oſtẽſurus quot naturæ eſſent principia naturalia, primo demonſtrare tentauit qualia ſint, & ad probandum aſſumpſit prima etiam contraria ex omnium conſenſu: & prima principia ſunr prima contraria, quia prima contraria non ſunt ex alijs, nec ex ſe inuicem, & cetera, quę fiunt, ex illit fiunt: prima principia ſunt prima contraria. modo Ariſtoteles vult demonſtrare, quòd quæcunque fiunr, ex primis contrarijs fiunt: & hoc argumento ſumpto à ratione, exponit Simpliciut à ratione, id eſt à cauſa: & hoc oſtenſurut præſupponit duas dignitates, vna, quæ ſumitur ex parte agentis. & eſt, ꝙ omne, quod generatut à contrario generatur: & probat primum, quia quoduis non agit in quoduis, ſed contrarium in cõtrarium per ſe agit: ergo quod generatur, à contrario generatur. ſecunda eſt ex parte eius, quod generatur, & corrũpitur: & eſt omne, quod generatur, & corrumpitur per ſe, ex contrario generatur. ſupra diximus, ꝙ contratium à contrario generatnr. hic dicimus ex contrario, ita, quòd illud circumſcribit oppoſitionem termini, & oſtendit ſecundam dignitatem inductione: quia album generatur ex non albo, & non ex omni non albo: quia non ex figmentis, quæ non ſunt alba; ſed ex non albo, quod eſt nigrum. ideo contrarium generatur ex contrario. per ſe exponit, cur dixit per ſe? quia album per ſe generatur ex nigro; per accidens tamen poteſt generari ex muſico, vt ſi muſicum acciderit nigro, ex muſico fit album, & tranſmutatur nigrum, & cum nigro cõiunctum eſt muſicum: & quia dixit, quòd omne, quod generatur, ex contrario generatur, & quod corrumpitur, ex contrario corrumpitur. exponit, ꝙ intelligit per contrariũ: quia, vt Ariſtoteles dicit in Prædicamentis, conrrarium proprie eſt, quod eſt in re: aliud eſt contrarium improprie, quod dicit priuationem. ideo dicit, per contraria intelligo improprie contraria, ſcilicet priuationem, & declarat inductione: quia album fit ex nõ albo: non ex non albo negatiue; ſed non albo priuatiue, vt eſt nigrum, vel alius color medius. ita dicimus muſicũ fit ex non muſico, non ex non muſico ſimpliciter, ſed ex non muſico priuatiue, ex ſubiecto diſpoſito ad ſuſcipiendũ muſicum: & tale eſt ignorantia, vel medium, ſi datur medium: quia diximus, quòd omne, quod generatur econtrario, dicit, nedum vera eſt in generatione ſimplici; ſed etiam in compoſita, & ambę duæ illæ dignitates verificantut in generatione compoſita; quæ eſt rei compoſitæ, vt generatio hominis, & domus; ſed dicit contraria in rebus compoſitis non ſunt ita manifeſta: quia nominibus carent volẽtibus exprimere talia contraria: quia nõ habemus nomen priuatiuum impoſitum homini: quia dicis bomo fit ex nõ homine ſed non ex non homine, ſimpliciter; ſed ex non homine priuatiue: & non habemus nomẽ, niſi forte dicit Ariſtoteles, fingamus nomen, ꝙ compoſitum in rebus compoſitis fit ex compoſito, & ſic exprimimus cõtraria: & ſic non dicimus, ꝙ homo fit ex non homine; ſed compoſitum ex incompoſito, id eſt res compoſita, quæ habet partes cohærentes fit ex partibus non cohærentibus, & dicit Ariſtoteles, poſſumus loco compoſiti, & incompoſiti vti conſonantia, & inconſonantia Metaphyſices, & quia quædam eſt compoſitio, quæ eſt cum ordine partium, vt fere in omnibus rebus naturalibus contingit: quia primo generatur cor: deinde aliæ partes, & ita in re artificiali primo generatur fundamẽtum: deinde tectũ. alia eſt compoſitio ſine ordine partium per ſe, vt in congerie lignorum dixit Simplicus, quia ex, quo illa ligna ſunt eiuſdem rationis, non habent ordinem eſſentialem per ſe; ſi erit compoſitio cum ordine partium, nedum dicemus, quod compoſitm ex incompoſito generatur, ſed etiam ordinatum ex inordinato, ſi vero ſit compoſitio ſine ordine partium dicemus tantum, ꝙ compoſitum fit ex incompoſito: non autem ordinatum ex inordinato: quia ibi non eſt ordo eſſentialit. reuertitur ad principale intentum; & hæc, quæ ſunt dicta, ſunt dicta per parẽtheſim: intẽdebat ergo probare, quòd ex primis contrarijs omnia fiunt, quæ fiunt: & quia duplex generatio, accidentalis. & ſubſtantialis. adhuc duplex, vel ſimplex, vel compoſita. ſi ſimplex eſt inter contraria, adhuc generaliter omnis generatio eſt inter contraria, & probat ſic: omnia, quæ fiũt, & generantur, & corrumpuntur, mutatione fiunt, & generantur, & corrumpuntur: ſed omnis mutatio eſt inter contraria: ergo omnia, quæ fiunt, ex contrarijs fiunt. ꝙ autem omnis mutatio ſit inter cõtraria, probat Simplicius ex Alexandro: quia ſi inter ſimilia natura album eſſet, antequam fieret non inter diſsimilia: quia album nõ agit per ſe in muſicum: ergo in ſuum contrarium agit: ergo omnis mutatio eſt inter contraria: ergo omnia, quæ fiunt, ex primis cõtrarijs fiunt. & dicit, ꝙ album generatur ex nigro, quod eſt ſui contrarium: vel ex intermedijs coloribus, qui ſunt compoſiti ex extremis. ſed hic eſt dubitatio, primo in prima dignitate: quia dicit, ꝙ generatnr, à contrario generarur. oppoſitum dixit Ariſt. ſeptimo Metaphyſices, quòd generatio fit à ſimili. etiam exemplo Simplicij, ſi Deus illuminat animã noſtram, Illuminat ex ſcientijs; tamen anima noſtra nõ eſt contraria Deo: quia Deo nihil contrarium. etiam quia Porphyrius exponens, quo modo prima contraria fiunt ex ſe inuicem, dixit, quòd non fiunt ex contrarijs inuicem diſtinctis. Dico, quòd in generatione. Secundo, poſſunt conſiderari, & quod generatur, & ſubiectum; ſi comparetur agens reſpectu eius, quod generatur, à ſimili generatur: ſi comparetur agens generans ſubiecto, ſic vera eſt propoſitio: quia omne ſubiectum, quod tranſmutatur, à contrario tranſmutatur. & ſic loquitut Ariſtoteles. & ad argumentum Simplicij dico, ꝙ ſic Deus contrariatur animæ noſtræ. At ſic & non ſimpliciter. At Deo nihil eſt contrariũ. verum eſt ſimpliciter; eſt tamen aliquo modo contrarietatis, vt anima noſtra, quæ illuminata eſt ſcientijs, prius carebat ipſis: & quod plenum eſt ſcientia, & qnod caret ſcientia, ſunt contraria quodammodo. ita ad Illud Porphyrij dico. Secunda dubitatio, cur Ariſtoteles dixit ſub dubitatione, muſicum fit ex immuſico; aut ſi quidpiã medium ſit, cum quo Metaphy. priuatiue oppoſita carent medio: quia priuatiue oppoſita mediate inferunt contradictoria inter contradictoria nullo modo cadit medium: quomodo ergo dubitat hic, an ſit medium inrer priuatiue oppoſita. Dico, vt Simplicius, ꝙ nondum erat manifeſtum, an inter omnia priuatiue oppoſita ſint media: quia dubium erat de vitio, & virtute, quæ priuatiue opponuntur, an ſit mediũ. ideo dubitatiue loquutus eſt Ariſtoteles. etiam quia duplex eſt mediũ. medium formæ, & medium ſubiecti inter priuariue oppoſita; et ſi nõ datur medium formæ, datur medium ſubiecti: quia datur aliquod ſubiectum, quod tunc eſt vnum: non alterum exẽplum: quia cæcitas, & viſus opponũtur priuatiue, datur medium ſubiecti, quod ſcilicet non eſt neque videns, neque cæcum, vt lapis. priuatiue enim præſupponit ſemper ſubiectum determinatum. Tertio, quia Ariſtoteles dicit omne, quod generatur per ſe, ex contrario generatur: quia album generatur per ſe ex non albo, non ex omni non albo; ſed ex nigro, & colore intermedio. itaque Ariſtoteles dicit, quòd generatio ſit inter poſitiue contraria. oppoſitũ dixit quin-

to Phyſicorum, vbi dixit, ꝙ motus termini primi ſunt cõtraria poſitiue. mutationis vero primi termini ſunt oppoſita priuatiue: etiam quia dixit, quòd generatio hominis ex non homine eſt ſicut compoſitum ex incompoſito. contra: quia cum generatio ſit inter contraria priuatiue, poterimus dicere, quod homo generatur ex non homine: quia non homo eſt priuatiuum hominis; etiã quia homo non ſit ex partibus non cohærentibus: & Ariſtoteles dixit, quòd homo fit vt compoſitum ex incompoſito, ſcilicet ex partibus nõ cohærentibus: quòd autem homo non fiat ex partibus nõ cohærentibus, patet: quia non dantur illæ partes, niſi in cõpoſito generato ſemper, vt cohærentes. Dico, quidquid dicant Latini, ꝙ termini mutationis de ſubito triplices ſunt, quidam ſunt termini per ſe, & primi & tales termini in omni generatione, & corruptione. qualiſcunque ſit illa generatio, ſiue ſubſtantialis, ſiue accidentalis, ſunt priuatiue oppoſita: quia omnis generatio per ſe eſt ex priuatione in habitu, corruptio ex habitu in priuationem, ſicut cum homo generatur, fit ex aliquo priuato anima intellectiua. ideo dixit Ariſt. quòd muſicum, cum fit ex immuſico. aliqui ſunt termini per ſe, & ſecundarij, & ſunt albũ, & nigrum, & medius calor: quia album generatur ex nigro: aliqui etiam termini generationis per accidens; & iſti ſunt contradictoria, vt album, & non album: homo, non homo: & negatio contradictoria nihil ponit. etiam contraria, quæ accidunt terminis ſecundis ſunt termini accidentales, vt ſi accederent muſicum, tunc termini mutationis nigri. dicit muſicũ; ſed per accidens, & ſic priuatio, & habitus ſunt prima principia: & ſunt prima ordine naturæ: quia alia principia præſupponunt illa. ſunt enim cõmunia omni tranſmutationi: quia nulla fit tranſmutatio, quæ non ſupponit illa; ſi diceris priuatio eſt nõ ens: quomodo ergo principium? Dico etſi non ſit ens formaliter, eſt tamen ens: quia circumſcribit ſubiectum. ad ſecundum dico, ſi conſideratur, primo homo fit ex non homine, ſi ſecundario fit ex incompoſito.

LECTIO LIIII.

ERAT dubitatio, quia dixit Ariſtoteles, ꝙ album generatur ex nigro, vel colore medio. itaque ponit terminos generationis poſitiue eſſe cõtrarios. oppoſitum dixit quinto Phyſicorum, vbi ponit differentiam inter mutationem, & motum. dixit motus primi termini ſunt contrarij poſitiui: mutationis vero ſunt termini, habitus, & priuatio; ſed generatio eſt mutatio, & ita corruptio: ergo eius termini dicuntur priuatiui oppoſiti: quomodo ergo dixit, ꝙ album fit ex nigro: & non dixit ex non albo, cum non albũ priuatiue opponitur albo. Dixi heri, & erat reſponſio præceptoris mei in tertio de elementis, & in primo, quòd entitas erat termini mutationis, quidã per ſe, & primi: quidam per ſe, ſed ſecundarij: quidam per accidens. termini per ſe & primi generationis, & corruptionis ſunt priuatio, & habitus: termini per ſe ſed ſecundario ſunt contraria, quæ accidunt terminis ſecundis generationis: cum ergo Ariſtoteles dicit, quòd album fit ex nigro, loquitur de terminis generationis ſecũdarijs. in quinto Phyſicorum de primis; ſed hæc reſponſio non placet: quia dicit, quòd termini generationis per ſe ſecundarij ſunt cõtraria poſitiue: quia ex Ariſtotele in primo Poſter. dicit per ſe in primo: & in ſecũdo modo præſupponit de omni; ſed non omnis generatio habet contraria poſitiue: quia lumen generatur in medio, & non priuatione ſui oppoſiti, cõtra: quia contrario caret poſitiuo. habet tãtum priuationem, ſcilicet tenebras: ita diſciplina caret contrario, habet tamen priuationem vitium, ſcilicet ita ſubſtantia generatur, & contrario carent, quæ ſubſtantiæ nihil contrarium: ergo termini per ſe generationis licet ſecundarij non poſſunt eſſe termini contrarij poſitiui, Ideo dico, quòd termini per ſe, & primi generationis ſunt contraria priuatiua: quia, ſi homo generatur ex non homine generatur, id eſt ex ſubiecto, quod caret forma hominis; ſed quid ad Ariſtotelem, qui dicit quod album generatur ex nigro, vel medio colore? Dico, ſi recte intelligatur, non facit dubitationem. Ariſtoteles enim dixit, ꝙ album non fit ex non albo ſimpliciter: quia ſic fieret ex figmentis; ſed fiet ex non albo determinato. differẽtia eſt inter negationem, & priuationem: quia negatio omne ſubiectum negat: priuatio vero præſupponit ſubiectum, in quo aptum eſt fieri, vt in Poſter. prædicamentis dixit Ariſtoteles, & tale eſt ſubiectum priuatiuum forma albi. & Ariſtoteles exponit, ꝙ ſit illud ſubiectum, & dicit eſt nigrum, vel medio colore coloratum: non autem dicit, quòd album fit ex nigro, ſed ex ſubiecto non albo, quod eſt nigrum, vel medio colore coloratum: & ſic album fit ex priuatione ſui oppoſiti. Eſt quarta dubitatio Alexãdri: quia Ariſtoteles dicit, quod generatur & corrumpitur, à contrario generatur & corrumpitur: quia primæ ſubſtantiæ generantur, & corrũpuntur; tamen eis nihil eſt contrarium, vt dicit Ariſtoteles in Prædicamentis. quomodo ergo dictum Ariſtotelis eſt verum? hic dicit Alexander cum Simplicio, ꝙ ſubſtantia prima habet contrarium, & ſic non per ſe, tamen per accidens ratione accidentium; & ſic prima ſubſtantia generatur, & corrumpitur. Declaro, quia elementa, quæ ſunt primæ ſubſtantiæ, habent contraria ratione accidentium, & eſt ſecundarij differentia. ſunt accidentia in elementis, aliqua per alterationem, & quo ad hæc ignis maxime contrariatur aquæ: quia ignis calidus, & ſiccus; aqua frigida & humida: aliqua ſunt accidentia quo ad motum, & quo ad hæc ignis maxime cõtrariatur terræ: quia ignis ſimpliciter aſcendit: terra autem ſimpliciter deſcendit, & ita, cum Ariſtoteles dicebat quarto cœli, quòd ignis maxime opponitur terræ, loquebatur de oppoſitione accidentium ad motum attinentium: quia ignis leuis ſimpliciter: terra autẽ grauis. Ita & mixta habent contrarium reſpectu accidentium: quia habent temperaturam contrariã reſultantem ex primis qualitatibus, ideo dicit Alexander, quod generatur, à contrario generatur, ſiue illud contrarium ex ſui ſubſtantia, ſiue reſpectu accidentium: & ita in prima, ſubſtantia eſt contrarium reſpectu accidẽtium; ſed reſponſio non placet. reſtringam argumentum: quia prima ſubſtantia, vt prima ſubſtantia, generatur, & corrumpitur: ergo, vt prima ſubſtantia, habet contrarium per ſe; ſed non proprie, & poſitiue, ſed improprie, & priuatiue. ideo quinto Phyſicorum dixit Ariſtoteles, termini per ſe generationis ſunt habitus, & priuatio. cum vero dicebat primæ ſubſtantiæ non eſt contrariũ, loquebatur de cõtrario proprie, & poſitiue, in omni tamẽ ſubſtantia eſt cõtrarietas priuatiua. Quinta dubitatio: quia Ariſtoteles volebat probare ex illis duabus dignitatibus, ſcilicet omne quod generatur, à cõtrario generatur, & quod corrumpitur, à contrario corrumpitur. ex his vult probare, quòd omnia, quæ fiunt ex contrarijs fiunt primis, & dixit, probatur, hoc ratione exponit Simplicius, id eſt, Syllogiſmo cauſam dicente, ita quòd per rationem exponit cauſam. Eſt dubitatio, per quam cauſam demonſtra, ꝙ omnia, quæ fiunt ex primis contrarijs fiun, an per cauſam materialem, an finalam, an efficientem, an formalem, quia oſtendit ex illis duabus dignitatibus. Dico, vt videtur etiã dicere Simplicius, quòd per cauſam formalem: quia ſua

ratio,

ratio, hæc eſt omnis factio habet ſuum genus, ſcilicet mutationem, ita & paſsio habet genus mutationem. generatio enim eſt factio quinto Phyſicorũ, corruptio eſt paſsio: arguit ergo, omnis factio eſt mutario: omnis corruptio eſt mutatio; ſed omnis mutatio eſt ex contrarijs, & hanc probar Alexander: qnia mutatio non poteſt eſſe inter ſimilia: quia ſi ſic, mutatio eſſet inter albũ & album vnde album eſſet, eſſet antequá fieret. nec mutatio eſt inter diuerſa ſimpliciter: quia non mutatur album in muſicum, quia inuicem ſunt compoſsibilia, & non expellunt ſe inuicem: ergo mutatio erit inter contraria. ſi ſic: omnia ergo, quæ fiunt, ex primis contrarijs fiunt. iſta ratio eſt ex cauſa formali: quia ex generatione, ſcilicet ex mutatione, quæ eſt genus generationis, & corruptionis: genus autem eſt cauſa formationis ipſius ſpeciei, vt ſecundo huius dixit Ariſtoteles. omnes enim partes definitionis dant formationem, & perficientem, & declarantem. Sexta, & vltima difficultas: quia Ariſtoteles dixit, ꝙ omne quod fit, vel ex contrario fit, vel ex medio. inquit Ariſtoteles, ſunt ex contrarijs, vt colores medij ex albo, & nigro. Eſt dubitatio, an medij colores ſint compoſiti ex extremis: & ita de medijs ſaporibus, & reliquis. & videtur, ꝙ non: quia medij colores reſultant ex temperatura facta: ex quatuor qualitatibus: non ergo ex extremis coloribus. ſecũdo, quia medij colores, vt viredo, & fuſcedo ſunt qualitates ſimplices: ergo non compoſiti ex extremis: quia ſi ſic, plurium ſpecierum eſſet exemplum, ſicut tepidũ, quod cõſtat ex calido, & frigido. dicit duas formas, quicquid dicãt alij. iõ non eſt vnius; ſed ſpecierũ pluriũ: cum ergo medij colores ſint vnius ſpeciei, non ergo compoſiti ſunt ex extremis. Dico, quòd reuera medij colores non ſunt compoſiti ex extremis formaliter; ſed ſunt compoſiti ex extremis præſuppoſitione quadam, id eſt ſecundum cauſam. & declaro, quia albedo, vt plurimũ cauſatur à temperatura declinante ad frigidum, vt in de ſenſo, & ſenſato dixit Ariſtoteles: nigrum vero ad temperaturam declinantem ad calidum: & medij vero colores, vt viredo, & fuſcedo cauſantur à temperatura non declinante ſimpliciter ad frigidum, nec ad calidũ; ſed à temperatura, quę quaſi medij eſt inter caliditatem, & frigiditatem: & ſic hic Ariſtoteles dixit, quòd medij colores ex extremis coloribus componuntur, ſcilicet ſecundum cauſam, & præſuppoſitione quadam: non autem formaliter, & ſic ſtat, quòd medij colores ſint ſimplices qualitates, & oriantur à primis qualitatibus, & ſic vnius ſpeciei hucuſque: igitur, cum oſtenderit prima principia eſſe contraria, tum veterum teſtimonio, tum ratione, oſtenderitq́; quòd prima contraria ſunt prima principia, non vt dicunt Latini, quòd prima principia ſunt prima contraria, ita quòd prima contraria ſe tenẽt ex parte ſubiecti. nunc modo vult numerum principiorum adinuenire: quia oſtendit quod non ſunt plura, nec infinita, nec vnum: reſtat ergo quòd ſint finita, & ad hoc oſtendendum recenſet opinionem antiquorum: & inquit, quòd fere omnes poſuerunt prima contraria, & ſine ratione: quia veritate coacti dixerunt principia eſſe contraria. illud fere dicit Simplicius poteſt coniungi cum verbo Plurimi, vt ſit fere plurimi adinuicem cõſentiunt, vel cum verbo omnes, vt ſit, fere omnes poſuerunt tria principia, quia ipſi ponebant principia eſſe contraria, non per ſe, vt Ariſtot. ſed per accidens: quia illis accidebant contraria. eſt aliud verbum ponderandum, ſcilicet ſine ratione, & vt ait Simplicius, dupliciter poteſt exponi ſine ratione, hoc eſt, non adduxerunt cauſam ad hoc probandum, vel ſine ratione ponebant cõtraria, vt eis accidebant contraria, & non per ſe, vt Ariſtoteles, ſed per accidens reuera coacti: quia omnis homo naturaliter inclinatus eſt ad apprehenſionem veritatis, quia veritatis intellectio eſt perfectio animę intellectiuæ; ideo coacti veritate, id eſt inclinatione naturali, quam habet homo ad veritatem, ponebant principia eſſe contraria; differunt tamen inter ſe. Ioannes, melius exponit hunc textum, q̃ Simplicius, & ceteri. contraria ſint in triplici differentia, aliqua, quæ magis nota ſenſui, quàm rationi ſunt, vt calidum, & frigidum: aliqua, quæ magis nota ſunt rationi, & amborum iſtorum quædam ſunt magis vniuerſalia: quędam minus. exemplum. contraria magis nota ſenſui ſunt calidum, & frigidum: rarum & denſum: magnum & paruum: defectus & excellentia. Contraria notiora rationi ſunt, vt congregatio, diſgregatio: lis, & amicitia: par, & impar: vnitas, & dualitas. vtrorumque iſtorum quædam ſunt magis vniuerſalia: quędam minus, quia inter cõtraria notiora ſenſui minus vniuerſalia ſunt calidum, & frigidum; ſupra hæc ſunt rarum, & denſum, ſupra hæc magnum, & paruum: vniuerſaliora vero ſunt excellentia, & defectus. ita in contrarijs notioribus ſenſui particularia ſunt, vt cõgregatio, & diſgregatio. magis vniuerſalia lis, & amicitia, ſupra quæ eſt par, & impar; ſupra his vero vnitas, & dualitas. inquit ergo, quòd antiqui adinuicem differunt: quia aliqui ponunt principia contraria magis particularia, & notiora ſenſui, vt Parmenides, qui poſuit calidum, & frigidum. nõnulli poſuerant magis vniuerſalia, & ſenſui notiora, vt Thales, qui poſuit rarũ, & denſum. alij adhuc magis vniuerſalia, & notiora ſenſui; vt Plato, qui poſuit magnum, & paruum. Ariſtoteles tamen nõ adduxit omnem opinionem: quia ex ſuperioribus poſſunt haberi. nonnulli vero ponunt principia contraria notiora rationi: & illorum aliqui magis particularia, vt Empedocles, qui poſuit litem, & amicitiam. aliqui magis vniuerſalia, & vniuerſaliora, vt Pythagorei, qui poſuerunt par, & impar: vnitatem & dualitatem, quare concludit Ariſtoteles, quòd antiqui eadẽ dixere, & diuerſa. diuerſa re, quia calidum re differt à raro: & ſic de alijs eadem dixere, ſcilicet proportione. eadem proportione exponit Ariſtoteles prouerbium obſcurum, ſcilicet quia cõtrariorum alia ſunt continentia, alia contenta. hæc verba recte exponit Ioãnes; quòd antiqui dixerunt eadem proportione, quia omnes ex eodem ordine poſuerunt contraria: quia aliqua ſunt magis vniuerſalia contraria, quæ continent: alia magis particularia, quæ continentur. omnes qui poſuerunt principia contraria, poſuerunt illa ambo vel magis particularia, vel magis vniuerſalia: quia vel ponebant calidum, vel frigidum, vel rarum, vel denſum: nemo autem poſuit rarum, & calidum: hoc eſt ergo, quod dictum eſt, quòd antiqui poſuerũt principia cõtraria proportione, id eſt poſuerunt ambo cõtraria eſſe ſibijnuicem contraria. modo Ariſtoteles antiquorum opinionem adinuicem comparat: & inquit, quòd qui poſuerunt principia magis vniuerſalia, rectius dixerũt, & ideo eſt, vt dixit Alexander: quia cum quæramus principia communiſsima, cum vniuerſaliora principia ſint communiora. ideo rectius dixerunt, qui poſuerunt principia ſecundaria vniuerſaliora, ſiue illa ſint notiora ſenſui, ſiue rationi: quia ſemper conueniens, quòd magis vniuerſalia ſint principia prima in vtroque genere contrariorum: quia vniuerſaliora ſunt notiora rationi, quàm ſenſui: & in contrarijs notioribus ſenſui, & in notioribus rationi vnde exceſſus, & defectus ſunt magis nota rationi, q̃ ſenſui: & magis, q̃ dẽſitas, & raritas. ita in his, quę ſunt ſecundũ rationẽ nota, vniuerſalia ſunt rationi notiora: ſenſui autẽ magis particularia ſũt nota. & ſic ex dictis patet principia eſſe cõtraria.

LECTIO LV.

DIXIMVS quòd Ariſtoteles oſtẽſurus nobis numerum principiorum rerũ naturalium oſtendebat prius qualia eſſent, & dixit, quòd erant contraria: ex his ergo infert, quòd non ſunt vnum: & oſtẽdit à ſyllogiſmo, quia vnũ non eſt contrarium, principia autẽ ſunt contraria: ergo non ſunt vnum. maior manifeſta eſt, quia cõtrarium refertur ad oppoſitum. nihil enim ſibimet eſt contrarium: conſtat ergo, quòd vnum non ſit contrarium. minor iam declarata: ergo principia non poſſunt eſſe vnum: ergo erunt finita, vel infinita, non autẽ infinita: ergo reſtat, quòd eſt finita. quod autem non ſint infinita multitudine, oſtẽdit quatuor rationibus. primo repetit rationem, quam ſupra fecit: quia infinitum, ex quo infinitum eſt ignotum: ſi principia rerum naturalium eſſent infinita, ſcientia rerum naturalium tolleretur, quod eſt abſurdum: quia appetitus naturalis non eſt ad impoſsibile: quod autem tolleretur ſcientia naturalium rerum, probatur: quia ſciuntur per ſuas cauſas. ex quo autem cauſæ ſunt infinitæ, ideo ignotæ, ideo non poſſunt ſciri naturalia. ſecũda ratio difficilior: quia in omni genere eſt cõtrarietas vna: ſubſtãtia eſt genus quoddam: ergo in ipſa eſt contrarietas vna. & infra addit prima, & ſic in omni genere vno eſt vna contrarietas: prima ſubſtantia eſt genus quoddam: ergo ſi vna contrarietas prima: ergo duo contraria rerum naturalium generabilium, & corruptibilium: ſunt prima contraria in genere ſubſtantiæ: ergo principia erũt duo numero. ſed Græci expoſitores hic faciunt multas difficultates. primo circa maiorem, quę eſt in omni genere, eſt vna contrarietas prima. prima eſt dubitatio, quid intelligat nomine generis. ſecunda, quæ natura eſt illa contrarietas prima. tertia, in minori, cur dixit ſubſtantia eſt quoddam genus, & nõ dicit, quòd eſt genus ſimpliciter: quia ſubſtantia ſimpliciter eſt genus, eſt vnum genus generaliſsimũ. quarta dubitatio in concluſione, quia dicit, quòd principia contraria in ſubſtantia ſunt prima principia generabiliũ, quomodo putat ſe inueniſſe principium ominum rerum generabilium, & corruptibilium, cum tantum inuenerit prima ſubſtantiæ: quia pręter ſubſtantiam ſunt accidentia, & non dixit eorum principia; tamen propoſuit ſe adinuenire velle principia omnium generabilium tam ſubſtãtialium, quàm accidentalium. quinta, quia Ariſtoteles petitione principij peccat: quia vult probare, quòd in ſubſtantia ſit vna contrarietas, & accipit, quòd in omni genere ſit vna prima cõtrarietas. De prima dixit Alexander, quòd nomine generis intelligit genus prædicabile de pluribus ſpecie differentibus, cum dicit, in omni genere eſt vna prima contrarietas, intelligit per contrarietatem qualemcunque: & ita per genus intelligit quodlibet genus, ſiue ſubalternum, ſiue generaliſsimum, & vnumquodque habet vnam primam contrarietatem, qualiſcunque illa ſit, dixit ſubſtantia eſt genus quoddã. non intelligit genus, quod diuiditur in genera, ſed quod diuiditur in ſpecies: quia. 12. Metaphyſices in triplici differentia ſubſtantia eſt, ſcilicet materia, forma, compoſitum, & ſubſtãtia, quæ prædicatur de illis, eſt analogũ. ideo Auerroes reprehendit Porphyrium, qui dicebat ſubſtantiã eſſe genus vniuocum ad omnes ſubſtantias. ita, cum triplex ſit ſubſtantia, materia, forma, compoſitum: materia diuiditur in materiam cœleſtem, & in materiam corruptibilem: & forma diuiditur in formam coniunctam materiæ, & in formam ſeparatã à materia. compoſita ſubſtantia alia eſt ſimplex, vt elementa: alia mixta. & mixtorum aliqua animata: & hæc ſunt tria, vegetatiuum, ſenſitiuũ, & intellectiuum. dicit ergo Alex. quòd Ariſt. per ſubſtantiam, formam cõiunctam materiæ, quæ poſtea forma diuiditur in plures ſpecies, ita quòd ſit formaliter ratio, in omni genere eſt vna contrarietas; ſed ſubſtantia, id eſt forma eſt quoddam genus: ergo in ipſa eſt quædam cõtrarietas; ſi vna contrarietas, ergo duo contraria, & principia rerum naturalium ſunt prima contraria, ergo duo ſunt principia rerũ naturalium. & Themiſtius venit in hanc expoſitionẽ, vt dicit Ioannes, quia, inquit, loquitur de genere, quod diuiditur in ſpeciem, non autem de eo, quod diuiditur in genera; ſed huic expoſitioni contradicit, Simplicius, & eſt ratio prius facta: quia Ariſtoteles intendebat tradere principia omnium generabilium, hic vero inuenit tantum principia ſubſtantiæ. Secundo, quia forma coniuncta materiæ eſt genus, quod diuiditur nedum in ſpecies; ſed etiam in genera, quia forma coniuncta materiæ diuiditur in formam elementorum ſimplicem, & formam mixtorum. & forma mixtorum, aliqua eſt inanimatorum, & vnaquaq; eſt genus, quia vegetatiua eſt genus ad ſuas ſpecies, & ita de alijs. Tertio, quia nihil diuidit ſeipſum, quomodo ergo per formam intelligit genus, quod diuiditur? quia ſic diceremus, forma coniuncta materiæ habet duo contraria, ſcilicet formam materiæ coniuncta, & priuationem. eſt etiam alia ratio Simplicij, quia Ariſtoteles dicit, quòd omnes contrarietates reducuntur ad illam primam contrarietatem, ſcilicet ad priuationem, & habitum. illæ autem differentiæ, quæ diuidunt formam materiæ coniunctam, ſunt differentiæ naturales. ideo non reducuntur ad priuationem, & habitum: quia priuatio non eſt ens formaliter. ideo aliter præceptor Simplicij, ꝙ per genus intelligit ſubiectum. itaque ſit ſenſus, in omni genere, id eſt in omni ſubiecto eſt vna prima contrarietas, ſicut dicimus, quòd numerus eſt genus paris, & imparis, & ita cum ſupra dicebat corpora Democriti eſſe eiuſdem generis, id eſt ſubiecti, & naturæ, vt diximus, eſt ergo hæc expoſitio Ammonij, in omni re ſubiecta eſt vna prima contrarietas, quæ tranſmutatur circa illã rem ſubiectam, ſed ſubſtantia eſt quoddam genus ſubiectum omnium corruptibilium, ergo in ſubſtantia eſt vna prima contrarietas, quæ eſt priuatio, & habitus, quæ eſt cauſa formalis omnium corruptibilium. Si dicetis, quòd prima ratio ſtat, ſcilicet quomodo Ariſtoteles inueniens prima principia generationis ſubſtantiæ credit inueniſſe principia generationis accidentiũ? reſpondet Ammonius, quòd, cum Ariſtoteles demonſtrauit prima principia ſubſtantiæ eſſe priuationem, & habitũ. ita etiam demonſtrauit principia prima accidentium: quia illa principia generationis ſubſtantiæ ſunt etiam principia generationis accidentium. & ſicut ens eſt commune ſubſtantiæ, & accidenti (ſed primo ſe deflectit ad ſubſtantiam, deinde ad accidentia) ita ergo cum enumerauerit principia ſubſtantiæ. inuenit etiam principia accidẽtium; ſed hęc reſponſio non placet Simplicio, quia, cum genera ſint re diuerſa, habebunt principia re diuerſa, quomodo ergo principia ſubſtantiæ ſunt principia accidentium? etiam ſi eſſet vna contrarietas in oĩbus generibus, ſequeretur, quòd omnium illorum generum eſſet vnum genus, quia vna cõtrarietas eſt vnius generis, quod eſt falſum, quia decem genera illa ſunt generaliſsima. tertio, quia dicit, ens ſe prius deflectit ad ſubſtantiam, quàm ad accidens. dicit Simplicius, hoc non eſt verum, quia accidens non eſt ens ratione ſubſtãtiæ, ſed ex propria natura. bene verum, quòd ordine quodam prius ineſt ſubſtãtiæ, deinde accidenti per ſe. ita principia non prius ſe deflectunt ad ſubſtantiam, quàm ad accidens, itaque ratione ſubſtantiæ accidens habet illa natura per ſe eſt ens, ideo habet prima principia. etiam quumodo

per

per genus intelligit ſubiectum, quia nondum demonſtrauit, quòd eſſet vnum ſubiectum rerũ corruptibilium: ſed infra demonſtrabit, & argumentum videtur habere efficaciam. Quinto aduerſatur Ioannes hic expoſitioni, quia dicit, quòd ſibi contradicit: quia cum Ariſtoteles dicit, ſubſtantia eſt quoddam genus: quid intelligit per ſubſtantiam, niſi genus generaliſsimum? intelligit ergo genus prædicabile, & non ſubiectum. etiã quia omnes contrarietates illius generis debent reduci ad illam primã ſcilicet priuationem, & habitum: & quid hoc eſt niſi accipere genus ſubſtantiæ quod eſt prædicabile? & illud includeremus talem contrarietatem, cum prima ſit, quòd genus intelligit genus generaliſsimum vniuſcuiſque prędicamenti. itaque ſit ſenſus. in omni genere ſupremo prædicamentorũ eſt vna prima contrarietas, ſubſtantia eſt quoddam genus ſupremum: & dixit quoddam comparando ad alia genera accidentium. illa autem prima contrarietas, dicit, quòd eſt exceſſus, & defectus: quia omne genus diuiditur per differentias oppoſitas: quarum vna eſt perfecta, alia habens rationem imperfecti: ideo omnium prædicamentorũ contrarietas eſt exceſſus, & defectus: ideo cõpetunt quantitati. ſunt enim paſſiones quantitatis, & non poſſunt eſſe in alijs prædicamentis, niſi reſpectu quantitatis. quomodo ergo hęc prima cõtrarietas ineſt æqualiter in omnibus prædicamentis? ſecũdo, nulla eſſet ratio Ariſtot. quia dicit principia ſubſtantiæ ſunt exceſſus, & defectus: hoc non eſt verum, quia Ariſtoteles nunquam dixit, quòd principia rerum ſint, exceſſus, & defectus: ſed dixit, quòd habitus & priuatio ſunt prima principia formalia: ideo aliter exponit Simplicius ex Eudemo Rodio, & dicit, ꝙ Ariſtoteles per genus intelligit qualecunque genus, ſiue ſupremum, ſiue infimum, vt ſubſtantia; cuius eſt prima cõtrarietas animata, & inanimata quantitas habet primam contrarietatem ſimile diſsimile; quantitas æquale, & inæquale. & ita omnia alia genera diuiduntur per primas contrarietates ſcilicet per primas ſuas differentias: & ita dicit, verificatur in genere ſubſtantiæ. cum vero dicit ſubſtantia eſt quoddam genus, intelligit per ſubſtantiam eſſentiam, ſiue illa ſit eſſentia accidentium, ſiue ſubſtantiæ: & ita dixit, ſubſtantia eſt quoddam genus, quia accipiebat ſubſtantiam improprie, & ita accipit pro eſſentia, quia vult tradere principia communia omnibus generalibus. Exemplu, ſicut dicimus: albi ſubſtantia eſt diſgregatiui viſus. per ſubſtantiam intelligimus eſſentiam ipſius albi, non ſubſtantiam, quę ſubſiſtat. ita cum dicimus nigri ſubſtantia eſt congregare per ſubſtantiam, intelligit eſſentiam, ita in antepræ dicamẽtis, cum dixit, æquiuoca ſunt ea, quorum nomen eſt commune, & ratio ſubſtantiæ diuerſa. per ſubſtantiam intelligit eſſentiam; ita etiam, hic per ſubſtantiam intelligit eſſentiam, ſed hæc expoſitio eſt falſa, ꝙ ſcilicet habitus, & priuatio ſint cõtinentias ipſius eſſentiæ, quia ſi ſic: ergo talis eſſentia eſſet genus cõmune: cuius oppoſitum dixit Ariſtoteles quarto Metaphyſices, vbi dixit ens eſſe analogum, & non genus: & quia dicit, quòd eadem non ſunt propria omnium prædicamentorũ, quia in vnoquoque eſt ſua contrarietas. oppoſitum dixit Ariſtoteles 12. Metaphyſices quærens an eadem ſint principia omniũ prædicamentorum, dixit, quòd non ſunt eadem ſimpliciter, quia ſic haberet vnum genus cõmune: ſed ſunt eadem proportione, id eſt analogia: & hæc ſunt priuatio, & habitus, quia proportione ſunt eadem in ſubſtantia, & accidentibus: & qualitas nõ diuiditur per ſimile, & diſsimile, quia hæ ſunt paſsiones qualitatis; ita ęquale, & inæquale ſunt paſſiones quantitatis, non differentiæ. tertio, quia hic tantum vult inuenire principia ſubſtantiæ, quia vult inuenire principia omnium rerum corruptibilium: per res intelligit ſubſtantiã, quia accidentia ſunt conſequentia ad res: ideo Simplicius ſibi aduerſatur, quia infra exponens illa verba, ꝙ, poſtquam adinuenit principia rerum naturalium, exponit per res naturales ſubſtantiam, & non accidentia.

LECTIO LVI.

PROBABAT Ariſtoteles, quòd principia eſſent finita multitudine: & hanc rationẽ adduxit, in vnoquoq; genere eſt vna prima contrarietates, & ſubſtantia eſt quoddam genus, ergo: ſed pima cõtrarietas ſunt duo contraria, & illa duo contraria ſubſtãtiæ ſunt principia rerum naturaliũ: ergo prima ſunt finita: ſed, vt dixi, erant tot dubitationes apud Græcos, quot verba. propter has difficultates recitaui plures modos dicendi, & reieci omnes illos modos. vltima, quæ fuit Simplicij, ꝙ Ariſtoteles nomine generis intelligit genus prædicabile; itaque in vnoquoque genere eſt vna contrarietas qualiſcunque ſit illa, quia non eſt eadẽ in omnibus generibus; ſed eſt diuerſa, quia in quantitate eſt contraria, æquale & inæquale, inæquale ſimile, & diſsimile ſubſtantiæ, & quoddam genus: per ſubſtantiam intelligit eſſentiam, quæ eſt communis decem prędicamẽtis, & ſic in ſubſtantia hoc modo ſumpta eſt iſta prima cõtrarietas. priuatio, & habitus, quæ quidẽ ſunt principia omnium rerum naturalium, & ita inuenit principia ſubſtantiæ proprie, & accidentium, quia per ſubſtantiam intelligit eſſentiam: ſed reieci hanc opinionem, quia omnis contrarietas eſt vnius generis. cum igitur priuatio, & habitus ſit cõtrarietas eſſentiæ: ergo eſſentia illa eſſet genus, cuius oppoſitum dixit Ariſtoteles quarto Metaphyſices. ſecũdo, quia 12. Metaphyſices dixit, ꝙ in omnibus prædicamentis non ſunt eadem principia ſimpliciter, & genere; ſed ſunt eadem analogia: & hæc sũt priuatio, & habitus, & primo ineſt ſubſtantia. ſecundo, reliquis prædicamentis dixi. tertio, quòd Ariſtoteles hic quærit tãtum principia rerum naturalium, id eſt corporum, quia nomine rerum intelligit corpora. accidentia autem ſunt affectiones corporis, quòd ſi Ariſtoteles ponat exemplum de accidẽte, quòd ſcilicet dicat, quòd album ſit ex albo, facit, vt magis declararet: ideo quinta expoſitio Ioãnis grammatici, ꝙ nomine generis intelligit genus prædicabile; ita ꝙ ſit ſenſus vnoquoque genere. prędicatio eſt vna prima contrarietas non eadẽ, ſed diuerſa, quia in ſubſtantia prima contrarietas eſt priuatio, & habitus in quantitate continuum, & diſcretum verius exceſſum, & defectum, quia cõtinuum reducitur ad defectum, diſcretum ad exceſſum, quia diſcretum cum oritur ex diuiſione, occupat plura loca; & ſic habet rationem exceſſus. in qualitate eſt contrarietas rarum, & denſum, qnia in duplici differentia ſunt qnalitates primæ, & ſecundæ, vt odor, & ſapor. prima ſunt quatuor primæ, ſcilicet caliditas, frigiditas, humidum, & ſiccũ: & iſtæ reducuntur ad rarum, & denſum, quia caliditas ad rarum, frigiditas ad denſum: ideo cum ſecundę reducantur ad primas, & primæ ad rarum, & denſum, prima contrarietas erit rarum, & denſum. Dixit, ſubſtantia eſt quoddam genus, quia ſubſtantia poteſt conſiderari dupliciter, vt ens ſimpliciter, & ſic ſubſtantiæ non eſt prima cõtrarietas priuatio, & habitus hoc pacto: ſed ſubſtantia diuiditur in corpoream, & incorpoream. poteſt conſiderari ſubſtantia, vt materia præcedens formam generatione, & ſic ſubſtantiæ primæ contrarietas eſt priuatio, & habitus; ideo dixit, ſubſtantia eſt quoddam genus, quia non accepit genus, vt in prędicamentis, & vt ens: ſed vt ſubiectum prę-

cedens

cedens differentias, & dicit vnum intellectu dignum, quia dicit, ꝙ genus præcedit generatione differentias, quomodo declarat? quia primo adinuenit formam generis ipſi Socrati, deinde formã hominis, quæ formæ omnes ſimul ſunt in eodem ſubiecto; ſed forma generis præcedit generatione formam, qua homo eſt homo: & cum adinuenit formã hominis, remanet etiam forma generis; ſed multa falſa dicit quia dicit, poteſt conſiderari genus, vt præcedit differentias; tamen cum eis eſt, hoc non eſt verum, licet ſit verum, quod prius generetur. Dicit Ariſtoteles, ꝙ prius generatur animal tempore, quàm equus: ideo aliquod eſt ſub genere, & non in ſpecie, ſicut cum in animam inuenit ſenſitiuam, quæ non eſt perfecta: tunc eſt animal, & non equus. cum vero fit perfectior generatio, generatur ſenſitiua perfecta: & tunc ſpecificatur illud indiuiduũ, & eſt in ſpecie: ſed in aduētu perfectę formæ corrumpitur imperfecta: exemplum. homo prius viuit vita plantæ, quàm animalis; tamen nõ eſt planta, quia talis vegetatio ordinatur ad ſenſum. cum vero aduenit ſenſitiua, corrũpitur vegetatiua: & ſic cum poſtea aduenit ſenſitiua perfecta, corrumpitur imperfecta: & per eandem formam equus eſt ſubſtantia animal, & equus. & ſic in hoc errat Ioannes, quia dicit, genus præcedit differẽtias generatione, & ſimul cum eſt ita, quod ponit formam animalis eſſe actu in alijs formis ſpecificãtibus ſubiectum, errat: quia non poſſunt eſſe tot formæ ſubſtãtiales, quot prędicamenta eſſentialia, quia ſubiectum eſt vnum ab vnitate formæ. ſi eſſent plures formæ, ſubiectum non eſſet vnum. & hoc argumento vſus eſt Ariſtoteles aduerſus Platonem. & duæ formæ eiuſdẽ generis non poſſunt ſimul eſſe in eodem ſubiecto, & in eadem parte materiæ, & dico, eiuſdem generis, quia Simplicius & omnes græci ponunt in homine duas animas. ex Ariſtoteles ſecundo ethicorum, vbi dicit, duæ ſunt animæ in homine, illæ tamen ſunt diuerſi generis: eiuſdem generis non poſſunt eſſe in eadem parte materię, quia cum vna informet materiam, reliqua ſuperflueret, quia eſſet, vt accidens. tertio, quia ſeptimo Metaphyſices differentiæ debent ſapere naturam generis. ſi autem tot eſſent formę in compoſito, quod prędicamenta eſſentialia, differentiæ non ſaperent naturam generis, quia cum diuideretur ſubſtãtia in animatam, & inanimatam, & animata in vegetatiuam, & ſenſitiuam, & intellectiuam, eſſet animata per formam animationis, vegetatiua per formam vegetatiuæ, ſenſitiua per ſenſitiuam: & ſic non ſaperent naturam generis: ideo poſitio erronea & inter Græcos eſt. ſecundo errat Ioannes in alio, quia dicit, ſi conſideratur ſubſtantia, vt ens, ſic eius non eſt prima contrarietas priuatio, & habitus; ſed tãtum, vt eſt ſubiectum generationis, & corruptionis. ſic deinde eſt de alijs prædictis, quia debent cõſiderari, vt ſubiectum generationis, & qua ratione ſubſtantia, vt ſubſtantia, habet primam contrarietatem, priuationem, & habitum, ita & alia prædicamenta habebunt priuationem, & habitum. quomodo ergo dicit, ꝙ illa genera habẽt diuerſas contrarietates? Errat in alio, quia dicit, quantitatis cõtrarietas eſt exceſſus, & defectus, quod eſt falſum: quia exceſſus, & defectus ſunt proprietates quantitatis & non primæ contrarietates ipſius. etiam rarum, & denſum non eſt prima contrarietas qualitatis, quia licet ſecundæ reducantur in primas, primę non reducuntur in rarũ, & denſum: immo, vt quarto huius dicit Ariſtoteles, & rarum, & denſum ſequuntur primas qualitates: quia raritas ſequitur calefactionem: ideo ſi illæ primæ qualitates reducerentur in rarum, & denſum, tunc non eſſent primæ; & ſic Ariſtoteles non expreſsiſſet prima corpora ſimpliciter: ideo dico, quòd prima principia ſunt eadẽ analogia, vt ſecundo Metaphyſices dixit, & per genus intelligit genus prædicabile: & ſic in omni genere prædicabili eſt vna prima contrarietas, quæ eſt eadẽ analogia, quæ eſt priuatio, & habitus, quæ ſunt prima principia rerum naturalium. ſed dicetis, ſubſtãtia diuiditur in corpoream & incorpoream. quomodo ergo diuiditur in priuationem, & habitum? iam dictum eſt, ꝙ ſubſtantia conſideratur, vt ſubiectũ generationi, & corruptioni, & non, vt ſubſtantia ſimpliciter: & ſic prima eius contrarietas eſt priuatio, & habitus: & ſic patet prima propoſitio, quomodo in omni genere ſit vna prima contrarietas, quomodo aliæ contrarietates reducuntur ad habitum, & priuationem, quia ſubſtantia diuiditur in corpoream & & incorpoream, quæ ambæ ſunt poſitiua, quomodo ergo reducuntur in priuationem, & habitum? Dico, ſi conſiderantur aliæ contrarietates, vt ad generationem, faciunt ſic, reducuntur ad priuationem, & habitum. non eſt autem neceſſe, ꝙ priuatio & habitus prædicentur de omnibus contrarijs: ſed ſufficit, quòd, vt ſubſiſtat generationi, reducantur ad illa, quia ſi ſubſtantia fit, ex non ſubſtantia fit. erat ſecunda dubitatio, cur dixit, ſubſtantia eſt quoddam genus. Dico, quòd Ariſtot. volebat numerare genera vniuoca: & quia ſubſtantia vt communis omnibus ſubſtantijs, & analoga, quia ſubſtantia diuiditur in corpoream & incorpoream, corporea in materiam, & formam, forma in æternã, & corruptibilem, materia in cœleſtem, & corruptibilem, æterno vero, & corruptibili nihil vniuocum. 10. Metaphyſices: Ideo Auerroes reprehendit Porphyrium, qui dixit, ſubſtantiam eſſe genus generaliſsimum, quia dicit tantum, ſubſtantia corporea rerum corporalium eſt genus generaliſsimum. an recte reprehendat, alias dixi, quòd non: quia Ariſtoteles. 7. Metaphyſices dixit, ſubſtantiam eſſe generaliſsimum: quomodo ergo errauit. ita etiam quantitas diuiditur in perpetuam, vt cœleſtis, & corruptibilem: ita & qualitas: ideo dixit, ſubſtantia eſt quoddam genus, quia per genus intelligebat ſubiectum generationi, & corruptioni, quod eſt genus vniuocum. erat tertia dubitatio, quia Ariſtoteles tantum inuenit principia ſubſtantiæ. Dico, vt Ioannes, ꝙ per principia ſubſtantiæ inuenit principia accidentium, quia eadẽ ſunt analogia, vt 12. Metaphyſices, & ſunt priuatio, & habitus, licet primo inſit ſubſtantiæ: ideo Ariſtoteles adinueniens principia ſubſtantiæ fecit intelligere principia accidentium. erat quarta dubitatio, quia in maiori petit, quia ſumit, quod debet probare. Dico, non petit. quia Ariſtoteles accipit maiorem illam vniuerſalem ex inductione, & manifeſte in accidentibus, quia dicebat in genere accidentium album fit ex non albo, id eſt habitus ex eius priuatione: ideo accepit illam maiorem vniuerſalem in omnibus generibus ex inductione: ideo poſtea intulit concluſionem. Ioannes tangit hanc quæſtionem, & neſcit ſoluere. dicit enim ꝙ Ariſtoteles non petit in maiori, quia fiebat manifeſta maior, quia rei generabilis terminus eſt definitio vnius rei, eſt tantum definitio vna, & illi opponitur priuatio: ideo principia rerum naturalium ſunt definitio, & priuatio. & loco formæ intelligit definitionem; ſed eſt purus error, quia generationis rei terminus eſt forma, & non definitio. etiam quia definitio non habet eſſe in re; ſed tantum in intellectum, quia conſtat definitio ex genere, & differentia, quæ ſunt vniuerſalia, quæ vniuerſalia tantum in intellectu ſunt, & non in re: ſed quod generatur eſt res, ideo terminus generationis non eſt definitio: ideo melius eſt dicere, ꝙ accipit maiorem inductione: ideo eſt clarior concluſione.

LECTIO LVII.

DEMONSTRABAT Ariſtoteles ꝙ principia rerum naturalium formalia erant finita, addit tres rationes quia natura de poſſibilibus verſatur ſemper in id, quod melius eſt: ſed poſsibile eſt rerum naturalium principia eſſe finita, quo ad generationem, & corruptionem nõ infinita: ergo melius eſt ponere finita: maior eſt manifeſta, quia natura ſemper de poſsibilibus verſatur circa melius: minor declaratur, ꝙ poſsibilius ſit rerũ naturalium ſeruare principia ponẽdo illa finita, quę infinita oſtẽdit ex Empedocle, quia ponebat. 6. principia quatuor elementa, & litem, & amicitiam: & dicebat facilius eſſe ita ſeruare omnia principia rerum naturalium. quod autem melius ſit ex finitis, quàm ex infinitis, patet, quia infinitum eſt ignotum: finitum eſt notum. etiam quia natura ſemper agit expeditiori via, quæ poteſt agere. ſed agere per principia finita eſt expeditior via. ergo quarta ratio, quia prima contraria ſunt multitudine finita: prima principia generationis ſunt prima contraria: ergo prima principia ſunt finita multitudine. maior eſt manifeſta, quia omnis cõtrarietas eſt inter duo contraria: ergo prima contraria ſunt finita: ſed prima principia ſunt prima contraria, patet: quia prima principia ſunt prima, quia communia. & ex illis omnia fiunt, quę fiunt: ergo ſunt finita multitudine principia naturalia. & ad declarationem aſſumpti dicit, contrariorum quędam ſunt priora natura, quædam poſteriora: priora ſunt magis vniuerſalia, & continentia, vt ſegregatio, & diſgregatio ſunt priora ſecundum antiquos: poſteriora ſunt album, & nigrum. cum ergo prima principia ſint, & debeant eſſe maximè continentia, & communia, & ita ſint prima cõtraria, quia ſunt continentia, & maximè communia: ergo principia ſunt prima contraria. addit verbum obſcurum, oportet principia ſemper manere, dupliciter exponit Alexander, quia dicit principia non poſſunt generari, quia ſi generarentur illa nõ eſſent prima principia, nec poſſunt corrumpi, quia ſi ſic, illa principia amplius nõ fierent principia rei generandæ, cuius oppoſitum dixit Ariſtoteles. 8. Phyſicorum, vbi demonſtrauit ex æternitate motus mundum eſſe æternum: ideo & generatio æterna: & ſic ſecundo de generatione, & corruptione dixit, generatio eſt æterna, quia motus cœli eſt æternus, ideo ex acceſſu ſolis fit generatio, ex receſſu corruptio. & quia dicit prima principia ſunt maximè communia: ideo vniuerſalia; ſed vniuerſalia nõ poſſunt corrumpi. 7. Metaphyſices, ſed tantum ſingularia: ideo prima principia ex quo vniuerſalia non poſſunt corrumpi; ſed obſtat ei Simplicius, quia omnia cõtraria ſunt adinuicem tranſmutabilia: quod ita probat ęternum caret contrarijs: & ſic non corrumpitur. quod autem habet contrarium, neceſſe eſt, vt corrumpatur. cum ergo prima principia ſint cõtraria, ergo tranſmutabilia ſunt adinuicem. etiam quia dicit prima principia ſunt vniuerſalia: ideo æterna: vel accipit vniuerſalia, vt ſingularia ſunt, & ſic ſunt corruptibilia, & generabilia, quia hæc forma corrumpitur, & ita hęc priuatio ſi accipiat vniuerſalia principia pro vniuerſali, ſic nõ generantur, & ſunt æterna; ſed ſic contraria. ſecunda & alia principia ſunt ęterna: ideo nulla erit differẽtia: ideo in textu. 7. dicit Simplicius, ꝙ prima principia oportet ſemper manere, quia carent generatione, & corruptione: ſed cadit in foueam, quam fecit contra Alexandrũ. & declarat, quomodo prima principia carent generatione, & corruptione, quia generatio eſt compoſiti. 7. Metaphyſices: & ita corruptio, vnde forma bouis non corrumpitur, ſed bos. ſed vtar argumento aduerſus ipſum, quia contraria ſunt transferentia adinuicem: ſed prima principia ſunt contraria: ergo etiã ſi proprie compoſitum generatur, & corrumpitur; non dicit tamen generari, niſi ratione formæ: vnde bos dicit generari, quia forma eius generatur: & ita forma generatur, & corrumpitur, cum ſcilicet deſinit eſſe. Io. aliter. & tertio dixit Alexander, & fuit expoſitio Auerrois, quod prima principia oportet ſemper manere, id eſt ſtare, id eſt nõ habent priora principia, ex quibus generentur, & in quę corrumpantur. ſed eſt dubitatio apud me, quia ſuperflua erit illa particula ſemper, quia ſi prima principia dicuntur manere, quia habẽt ſtatum, cur addit ſemper? ideo eſt quarta expoſitio Ioannis Ammonij, & Simplicij. hic prima principia oportet ſemper manere, quòd illud ſemper non dicit vniuerſaliter temporis; ſed rerum; & eſt ſenſus. prima principia oportet ſemper manere, id eſt oportet vt ſint in omni generatione, & corruptione, & ſeruentur in omnibus: & talia principia prima ſunt priuatio, & habitus. exemplum, quia nigrum, & albũ ſunt contraria illis. priora adhuc ſunt calidum, & frigidum, his rarum, & denſum, his vero congregatio, & diſgregatio, iſtis vero priora ſunt priuatio, & habitus. ſi generatur album ex nigro, hic vero ſeruatur talis contrarietas albi, & nigri: ſed illa communis, quæ eſt priuatio, & habitu conſeruatur, & ita cum nigrum fit ex albo, ibi eſt prima contrarietas, quia ex non nigro fit nigrum, & in omni generatione eſt prima contrarietas: & talis eſt cõmunis omni generationi: ideo contra principia ſunt maximè communia, & continentia: & principia prima ſunt maximè communia, & continentia: ergo prima principia ſunt prima cõtraria. probauit ergo illam minorem, quòd prima principia ſint contraria, ex illa propoſitione, ꝙ prima principia oportet ſemper manere, id eſt eſſe communia omni generationi: & ita prima principia ſunt communia generationi omni: ideo prima principia ſunt prima contraria: ſed eſt dubitatio, quia Plato dicebat oppoſitum, quòd prima principia ſint æterna. videtur, ꝙ Ariſtoteles loquatur conformiter Platoni: ideo dicit, principia oportet ſemper manere. Dixit Simplicius, ꝙ Plato loquebatur de principijs extrinſecis, & cauſis æternis, vt ſunt animæ cœleſtes, quæ ſunt æternæ. Ariſtoteles vero loquitur de principijs intrinſecis, quæ ſunt corruptibilia: hucuſque venati ſumus duo principia formalia, ſcilicet habitum, & priuationem. Volumus venari tertium, quod eſt materia, & ſic ſenſim, nos ducit Ariſtoteles ad inueniẽdum tertium principium. probat ergo, quòd pręter contraria, ſit aliud principium, quod ſit ſubiectum, & dicit. non ſatis ſunt cõtraria ad generationẽ; ſed neceſſe, ꝙ inueniatur ſubiectũ, ꝙ trãſmutetur per illa. & hoc probat multipliciter, quia principia, quatenus principia aliquid faciunt, id eſt ſunt cauſa eſſendi alijs. hæc cõtraria, vt contraria, nihil poſſunt facere: ergo principia contraria non poſſunt eſſe per ſe principia. maior eſt manifeſta, quia principia aliquid faciunt, quia aliquid inſtituunt, minorem declarat, ꝙ contraria nõ poſſunt aliquid facere, quia omne agens debet agere in ſubiectum, quod ſuſtinẽt ſuam actionem, & cum ipſo remaneat, hoc eſt clarum ex ſe, quia ſi agens debet agere, oportet quod agat in ſubiectũ, vt ſubſtineat ſuam actionem: ſed nullum contrarium poteſt eſſe ſubiectum alterius contrarij, & non poteſt actionem alterius contrarij ſubſtinere, quia actio vnius contrarij, non poteſt actionẽ alterius contrarij ſubſtinere, quia actio vnius contrarij corrumpit alterum: vnde ex actione nigri corrumpitur album, & album non ſuſcipit actionem contrarij ſui; ſed ab illa corrumpitur. Dat etiam exemplum Ariſtoteles ex Empedocle, quia dicit, lis corrumpitur ab amicitia, &

tia,& non poteſt eſſe eius ſubiectũ:ideo etiam tertium ſubiectum. eſt alia ratio, quæ diuiditur in duos ſyllogiſmos, contraria nulli ſubijciunt,principia ſubijciuntur; ergo prima principia non ſunt contraria, etiam prima de ſubiecto non dicuntur; ſed contraria de ſubiecto dicuntur, quia inſunt ſubiecto:ideo principia non ſunt contraria; ſed oſtenſum eſt, quòd prima principia ſunt contraria, ergo debet poni illud ſubiectum. ſed Simplicio magis placet,quod reſoluatur in ſyllogiſmum vnum per illam coniunctionem, quia dicit contraria inſunt in ſubiecto, & ſunt accidentia, quia in ſubſtantia non eſt contrarietas. cum ergo accidentia ſunt,& ſic in ſubiecto:prima principia nõ ſunt in ſubiecto,quia ſi ſic non eſſent; ergo prima principia:quia ſubiectum eſſet eis prius:ideo prima principia non ſunt contraria;ſed iam oſtenſum eſt eſſe:ideo detur principium, quòd ſit ſubiectum. Tertio,inquit Ariſtot.nulla ſubſtantia habet contrarium,omne contrarium habet ſibi contrarium;nullum ergo contrarium eſt ſubſtantia: ſed principium generationis ſubſtantię eſt ſubſtantia; ergo debet inueniri aliud ſubiectum, & ſubſtantiæ: & talis erit materia. quòd autem principium ſubſtantiæ ſit ſubſtantia, declarat Ariſtoteles, quia principia ſubſtantię eſt natura prius ſubſtantia; ſed nõ ſubſtantia. nõ poteſt eſſe natura prior ſubſtantia,quia ſubſtantia eſt prior natura nõ ſubſtantia, immo dicit eſſe aliud ſubiectum, quod ſit principium, & tale erit materia. quid ergo ſequitur, quia dictum eſt prima principia ſunt cõtraria? & oſtenſum eſt prima principia non eſſe contraria. ex veris rationibus accipio illas propoſitiones indefinitas, & ſic ſunt veræ. & dicit Ariſtoteles, niſi accipiamus tertiam naturã principij, non poterimus ſaluare illas ſecundas propoſitiones. ſi indefinitas accipimus, ſaluabimus illas, ſcilicet prima principia ſunt contraria, ſ. formalia, & vera eſt:& prima principia non ſunt contraria, accipiens materiam, & formam, quia materiæ non contrariatur forma.

LECTIO LVIII.

QVEMADMODVM dictum eſt, inuenibat Ariſtoteles tertium principium rerum naturalium ſcilicet materiam ex præhabitis rationibus, quæ videbantur ſibi repugnare: & prima erat, quòd principia rerum naturalium erant contraria, & quòd nõ erant contraria, dixit Ariſtoteles, indefinitæ ſunt veræ ambæ propoſitiones; quia ſi ponatur ſubiectum, quòd ſubijciatur cõtrarijs, ambæ indefinitę erunt veræ: quia ratione formæ principia erunt contraria; ratione vero materię, quã nunc adinuenimus, prima non erunt contraria, quia materię nec forma contrariatur, nec priuatio: ſed quia Ariſtoteles arguẽdo aſſumpſit plures ſuppoſitiones, tanquam veras: ideo Simplicius dubitat, & Ioannes, & primo aſſumpſit, quòd principium ſubſtantiæ ſit ſubſtantia, quia principium ſubſtantiæ eſt natura prius, quàm ſubſtantia. Dubitat Simplicius: quia ſi principia ſubſtantiæ ſunt priora natura, ipſa ſubſtantia, ergo erit, antequam ſit quia cũ ſit ſubſtantia, & ſit prior ſubſtantia, ergo erit, & non erit. Soluit Simplicius, quia dicit, quòd principia ſunt priora ſubſtantiæ, accepit ſubſtantiã non pro vniuerſali ſubſtantia: ſed pro determinata, quia ſubſtantia eſt alia materia, alia forma, alia compoſita. itaq; cum Ariſtot. dicit, principia ſubſtantiæ priora ſunt natura, ſubſtantiam intelligit, de ſubſtantia ſimplici, vt materia, nõ de compoſita. Alia dubitatio, quia dicit principia non eſſe contraria ratione materiæ, quia dicit, contraria ſunt in ſubiecto, & ſunt accidẽtia: prima principia non ſunt in ſubiecto, & nec accidentia: ergo nec contraria. nonne dixit, ꝙ principia prima ſunt contraria, & forma eſt in ſubiecto? oppoſitum ergo dicit, & materia erit perfectior ſubſtãtia, quia magis ſubſiſtit, quàm forma. Dicatis, ꝙ principia non ſunt cõtraria ratione ſubiecti; ſed ratione formæ, ideo propoſitio non eſt vniuerſaliter vera: ſed nunquid ad minus materia ſit magis ſubſtantia, quàm forma, quia dicit, materia non eſt in ſubiecto, forma eſt in ſubiecto. dicit Simplicius, ſi conſideramus conditionem expreſſam in prædicamentis ab Ariſtotele ſcilicet, quòd ſubſtantia caret cõtrario, & nõ ſit in ſubiecto: materia eſt magis ſubſtantia, quia caret contrario. forma autem habet cõtrarium, & eſt in ſubiecto: ratione tamen perfectionis forma eſt magis ſubſtãtia, id eſt perfectior ſubſtantia, quàm materia. formam dicit eſſe in ſubiecto æquiuoce, quia non eſt, vt accidens in ſubiecto: quia accidens eſt in ſubiecto actu exiſtente: forma autẽ eſt vt in ſubiecto potentia, ſcilicet in materia. ſed quomodo dicit principia ſubſtantiæ non ſunt in ſubiecto? quia oppoſitum dictum eſt, ꝙ forma, ſcilicet eſt in ſubiecto, & priuatio ſit in ſubiecto. Dico, quòd illa propoſitio principia ſubſtantiæ non ſunt in ſubiecto, non eſt vniuerſaliter vera; ſed tantum vera eſt de materia. Eſt quarta dubitatio, quia ſupra probauit, quòd principia prima ſunt prima contraria: hic vero, ꝙ principia contraria non ſunt prima principia. dicit Simplicius, quòd non probauit, ꝙ prima principia ſint prima cõtraria; ſed probauit, quòd principia non ſunt tantum prima contraria, quia requiritur ſubiectum: & ſic non eſt implicatio. Eſt alia dubitatio, quia dicit ſubſtantia ſubſtantiæ non contrariatur. contra, quia ſi non eſt à cõtrario ſubſtantia, ſubſtantia generatur, & corrumpitur: ergo habet contrarium. Dicetis, ꝙ in ſubſtantia non eſt cõtrarietas proprie, & poſitiue: ſed ſi habet contrarium eſt ratione accidentium: ideo dixit, ꝙ ignis maximè cõtrariatur aquæ, quoad primas qualitates, cum quarto cœli dixit, ꝙ ignis maximè contrariatur terræ, loquitur de motu: ideo ſi ſubſtantia generatur habet contrarium ratione accidentiũ, vel qualitatis, vel motus: & ſubſtantia habet contrariũ priuatiuum, quæ cõtrarietas eſt per generationem. confirmat ſuam opinionem, quòd debet dari aliud principium, quòd ſit ſubiectum, & confirmat ex ſententia priſcorum, quia dicunt, quòd eſt ſubiectũ generationis, & corruptionis. quidam tamen ponunt aerem, quidam aquam, quidam ignem quidam medium: ex duobus elemẽtis, & rectius hi, qui dicunt, ꝙ ſubiectum eſt vapor medius inter duo elementa, & ratio eſt, quia ratione ſubiecti ſecundæ ſunt conditiones; vna, quòd ſit expers formæ: ſecunda, quòd facilius tranſmutatur: ſed hæ duæ conditiones maximè competunt corpori illi medio, quia magis eſt expers qualitatibus, quia alia Elementa habent qualitatem in ſummo: in illo medio ſunt redactæ ad medium: ideo facilius illud eſt expers formis: ideo ratio primæ cõtradictionis, tale corpus potius eſt illud medium. deinde qui ponunt aerem melius, quàm qui ponunt aquam, & ignem, quia aer, etſi habet qualitates in ſummo; tamen non ſunt ita ſenſibiles ratione raritatis ſubiecti. ignis non poteſt frigefieri; ita terra difficultate tranſmutatur in qualitates contrarias, ideo rectius dicunt, qui ponunt corpus medium eſſe ſubiectum: deinde qui ponunt aerem conſequenter. Ariſtoteles cum declararit, quòd præter contraria, indigebamus ſubiecto, hic vult oſtendere quòd ſubiectum ſolum non ſit ſatis pro generatione naturalium, ſed præter ipſum egemus contrarijs: & hoc probat teſtimonio antiquorum. & qui ponunt omnia fieri ex vno principio, dicunt, quòd fiunt ex illo ſubiecto ex contrarijs, ratione quorum generantur res naturales. & alij ponũt rarum, & den-

ſum

ſum.& hoc, quòd tria ſint principia rerum naturalium,eſt opinio antiquorum: quia ipſi dicebant,quòd erat ſubiectũ vnum,deinde exceſſum,& defectum, vel magnum,& paruum:ſed dicit, iſti differũt inter ſe, quia aliqui ponunt duo principia,ex parte formæ,cui eſt agere vnum ex parte materiæ vnum,cuius eſt pati, quia dicunt aquam, quidam ponunt duo ex parte materię vnum ex parte,vnum formæ.& fuit opinio Platonis, quia ipſe ponebat magnum,& paruũ, ex parte materiæ;quia illa circunſcribunt materiam:vnum ex parte formæ ideam ſcilicet , quæ eſt exemplar rei fiendæ.dixi, cur Plato nominauit materiã duplici nomine formam vero tantum nomine vno,& dixi , quòd ſequutus eſt Pythagoreos,& quòd metaphyſice locutus eſt,quia ex forma cauſatur vnitas , ideo vnico nomine appellauit. numerus vero , qui recedit ab vnitate, primus eſt binarius, ideo duplici nomine appellauit materiã . etiam quia materia primo ſuſcipit quantitatem,ratione cuius diuiditur in magnũ, & paruum.Poſtquã Ariſtoteles declarauit, quòd tria erant principia duo contraria , & vnum ſubiecti , hic amplioris doctrinæ gratia inquit.Simplicius vult oſtendere, ꝙ principia iſta non poſſunt eſſe plura tribus: ad hoc etiam oſtendendũ vtitur ſyllogiſmo bypotbetico diniſiuo: quia ſi ſunt plura tribus, aut addemus contrarietatem, aut ſubiectum: ſed nullo modo poteſt fieri ; ergo tantũ triplicia, quòd non poſſunt augeri,niſi declarat ſyllogiſmo ſupiadicto.& eſt ex quatuor propoſitionibus, quia inquit, aut plura ſubſtantia, & plura ſunt contraria.ſecundo , quòd contraria ſunt plura ſubiectum , antequam ſcilicet cõtrarietas vna plura ſubiecta,aut vna contrarietas,& vnum ſubiectũ. ego oſtendam, quòd non poſſunt eſſe vltimo modo . Oſtendo, quòd non poſſunt eſſe plures contrarietates, & plura ſubſtantia, quia aut ex quolibet illorũ contrariorum cũ vno ſubiecto poſſunt generari omnes res,vel aliquæ ex vno ſubiecto, & vna contrarietate;& aliquæ ex alia cõtrarietate cũ ſuo ſubiecto ſi dicas,ex vtroq; ſubiecto ſeorſum, & ex ſua contrarietate ſeorſum generantur omnes res ſuperfluæ.alia contrarietas, & aliud ſubiectum,ſi dicas,quòd ex vno ſubiecto cum ſua contrarietate generãtur aliquæ res : ex alio ſubiecto cũ ſua contrarietate alię ſequentur, inquit Ioannes,duplex abſurdum, hoc primum tacet , vt ſui moris eſt, & eſt ſcilicet, ꝙ omnia contraria generabilia non erunt ad inuicem tranſmutabilia,quod eſt abſurdum,quia omnia ſublunaria ſunt adinuicem tranſmutabilia, & immediate, & ſunt inuicem tranſmutabilia, quia vna eſt materia communis omnibus, vt primo de generatione dixit Ariſtoteles:ſi ergo ſunt ſecunda ſubſtantia : non ergo erunt naturalia inuicem tranſmutabilia . ſecundum, abſurdum eſt, ꝙ nulla illarum contrarietatum erit prima contrarietas, quia prima contrarietas oportet ſemper manere in omni generatione:ſed ſi ſint, & nulla illorũ ſemper manebit: ſed aliquando, vna aliquando altera:nec poteſt dici ſecundum membrum,quia quæram,vt potius an ex vtraque cõtrarietate ſeorſum cum ſuo ſubiectũ,an ex vna contrarietate alia generetur, & ex alia; alia ſi primo modo,ergo vna earum erit ſuperflua, ſi dicat, quòd ex vna contrarietate aliæ res generantur , & aliæ ex alia;tunc ſequetur illud duplex abſurdum , quòd non omnia corpora debent tranſmutari:oportet, ꝙ habeant materiam communem , & contrarietatem vnam . itaque fiat ex priuatione babitus & contra. ſecundum abſurdum,ꝙ nulla illarum erit prima cõtrarietas,quia ex quo oportet principia ſemper manere in omni generatione. oportet, ꝙ aliqua illarum ſemper ſit in omni generatione,quod non poteſt eſſe ſecundum ipſos : quia ex vna contrarietate fiunt quædam, & quædã ex alia.ſi autem dicas, quòd plura ſunt ſubiecta,vt duo,& vna cõtrarietas, quæram,vt prius an ex vno ſubiecto,cum vna contrarietas ſufficit: & ſi ſic ſuperfluit, ergo aliud ſubiectũ . ſi dicatis, quòd ex alio ſubiecto cum illa contrarietate,quędam & ex alio,cum eundẽ contrarietate , alia quædam . ſequitur duplex abſurdum, illud primum ſupradictũ, quòd ſcilicet non omnia corpora erũt inuicem tranſmutabilia , quia non eſt vnum ſubiectum ; ſed plura : etiam non erit illa prima contrarietas , quia non ſemper permanebit. complet rationes, quia inquit, quatenus principia naturalium rerum . prima autem contraria ſunt prima principia : & talia principia ſunt principia ſubſtantiæ:& ſubſtantia eſt quoddam genus;ergo eſt eius vna contrarietas prima,ſcilicet priuatio,& habitus:ergo prima erunt tria . dixit prima principia debent eſſe principia cõmunia , & econtra. quia ſicut principiorum quædam ſunt prima , quædam ſecunda: ita contrariorum quædam ſunt prima,& quædam ſecunda:ideo debemus dicere, ꝙ prima principia ſunt prima contraria. prima contraria ſunt vnius generis,ideo vnius contrarietatis.ideo contrarietates non poſſunt muluplicari,dixit,quatuor exiſtẽtibus.ſ.cõtrarijs .

LECTIO LIX.

OSTENDEBAT Ariſtoteles non poſſe eſſe plures cõtrarietates, nec poſſe augeri numerũ principiorum ratione contrarietatis, quia prima principia ſunt prima cõtraria generis ſubſtantię.& hęc duo ſolũ ſunt, quia ſubſtantia eſt vnum genus: ideo vnius contrarietatis: ideo non poteſt augeri numerus principiorum ex parte contrarietatis,& dicit Ariſtoteles,alię contrarietates videntur reduci in iſtam primam ſcilicet priuationem , & habitum:& non dixit,reducuntur,ſed videntur: ideo eſt dubitatio, cur dixit videntur, cum reuera omnes contrarietates reducantur ad illam: Dicit Simplicius dupliciter primo,ꝙ ita dixit, vt innuat nobis , ꝙ ſumpta eſt fides huius ex euidentia rei, & teſtimonio antiquorum, quia ipſi ponebant vniuerſalem contrarietatem ſupra exceſſum & defectum . Dicit ſecũdo Simplicius,ꝙ dixit videntur,quia in hoc differt ab alijs, quia antiqui ponunt exceſſum, & defectum . Ariſtoteles vero babitum,& priuationem:ideo dixit,videntur.Secunda dubitatio, quia cum dixit,præter cõtraria eſt ſubiectum, quòd eſt natura media inter contraria,quomodo dixit , natura media, cum natura media inter contraria ſit eiuſdem generis cum extremis ? materia autem non eſt eiuſdem generis cum contrarijs primis , ſcilicet forma, & priuatio.dicit Auerroes in Textu.56.quòd Ariſtoteles appellauit naturam mediam ipſum ſubiectum,quia ſicut medium eſt potentia vtrunque contrarium , vt medij colores potẽtia ſunt extremi,quia poſſunt tranſmutari in extremis: ita ſubiectum appellauit natura media , quia tranſmutatur in formam,& priuationem. Dicit tamen,quòd differunt , quia medij colores ſunt potentia extremi;non tamen pura potẽtia,ſed permixta actui,quia in medio ſunt colores extremi,licet remiſſæ ſubiectum autem eſt pura potentia ad vtrunque: quia nec forma, nec priuatio remiſſe ſunt in ſubiecto: ideo hæc eſt differentia, ſed eſt dubitatio, quia dixit, ꝙ medij colores erant qualitates ſimplices: ideo vnius ſpeciei, quomodo dicit Auerroes , ꝙ colores extremi ſunt in medijs, licet remiſſæ?& aliqui imaginati ſunt quòd colores extremi eſſent actu in medijs , ſicut tepidum continet calidum, & frigidum actu remiſſe: ſed hoc non eſt verum, quia colores non eſſent ſimplices , immo compoſiti : ideo dico, quod dixi heri quòd colores extremi ſunt in medio ,

non actu, ſed virtute, ſcilicet quò ad cauſam, quia medius color naſcitur ex temperatura media inter vtranque temperaturam extremorum, ſicut nigrum oritur ex caliditate, & album ex frigiditate. viredo vero oritur, & temperatura media obtinente calidum, & frigidum: ideo differentia eſt inter tepidum, & medios colores, quia tepidum non dicit vnam formam, ſed dicit aggregatum ex calido, & frigido. eſt tertia dubitatio, quia dicit tria ſunt principia naturalium rerum generabilium, & corruptibilium. in cœlo enim non eſt priuatio: videtur, quòd non ſint tantum tria principia, quia quatuor ſunt cauſæ; ergo & quatuor principia, & vel ſunt tria numero, vel ſpecie, vel genere, non numero, quia res habent numerum. nec tria ſpecie, quia ſpecies ſunt plures, & vniuſcuiuſque ſunt principia ſpecie diſtincta. nec tria genere, ex quo iſta prędicamenta inſunt omnibus prędicamentis, quæ genere diſtinguuntur, & prædicamenta ſunt. 10. ergo principia plura, quàm tria. tertio, quia ita quátitas, & aptitudo videntur poni principia, ſicut priuatio, q̃a res naturales non poſſunt generari, niſi ſit quantitas: & ſi res debet generari, oportet, quòd ſit apta materia transmutari. differt enim potentia ab aptitudine, quia aptitudo ſequitur principia naturalia. potentia vero principia naturalia, & violentia. quarto, quia in principio creauit Deus cœlum, & terram, nulla præſuppoſita materia; ergo non omnium generabiliũ naturalium generationis principia erunt tria materia ſcilicet forma, & priuatio. De primo dico, ꝙ verum eſt, quòd debent eſſe quatuor principia, ſed hic non quęrimus principia omnia ſimpliciter, ſed tantum interna, quæ sũt materia, forma, priuatio: ideo licet ſint quatuor cauſæ; tamen ſunt tantum tria principia. De ſecundo dico, ꝙ iſta non ſunt tria genere logico, neq; phyſico; ſed ſunt eiuſdem generis ratione modi participandi: & ſic ratione principiandi ſunt tria principia ſecũdum dictum modum, quia forma eſt terminus ad quem priuatio, terminus à quo materia defertur: & ſic in principiare ſunt tres modi, ſcilicet terminus, ad quem, terminus à quo, & ſubiectum, quod defertur ad vtrunque, & ſic principia non ſunt tria nec numero, nec ſpecie, nec genere ſemper. De tertio dico, quòd quátitas, & aptitudo refertur ad materiam, quia non habent alium modum principiandi à materia: ideo non ponuntur in numero principiorũ. De quarto quicquid ſit dicatis, ꝙ illa non erat generatio, ſed creatio, & emanatio ſimplex. Ariſtoteles loquitur de generatiõe, an vero detur talis creatio dicam, & videtur quod non, quia nec ſenſus nec ratio oſtendit. intellige ſecũdum naturam & more philoſophorum loquendo, quia de Deo aliter ſentiendum eſt.

QVOD igitur,} cum oſtenderit, quot, & qualia eſſent principia, qualia quod & contraria quotquot tria hic vult exactè quærere, numerũ principiorum, an ſint tantũ tria, an duo, quia poſſumus appellare duo & tria: quia ſi ſegregamus priuationem à materia, & à forma, tũc erunt tria principia; ſi vero non ſeparemus, tunc duo erunt principia, quia priuatio, cum ſit priuatio formæ, reducitur ad formã, etiam poteſt reduci ad materiam, quæ priuatio cum materia eſt vna numero, ſcilicet ſubiecto: ideo nõ ſecundum numerum; etiam quia priuatio habet diſtinctum modũ principiandi à forma, materia: quia forma, & materia ſunt per ſe principia priuatio per accidens: ideo Ariſtoteles quærit an debeant dici duo, an tria; & ad ſoluendum dicit oportet conſiderare vniuerſales rationes generationis, quia generatio alia ſubſtantialis, alia accidentalis: & dicit, debemus cõſiderare vniuerſalem rationem generationis, quia vniuerſale præcedit particulare. deinde deſcendere, ad particularem generationem, & præcipue debemus conſiderare generationem ſubſtantiæ, quia in illa latet ſubiectum, & facit hic Ariſt. vt in logica, quia prius definit ſyllogiſmum, deinde declarauit demonſtrationem, deinde ſyllogiſmum topicum. ideo ex hoc dicit Ioannes, ſumitur intentio pręſentis libri, quæ eſt tractare de rebus conſequentibus corpora naturalia, & hæc ſunt quatuor. cauſæ, & accidẽtia communia: quæ ſunt quatuor ſecundum rei veritatem: duo ſecundum exiſtimationem ſcilicet vacuum, & infinitum: ex vniuerſali ergo ratione generationis, vt ſe extendit ad naturalem, & artificialem. & ratio eſt, quòd generatio eſt tranſmutatio de non eſſe ad eſſe ex priuatione ad habitum. ex hac enim ratione cognoſcemus differentiam priuationis à materia ad habitum: & ſic ſoluetur quæſtio. ſed notãdum, inquit Ariſtoteles, quòd duplex generatio vna ſimplex, & hæc attribuitur rei Simplici, & eſt duplex vna, quæ attribuitur ſubiecto; alia priuationi. exemplum attribuitur ſubiecto, cum dicimus homo fit muſicus, cum dicimus muſicus, fit ex immuſico, attribuitur priuationi, generatio cõpoſita eſt, quæ attribuitur rei compoſitæ, vt homini muſico, quia dicimus homo fit ex homine, non muſico. Dicit Ariſtoteles, quòd generatio, quæ attribuitur priuationi, differt ab illa, quæ ſubiecto attribuitur. dupliciter tamen. ex modo loquendi, nõ ex parte rei, ex modo loquẽdi, quia cum attribuitur priuationi, dicimus hoc fit, ex hoc fit hoc. exemplum dicitur, immuſicum fit muſicum, & ex immuſico, muſicum. ſi attribuatur ſubiecto, debet tantum, quòd. hoc fit hoc, non autem hoc ex hoc, quia dicimus homo fit muſicus, non autem ex homine fit muſicum, in generatione compoſita poſſumus dicere, quòd hoc fit hoc, & ex hoc fit hoc, quia poſſumus dicere, homo muſicus fit homo muſicus, & ex homine muſico homo muſicus: ſed hic proprie loquimur de generatione ſimplici. ſecunda differẽtia, quæ eſt cauſæ prima quòd generatio, quæ attribuitur ſubiecto, permanet: quæ autem attribuitur priuationi, nõ permanet, quia ſi adueniat muſicum homini homo permanet. ſi vero generaretur muſicum ex immuſico, non permanet immuſicum: ſed corrumpitur. Ariſtoteles quod factũ eſt, intelligit ſubiectum, & priuationẽ, quod fit forma Simplicius.

LECTIO LX.

DETERMINATIS autem his, quærebat Ariſtoteles nunquid hæc principia tria ſunt, vel duo: & habet multã dubitationem, quia videtur, ꝙ priuatio reducatur ad formam, quia eſt abſentia formæ: abſentia autem formæ reducitur ad formam. videtur etiam reduci ad materiam, quia eſt accidens materiæ: ideo eſt vnũ cum materia. etiam priuatio eſt ens per accidẽs: ergo præſupponimus per accidẽs. dixit Ariſtot. ſoluendo hanc quæſtionem, ſumendo definitionem vniuerſalis generationis tam ſubſtantialis, quàm artificialis. & iſte eſt ordo doctrinæ incipere ab vniuerſalioribus: ideo dixit, ſi conſideremus rationem vniuerſalem ipſius generationis, videbimus, quòd generatio eſt mutatio de non eſſe ad eſſe, vt etiam quinto Phyſicorum inſpiciamus, ſic ſumpta generatione, differentiam priuationis à ſubiecto. Dixit Ariſtoteles, quòd erat duplex priuatio ex modo loquẽdi, quia dicimus, in priuatione hoc fit hoc, ex hoc fit hoc. in ſubiecto dicimus tantum, quòd hoc fit hoc, & diximus, ꝙ duplex generatio vna ſimplex, cum fit ex ſimplicibus, alia compoſita, cum fit ex compoſitis. generatio ſimplex eſt, vel attribuitur ſubiecto, vel priuationi: hęc erit differentia inter oppoſitum, & ſubiectum: quia in ſubiecto dicimus, ex hoc fit hoc in oppoſito, id eſt priuatione di-

ne dicimus vtrunque. alia differentia, qua ſubiectum permanet in acceſſu formæ, priuatio non permanet cnm forma; quæ generatur: hæc eſt ſecunda differentia in re. inquit ergo Ariſtoteles diſſoluturus hanc quæſtionem, quòd cuilibet generationi neceſſarium eſt ſubiectum, quod ſubijciatur, quod fit, id eſt formæ, quia cum fit homo, qui erat muſicus, muſicus, dicimus hominem factum eſſe muſicũ. neceſſarium ergo eſt ſubiectum, quod ſit idem numero cũ prænomine, differt tamẽ ratione materia, & priuatio ſunt idem numero, quia materia eſt eius ſubiectum. differunt ratione dupliciter, vt diximus, ad quæſtionẽ: ergo dicimus, quòd ſecundum rem duo ſunt principia: tria vero ſecundũ rationem, quia priuatio eſt eadem materiæ, differt tantum ratione. Auerroes dicit, ꝙ Ariſtoteles probat hoc ſuppoſitum, ꝙ omni generationi ſubijciatur aliquid. primo, quia omnis generatio, id eſt omnis productio ſubſtãtiæ eſt mutatio: omnis mutatio eſt alicuius ſubiecti mutatio, ergo eſt quòd generatio ſit alicuius ſubiecti. ſecundo, omne, quod fit poteſt eſſe, quia impoſsibile fieri non fit, ſed ablata materia, auferatur omnis natura poſsibilitatis, & nulla res poteſt eſſe: ideo debet ſubijci ſubiectũ in generatione. quòd autem materia ſit origo eſſe & non eſſe, eſt ſententia Ariſtotelis octauo Metaphyſices, quia dicit materia eſt origo rei eſſe, vel non eſſe, ablata ergo materia, tollitur omnis generatio, & Inuehit contra modernos, & pro his intelligit Auerroes, & dicit, quòd hoc ignorauit Auicenna, quia dicebat, ꝙ Deus creauit cœlum ex nihilo; ideo propter conſuetudinem ignorant, ꝙ omnis productio requirat ſubiectum: ideo negant hanc ſuppoſitionem propter conſuetudinem, quia à pueritia audiuerunt hoc, ſcilicet quòd cœlũ ex nihilo factum fuit, & hanc conſuetudinem tetigit Ariſtoteles ſecundo Metaphyſices dicens, ꝙ leges impediunt ad compenſandas diſciplinas. idem Auerroes dixit tertio huius: ideo multi continuant illud procemium cum iſtis, & reuera poteſt continuari: quia ibi nihil ad propoſitum videtur dicere de conſuetudine; ſed ex aliquo repetit. turſus eandem differentiam priuationis, & ſubiecti ſub diuerſis verbis differunt ex modo loquendi, quia ſi de priuatione dicamus, vtrunque quod hoc fit hoc, & ex hoc fit hoc tamen magis proprium eſt priuationi ex hoc fit hoc quàm hoc, quàm hoc fit hoc, quia homo eſt proprium ſubiecto: & licet vtrunque dicatur de priuatione, nihil minus de ſubiecto tantum: alterum dicimus vel quod hoc fit hoc, vel ex hoc fit hoc, ſicut dicimus ex ære fit ſtatua. dicitur hoc fit hoc, vt homo fit muſicus, & ratio eſt cur ſubiectum dicatur fieri hoc, quia cum forma remanet, ſubiectum in priuatione dicimus rectius, per quod hoc fit ex hoc, quia ſimplici generatione non in aduentu formæ corrumpitur: ideo non poſſumus dicere, ꝙ hoc fit hoc. in compoſita generatione dicit vtrunque, & hoc fit hoc, & ex hoc fit hoc, quia dicimus, ꝙ homo muſicus fit homo muſicus, & quòd ex homine muſico, fit homo muſicus, quia reſpectu ſubiecti dicitur hoc fit hoc reſpectu priuationis hoc ex hoc: ideo in generatione compoſita vtrunq; dicere poſſumus prima eſt dubitatio Ioannis Grammatici circa intentionem Ariſtotelis; quia dixit, oſtendimus, ꝙ tria ſunt principia. quærẽdum modo eſt, an duo an tria dixit. diſſoluetur quæſtio, ſi cõſideremus rationem vniuerſalem generationis. dubitatur, quia Ariſtoteles ſupra oſtendit, quòd & erant principia contraria prima, & tertium ſubiectum, quid ergo hic ambigit, an hæc, principia ſint duo, an tria. ſecũdo, quia reddens cauſam diſſolutionis quæſtionis dixit, oportet conſiderare rationẽ vniuerſalem generationis. contra, quia philoſophus naturalis conſiderat res, generatio nõ vniuerſalia eſt res, quia vniuerſale ens, quia notiora nobis ſunt propriora ſingulari. quomodo ergo hic dicit vniuerſaliter eſt notius? tertio, quia, inquit, quod ordine doctrinæ prius incipere debemus ab vniuerſalioribus: ideo tradere prius rationem vniuerſalem generationis. contra, quia ſi ſic priua debebat tradere principia communia corporum cœleſtiũ, & corruptibilium: deinde principia corporum ſingulorum tamen prius tradit principia corruptibilium: deinde tradit principia cœleſtium in ſeptimo & octauo huius. De primo dicit Ioannes, quòd Ariſtot. non ambigit, an tria ſint principia: ſed ambigit an illa principia, quę dicimus eſſe contraria, verius poſsint dici duo, an tria: quia hoc habet multam dubitationem, quia priuatio videtur reduci ad materiã, vel ad formam, vt ſit abſentia formæ. De ſecundo dicit Ioãnes ſequendo expoſitionem ſuam ſuper quintum textum, quia ibi dixit, quòd per confuſum intelligit particulare vagum, ita hic nomine vniuerſalis intelligit particulare aliquod cõtentum ſingularibus. ſed nõ capio hoc, quia quod eſt illud particulare, quia quod continetur, in ſingularibus eſt vniuerſale. nec ideo accipio animam intellectiuam, ſecundum Auerroem, quæ eſt vna numero, quia vniuerſale eſt in indiuiduis, nemo poſuit vniuerſale in rebus, ſi Scotiſtæ ponant naturam communem ponunt illam, non per participationem, ſed per indifferentiam. immo dico, quòd quęrit vniuerſalem rationẽ generationis, quæ eſt mutatio de non eſſe ad eſſe, cum dicis verſatur circa res, verum eſt: ſed illud vniuerſale, non eſt res. Dico, & ſi non ſit res, ſupponit tamẽ rem, quia nihil aliud eſt vniuerſale, quàm ſingulare conceptum, & vniuerſale in eſt ſingulari tantum ſecundum prædicationem, ideo argumentum leue: & in hoc eſt differentia, inter ſcientias reales, & rationales, quia reales præſupponunt res; itaque conſiderant corpus vniuerſaliter tamen conceptum: rationales vniuerſalia in ſe conſiderant. De tertio dico, quòd tradit viam doctrinæ, & ordinem. via doctrinę eſt demonſtratio, quia procedimus ad notitiam rei. cum vero dicit vnde ex vniuerſalibus rebus, tradit ordinẽ doctrinæ, quia cum vnius rei ſint plures cauſæ: ideo videndum erat, à qua cauſa incipiamus: & docet Ariſtoteles, ꝙ incipiemus ab altiori cauſa, id eſt cõmuniori, & ratio, quia vniuerſaliora ſunt notiora nobis. quod autem addit, quòd prius debuit tradere principia communia corporum cæleſtium, & corruptibilium, deinde principia vtrorumq; ſed ſtatim aggreditur principia corruptibilium. Dico ꝙ non habent principia communia, quia materia cœli eſt alterius ſpeciei. à materia corruptilium, & forma cœli eius animalis, forma corruptibilium eſt materialis, vel ſiue animalis aliquando deſinit informare aliquod corpus, vt intellectiua aliquando deſinit informare, non quòd generetur. Sed dices, cur prius tradit principia corporum corruptilium, quàm cœleſtium? Dico, quia erant notiora, quàm cœleſtia. Eſt dubitatio in prima differentia, quia non eſt verum, ꝙ de oppoſito dicatur vtrunque: quia non homo, non domus ſunt oppoſita; tamen non dicimus, quòd non homo fiat homo, atque non domus fiat domus, & non eſt verum, quòd de ſubiecto dicatur, quòd hoc fit hoc: quia non dicimus, ꝙ ſemen fiat homo, nec latus domus; ſed ex ſemine homo. dicit Ioannes, & bene, quòd Ariſtoteles videtur ſibi aduerſari, quia prius dixit, ꝙ in ſubiecto dicimus, hoc fit hoc: nõ autem, quòd hoc ex hoc. deinde dicit de ſubiecto eſſe, dicimus, quòd ex hoc fit hoc, ſicut eſt ære ſtatua. dicit Ioannes, quòd reuera, & de ſubiecto dicitur vtrunque, & item de priuatione: in quo ergo erit differentia, quia de eodem oppoſito aliquando dicimus: vtrunque tamen de eadem materia nunquam poſsumus dicere ſimul, quòd hoc fit hoc,

& ex hoc fit hoc, cum de priuatione dicitur vtrunque. ita cum proprium ſit ſubiecto dici, hoc fit hoc; cur vtrunque non dicitur ex ſubiecto, dicit Ioannes, & bene quòd aliquã do ſubiectum, & priuatio eadem voce proferuntur; tamen dicit primo priuationem: ſecundo ſubiectum, ſicut immuſicum primo ſignificat priuationem, deinde ſubiectũ: ideo dicimus tunc, quòd hoc fit hoc ratione ſubiecti, & ex hoc ratione priuationis. in ſubiecto autem non habemus vnam vocem, quæ exprimat ſubiectum primo ſecundario priuationem, ideo non dicimus ſubiectum fieri hoc, & ex hoc hoc: quia ſubiectum vel exprimitur priuatione, vt cum dicimus, ex ære fiat ſtatua: tunc dicimus, ex hoc fit hoc. ideo dicit Ariſtoteles, quòd dicimus ex ſemine fit homo: quia ſemẽ eſt materia alterationis. ideo exprimitur nomine priuationis, ita etiam ex ære fit ſtatua: quia æs eſt, vt materia. ſi dicatis materia prima ſemper immanet ſubiecto; tamen nõ dicimus, quòd materia prima fit ignis, ita ligna lapides immanent domui, tamen non dicimus, ꝙ lapis fit domus, nec lignum. Dico quòd lapis, & lignum ſunt materia alterationis: quia interuenit alteratio ad hoc, vt fiat domus, ideo exprimimus nomine priuationis. de materia prima dico, ꝙ eſt expers omnis formæ, ſicut lignum eſt expers forma lecti, tamen illa poteſt ſuſcipere. ideò dicimus, ꝙ ex materia prima fit ignis potius, quàm ꝙ illa fit ignis.

LECTIO LXI.

DIXI, quomodo reſpectu, & ſubiecti hoc fiat hoc: & ex hoc fit hoc. & dixi, quoties exprimebamus ſubiectum, vtebamur recto, vt homo fit muſicus, quoties exprimebamus ſubiectũ ratione priuationis, dicimus ex hoc fit hoc, & quotieſcunq; circũſcribimus materiam alterationis, dicimus, ex hoc hoc; ſed eſt dubitatio, quia Ariſtoteles videtur abuti ſubiecto: quia dicit, dicimus alterum modum de ſubiecto, vel quòd hoc fit hoc, vel ꝙ hoc ex hoc: non tamen de ſubiecto vtrũque ſimul dicimus, ſicut aliquando dicimus vtrunque de priuatione. videtur quòd Ariſtot. abutatur ſubiecto, quia materia differt à ſubiecto, quia materia dicit potentiam, & priuationẽ formæ: ſubiectum vero dicit materiam, vt ſtat ſub forma. Exemplum, aqua appellatur materia, vt eſt priuata forma aeris, & eſt in potentia ad aliam vocatur ſubiectum, vt illa materia habet formam aquæ. eandem ſententiam Auerroes habuit in de ſubiecto orbis, & dixit, quòd orbis cœliſtis eſt ſubiectum reſpectu formę; & tamen materia ratione motus localis, vt priuatur illo motu: materia vero dicit potẽtiam. videtur ergo quòd ab vtatur ſubiecto: quia per ſubſtantiam intelligit materiam priuatam forma, vt homo priuatur muſica, ideo appellatur ſubiectum. dicatis quod reuera abutitur ſubiecto: quia nomine ſubiecti intelligit materiam, quæ eſt improprie ſubiectum. Alia dubitatio, quia Ariſtoteles dicebat, quòd tria erant principia ſecundum rationem: duo, ſecundum rem: quia priuatio accidit materiæ, & priuatio, & materia ſunt vnũ numero. ideo duo principia ſecundum rem materia, ſcilicet & forma. eſt dubitatio, quia non videtur, ꝙ materia, & priuatio ſit idem numero, vt inquit Ariſtoteles, quia permanens, & non permanens non ſunt idem; ſed materia permanet, adueniente termino ad quem ſcilicet forma: priuatio vero corrumpitur, ergo non ſunt idem. etiam, quia dicit, quòd priuatio, & materia ſunt vnum numero; differunt tamen ratione, id eſt definitione. cõtra, quia ſi ſunt vnum numero, ergo & vnũ ſpecie, ergo vnum genere: quia maior eſt vnitas numeralis, minor ſpecifica, adhuc minor generica ei ſunt, ergo vnum, vnde ergo eidem ſpeciei, ergo eiuſdem definitionis: quia definitio non eſt indiuidui, ſed ſpeciei tantum. tertio poſt ergo non differunt ratione, etiam cur dixit materia, & priuatio differunt, forma, & ſpecie expoſuit, id eſt definitione cum ſecundo phyſicorũ definitio reducatur ad genus cauſæ formalis. quarto, ſicut dicimus, quòd materia, & priuatio ſunt vnum numero: quia vnum eſt ſubiectum alterius: pari paſſu, debemus dicere quòd forma, & materia ſunt vnum numero: quia materia, eſt ſubiectum formæ: ergo debuit dicere, quòd principium ſit vnum tantum ſecundum rem, tria vero ſecundum rationem differentia. de primo dico, quòd priuatio, & materia ſunt vnum numero per accidẽs, & non per ſe: per accidens, quia vnum eſt ſubiectum alterius, ſicut dicimus, quòd paries, & albedo ſunt idem numero: quia paries eſt ſubiectum albedinis, & ita conſueuit Ariſtoteles ſubiectum cum accidente ſuo appellare idem numero. ideo ſtat, quòd vnũ reliquum corrumpatur. Eodem pacto ſoluitur ſecunda dubitatio, quia vnum numero eſt bifariam per ſe, & per accidens; vnum numero per ſe ſunt eiuſdem ſpeciei, & generis: ſi vero ſit vnum numero per accidens, non ſequitur, quòd ſit eiuſdem ſpeciei: quia, vt dixi, paries & albedo ſunt vnum numero per accidens: ideo nõ ſunt eiuſdem ſpeciei, nec eiuſdem generis: ideo nõ ſequitur, quòd priuatio, & forma ſint eiuſdem ſpeciei, & per conſequens definitionis, quia ſunt vnum numero per accidens, cum dicis, hæc duo differunt forma, & ſpecie, id eſt definitione, cum definitio reducatur ad formã. Dicit Simplicius, quòd ideo expoſuit Ariſtoteles quia videbatur ex verbis, quòd materia habeat formã, ita priuatio habeat formam. ideo, vt ſubterfugeret hanc quæſtionem, expoſuit, differũt forma & ſpecie, id eſt definitione: quia materia, & priuatio carent formis: ideo tantum ratione differunt. De quarto dico, quòd priuatio, & materia ſunt vnum numero, ita & materia, & forma ſunt idem ſubiecto, & idem numero per accidens: quia materia eſt formæ ſubiectum, cum dicis, ergo eſt vnum principium ſecundum rem, ſcilicet materia. dico, quòd non ſequitur: quia ſi conſiderentur hæc principia reſpectu compoſiti, ꝙ generatur forma, remanet, & eſt principium per ſe. ideo nõ reducitur ad materiam priuatio eadem numero: quia nõ remanet in re generata: ideo tantum eſt principium per accidens. dicimus enim ꝙ illa eſt principium per accidens: quia accidit materiæ, quæ eſt rei generandæ ſubiectum: ideo dixit Ariſtoteles, dicemus, ꝙ duo erunt principia ſecũdum rem, & tria ſecundum rationem, non autem ita poſſumus dicere de forma, quòd ſit principium per accidens, vt accidit materiæ; ſed eſt principiũ per ſe, ꝗa remanet in cõpoſito. dubitatio quarta in verbis Auerrois, qui dicit, quòd in omni genere indigemus ſubiecto, quia ſi non præſupponeret, ſubiectum fieret, quod eſt impoſsibile fieri, quia ſi auferatur materia, tollitur omnis potentia. ideo Ariſtoteles octauo Meraphyſices dixit, quòd materia eſt principium eſſe, & non eſſe. Eſt dubitatio, quia non videtur verum, quòd ablata materia tollatur omnis potentia, quia, ablata omni materia, adhuc remanet Deus. ergo poſsibile eſt, quod fuit Deus: quia quod eſt neceſſarium eſt poſsibile. poſsibile enim diuiditur per contingens, & neceſſarium. etiam ante mundi conſtitutionem Deus poterat producere omnia; & tamen non erat materia, & produxit: quia creauit cœlum, & terram, & materiã inferiorum, quia Deus cognouit ea ſimplici cognotione poſsibilia futura. & dixi ſimplici cognitione: quia Deus cognoſcit etiam cognitione figurata, vt hircocerũs, quia hominem intelligit, ſed illa eſt cognitio collatiua: & talia non ſunt probabilia; ſed impoſsibilia. ideo cum Deus cognouiſſet, poterat illa producere,

ducete, & tamen ibi era t nulla materia. poſsibilitas rerum exiſtendarum eſt in intellectu diuino: exiſtentia vero rerum, à voluntate. ideo aliquæ res ſunt, aliquæ non: quia ita placuit voluntati diuinæ, & per imaginationem auferatur materia omnis: adhuc libertas eſt in homine ad poſſe, vel ſic, vel ſic operari. ideo eſt poſsibilitas, & potentia intellectum, ablata etiã omnis materia. ideo non videtur verum, quod ablata omni materia auferatur omnis potentia. Contingit alia dubitatio, quia dixit, quòd materia eſt cauſa potentiæ eſſendi, & non eſſendi. ideo ablata materia aufertur omnis potentia. Contra, quia materia prima non videtur cauſa potentiæ, quia, Socrate mortuo, remanet eadem portio materiæ, quæ erat in Socrate viuo. ergo debet remanere eadem potentia. quod ſi ita eſt, ergo Socrates mortuus poterit fieri viuus, quia ab eadem cauſa peruenier idem effectus, & cum ſit eadem materia, ideo idem effectus. oppoſitum tamen dixit Ariſtoteles ſecundo de generatione, & corruptione: quia mortuus non poteſt redire idem numero. De primo dico, quòd ablata materia, tollitur omnis potentia, dicitur poſsibile, quòd remaneat Deus. dico duplex poſsibile vnum logicum, quod dicit non repugnantiam, & ſic eſt poſsibile, quòd Deus ſit, & ſic quod eſt poſsibile, ſemper eſt poſsibile. ideo iſta eadem eſt, ſemper eſt poſsibile, quia non eſt repugnantia terminorum: quia illi termini aliquando ſteterunt ſimul. Aliud eſt poſsibile, quod eſt ordo ad formam: & talis ordo, & potentia eſt ex parte agentis: & vocatur actiua potentia ex parte materiæ: eſt potentia paſſiua, & ſic talis poſsibilitas naturalis aufertur, ablata prima materia. De ſecundo dico, ꝙ hoc non eſt verum apud philoſophos, quòd Deus creauit mundum, quia apud philoſophos ſe comitantur iſtæ duæ potentiæ, quod eſt poſsibile ex parte agentis, & poſsibile ex parte paſsi: & ſi vnum poſsibile auferatur, alterum deſtruitur. ideo in illo primo inſtãti, antequam creaſſet mundum Deus, ea non cognouit eſſe poſsibilia, quæ poſsibilitas eſt ex parte materiæ, & ſic, vt poſsibilia, non erant cognita apud Deum; nec à voluntate diuina determinabatur hanc rem eſſe, & illã non eſſe: quia hoc eſt ex parte materiæ. ideo cum aufertur potentia agentis, auffertur potentia patientis: iſtæ enim potentiæ ſe conſequuntur. ſed etiam dubitatio, quia philoſophi ponunt iſtã potentiam ex parte materiæ: & res ſunt in triplici differentia: aliquæ ſunt potentia, aliquæ ſunt actu, aliquæ non ſunt, ſed futuræ ſunt: vnde eſt hoc, ꝙ res ſunt futuræ diſtinctę ab eſſe potentiæ, dicunt Theologi à voluntate diuina. philoſophus forte ita diceret, quia eſſe potentiæ eſt ex parte materiæ actualis, exiſtentia eſt ex parte agentis: ponit vero philoſophus futurum eſſe ex parte materiæ, & agentis, remoto omni impedimento, quia, poſitis cauſis, ſequitur effectus: non habet ergo res eſſe à voluntate diuina. ideo aliquod eſt poſsibile, quod non euenit, quia fuerit impeditum. De alio licet differat libertas à contingentia, quia contingentia eſt quædam indifferentia ortum habens à materia prima: libertas vero eſt indifferentia ortum habens ab intellectu: & dicam, ꝙ libertas fundatur in intellectu, & non in voluntate, cum dicitur, ablata omni materia, remanet libertas, ad ſic, vel ad ſic operandum. dico, cum aufertur materia, aufertur etiam libertas, quia cum aufertur poſsibilitas ex parte materiæ, aufertur ex parte agentis, quia res, oportet, vt ſint prius in potentia, quàm in actu. De quarto ꝙ aliqui dicunt, ꝙ licet ſit eadem materia numero in Socrate viuo, & mortuo tamen quia dum erat viuus Socrates, illa materia erat in potentia, cum vero corrumpitur, amplius non eſt in potentia ad illam formam, ideo non redit idem numero, ſed ſoluũt litem lite: quia cur non reuertitur eadem potentia numero? ideo apud philoſophos non poſſumus dicere aliter, quia corruptum non reuertitur idem numero, quia corruptum: nulla eſt alia ratio. ideo ad argumentum cum dicis eſt eadem portio materiæ, ideo eadem potentia. Dico ꝙ omnino non eſt eadem potentia: quia primo antequam eſſet tranſmutata ad formam mortui, erat potentia, pro generatione Socratis, cum non eſt tranſmutata. Amplius, illa potentia non reſpicit hoc: & ideo, cũ dicis, ab eadem cauſa prouenit idem effectus, verum eſt; ſed non eſt omnino eadem cauſa, quia non eſt eadem potentia ſimpliciter, quia cum erat pro generatione hoc, non erat tranſmutata adhuc ad formam cadaueris; cum vero tranſmutatur ad formam cadaueris, amplius non reſpicit hoc, quia non eſt ſimpliciter eadem potentia. ideo bene dixit Auerroes.

LECTIO LXII.

MVLTIPLICITER autem cum dicatur fieri, cum Ariſtoteles poſuit differẽtiam inter priuationem, & ſubiectum, vt difficultatem illam declaret, an duo, an tria eſſent principia, dixit, quòd priuatio, & materia ſunt idem ſubiecto; differunt tamen ratione duobus modis, quia, etſi de priuatione dicatur, vtrunque proprium tamen eſt priuationi, dicere hoc ex hoc, & contra de ſubiecto, quòd ſcilicet magnitudinis ei hoc fit hoc, & hoc eſt prima differentia ex modo loquendi. Secunda differentia etiã ex modo loquendi: quia de eadem priuatione licet aliquando dicere vtrunque, vt quòd immuſicus fit muſicus, & ex immuſico muſicus; ve eodem ſubiecto nunquam dicimus vtrunque ſimul, licet ſeorſum vnumquodque dicatur de ſubiecto: quia dicimus, ꝙ homo fit muſicus, atque ex ære fit ſtatua; ſed æs habet rationem priuationis, quia eſt materia alterationis. Eſt alia differẽtia ex parte rei, quia, forma adueniẽte, priuatio corrumpitur, materia autem manet cum illa forma. ideo dicit Ariſtoteles dicemus tria erunt principia ſecundum rationem, duo ſecundum rem materia ſcilicet, & forma. hic quia probauit, quòd in generatione accidentali eſſet ſubiectum, quia hoc occultum erat in generatione ſubſtantiali, ideo vult oſtendere, quòd in ſubſtantiali generatione requiritur ſubiectum: & dicit, ꝙ duplex eſt generatio: vna ſimpliciter, alia eſt generatio aliqua: generatio ſimpliciter eſt cum aliquid abſolute generatur, vt cum Socrates generatur, vel ſubſtantiæ indiuiduum. generatio aliqua eſt, cum non generatur res abſolute, ſed cum aliquo accidente, vt cum generatur Socrates albus: & ſic accidentiũ generatio eſt generatio aliqua, quia ſemper generatur in aliquo, quia accidentia habent eſſe in ſubiecto, ideo in generatione accidẽtium manifeſtum eſt, quòd ſit ſubiectum, quia, ſicut ſe habent eſſe accidentia, ita ſe habent generari; ſed habent eſſe in ſubiecto: ergo & generari. ſed de generatione ſubſtantiæ contingit dubitare, quia cum ſubſtantia non ſit in ſubiecto, ideo non debet generari cum ſubiecto: ideo in generatione ſubſtantiali nõ requiritur ſubiectum. probat tamẽ Ariſtoteles, quòd in generatione ſubſtantiali ſit ſubiectum inductione ſcilicet, quia in generatione animalis, & plantæ eſt ſemen, quod eſt ſubiectum. accipit hic ſemen impropriе, quia proprie ſemen eſt tantum viri, quia effectiue concurrit: in muliere non eſt ſemen proprie, ſed eſt ſanguis menſtruus, qui paſsiue concurrit ad generationem, & pro nutritione; licet medici aliter dicunt, quia dicunt, quòd & in muliere eſt ſemen proprie: vnde dicunt, ꝙ in ſemine viri eſt duplex pars: vna craſsior; altera ſubtilior: craſsior paſsiue cõcurrit: ſubtilior actiue. & in muliere ſe-

men, quod habet duas partes craſsiorem ſcilicet, & tenuiorem, quo ad ſubtiliorem cōcurrit fæmina effectiue, quo ad craſsiorem materialiter: ſemper tamē ſemen viri perfectius effectiue concurrit, quàm mulieris. Ariſtoteles tamen dixit, quòd mas dat formam, fœmina materiam, ita Ariſtot. accipit ſemē pro ſanguine mēſtruo. Auerroes longe digreditur & inquit, quòd ſemen improprie ſumptū, ſcilicet pro ſanguine meſtruo, non eſt proprie materia, quia ſemen dicit priuationem formæ generādę, ſiue negatiua forma, ſiue generanda, ſiue ſenſitiua; includit tamen materiam ſemen: ideo in ſemine eſt ratio priuationis, & ſubiecti. eſt ratio priuationis, vt dicit priuationem formæ generandæ. eſt ratio ſubiecti, vt includit materiam primam, quæ ad formas diuerſas tranſmutatur. inquit ergo Auerroes inconuenientiā ponerent inter generationem ſubſtantiæ, & accidentium, aſſumpſit hoc, quia ſicut generatio accidentium compoſita notat ſubiectum, & priuationem, vt homo immuſicus, ita generatio ſubſtantiæ notat ſubiectum, & priuationem, vt cum ex ſemine fit animal. Eſt alia conuenientia, quia in generatione accidentium fit generatio ſucceſsione quadam. exemplum, ſi ex nigro debet fieri album, prius corrumpuntur aliqui gradus nigredinis, & introducuntur gradus albedinis; deinde gradus alij nigredinis corrumpūtur, & alij albedinis introducuntur; & ſic ſucceſsiue dum completa eſt generatio albi: ita in generatione ſubſtantiali contingit, ꝙ ipſa fit propter partem poſt partem. Exemplum. cum ex ſemine homo fit, prius corrumpitur pars ſeminis, & in illa parte introducitur forma hominis: deinde alia pars corrūpitur, & in illa parte introducitur alia pars ſormæ hominis. cum vero totum ſemen eſt corruptum, terminatur generatio: quia tota forma hominis erit introducta. ſi tamē, inquit Auerroes, forma hominis habeat partes, quia hæc quæſtio diſputabitur tertio de anima; aſſumpſit tamen, quòd haberet partes, ex ſententia Alexandri, qui poſuit eam eſſe mortalem, & inter expoſitores Ariſtotelis græcos fuit vnicus. ſi vero dicatur, ꝙ forma hominis, ſcilicet anima rationalis ſit indiuiſibilis, vt ſecundum rei veritatem eſt, quid dicendum? dicit ipſe, quòd erit ſucceſsio, non ex parte formæ hominis, ſed ex parte temperaturæ hominis: quia cum corrupta ſit pars ſeminis, introducitur temperatura per formam hominis, cum corrumpitur alia pars introducitur temperatura hominis, & ſic forma, & ſic ſucceſsiue, donec corruptū erit totū ſemen, perficietur generatio: nec propter hoc ſunt plures animæ rationales in homine; ſed tantum vna magis ſecūdum partes intenſa. ſcitis enim ſecundum Auerroem, quòd omnium hominum tantum eſt anima ſecūdum rem, & reddit rationem ſui dicti: quia, inquit, cum generatione coniuncta eſt alteratio, ideo ſi alteratio fit ſucceſsiue, ita & generatio: ſed dicetis: Auerroes habet difficultatē, quia hic fatetur, ꝙ omnis generatio ſit ſucceſsiua, hoc non videtur verum: quia ſi generatio eſſet ſucceſsiua, non daretur minimum ignis ſecundum ſeipſum exiſtens, & ſic de alijs. accipiatur enim minimum illud ignis, & ſit, verbi gratia, digitale. quæro, cum applicetur ei agens, an in toto illo minimo ſimul forma generanda introducatur, aut ſucceſsiue. ſi primo, ergo non erit ſucceſsiua, quia tota eſt ſimul. ſi ſecundo introducatur, ergo agens in primam partem formam generabit: alia pars remanebit ignis, quæ eſt minor minima, & ſic nō dabitur minimum minimo ſeorſum exiſtens. Ita de homine, & animali, & alijs. oppoſitum tamen dixit Auerroes ſecundo de anima. 41. vbi dixit: omnium natura conſtantium eſt determinata quantitas: non dabitur minimus homo, quia accipiatur minimus ille homo: prius in vna parte introducetur forma hominis, quàm in alia parte, & illa pars erit ſeorſum exiſtens; ergo homo, & ſic non dabitur minimus homo. ſecūdo, anima non erit actus corporis phyſici organici: corpus organicum eſt, quod conſtat ex diuerſis partibus inſtrumentalibus, & hoc nō ab re, quia ex quo in alio diuerſa ſunt opera: ideo oportet, vt diuerſa ſint inſtrumenta. ſi ergo ſecundum Auerroem prius forma hominis introducatur in vna parte, quàm in alia, vt puta in corde; & cum cor non ſit corpus organicum, quia non conſtat ex partibus diuerſis organicis: ideo cor non eſt organicum corpus, anima requirit organicū: ideo anima nō erit actus corporis organici, cum tantum in corde introducta fuerit. Tertio dabitē homo ſine hepate, cerebro, & pedibus, & nō erit, nec mas, nec fæmina, quia cū introducitur anima prius in corde, tunc cor erit homo, quia ſeorſum exiſtet viuens, & tamen erit ſine hepate, cerebro, &c. vt dixi ſeorſum exiſtens, quia partes hominis inexiſtentes in ſunt homo, vt dixit Petrus Mantuanus. Quarto errat in alio Auerroes, quia imaginatur, quòd corrupta forma ſanguinis mēſtrui introducatur ſubito forma hominis abſque hoc; ꝙ prius introducatur vegetatiua: deinde ſenſitiua imperfecta. oppoſitū dixit, quòd corrupta forma ſanguinis introducitur vegetatiua: deinde ſenſitiua imperfecta, & corrumpitur vegetatiua: deinde ſenſitiua imperfecta, & imperfecta corrumpitur. & Ariſtoteles ſecūdo de generatione animalium cap. tertio dicit, quod animal præſenti tempore viuit vita plantæ, quàm vita animalis; ideo in illo tēpore nec vigilat, nec dormit, & ſi fœtus prius viuit vita plāta; ob hoc tamen nō dicitur, quòd mulier concipit plantam, & ſi in fœtu tāmen forma plantæ ſit, quia ſunt diuerſæ rationis, quia forma in planta non ordinatur ad aliud: forma vero vegetatiuę fœtus ordinatur ad aliud ad ſenſitiuam ſcilicet ideo non dicitur planta: deinde corrumpitur vegetatiua, & introducitur ſenſitiua imperfecta: ideo nō eſt conueniens, quod aliquid ſit ſub genere, & non ſit ſub ſpecie. cum illud non ſit adhuc perfecte completum, deinde introducitur ſenſitiua perfecta: ſimul cum anima hominis, & corrūpitur, ſenſitiua imperfecta. in homine enim ſunt duæ animæ re diſtinctæ ſecundum Græcos fere omnes: & Ariſtoteles ſecundo Ethicorum. quidquid dicant Theologi, quid dicendum? quia Ariſtoteles ſecundo de generatione animalium cap. 4. dicit, quòd cor prius generatur, & vltimo moritur, cuius ſignum, inquit, quia in pullo videmus, quòd prius generatur gutta ſanguinis, quæ palpitat: ideo prius vna pars generatur quàm alia. ergo ſucceſsiua erit generatio, vt dicebat Auerroes: ideo Scotus tertia diſtin. tertij de formatione corporis Chriſti dicit, & bene, quòd partes corporis ſucceſsiue generantur: deinde facta formatione omniū partium, quæ appellātur partes organicæ à Deo, anima intellectiua creatur, quomodo ergo Ariſtoteles dicit, quòd cor prius viuit, & vltimo moritur, dixi quòd Theophraſ. de hiſtoria animaliū dicebat oppoſitum. dicebat enim quòd omnia membra ſimul fiūt, & cauſam reddebat, quia ſpiritus gignitiuus procreat omnia membra, & ſic ſimul omnia membra informat. bene verum eſt, quod cor prius abſoluitur: ideo dicimus, ꝙ huius eſt ſucceſsio, non ex parte animæ rationalis; ſed ex parte abſolutionis partium, quia prius abſoluitur generatio cordis, quàm aliorū membrorum: vel quod eſt ſucceſsio, quia prius generatur vegetatiua, deinde ſenſitiua imperfecta, & organa incipiūt perfici, deinde ſenſitiua perfecta in forma hominis, & organa omnia ſunt completa: & ſic eſt ſucceſsio in generatione, quid Ad Auerroem dico? ſi volumus ita exponere verba eius, quòd ſucceſsio fit ex parte formarum generandarum & organorum, litera non poterit tollerari. quia dicit, ꝙ corrupta vna parte ſanguinis, introduc-

introducitur diſpoſitio pro anima rationali in illa parte. ſi vero ducitur pro anima rationali, ergo & anima rationalis, quod probatur, quia non ſtat vltima diſpoſitio alicuius formæ ſine illa forma. ſi dicatur, ꝙ ſit ſucceſsio ex parte formæ generandæ; tamen ſtant argumenta prius facta: ideo nõ video, quomodo Auerroes poſsit defendi:

LECTIO LXIII.

DECLARABAT nobis Ariſtoteles, cum duplex erat tráſmutatio, tum in ſubſtantia, tum in accidentibus, manifeſtum erat, quòd in omni tranſmutatione accidẽtium requirebatur ſubiectum: quia ex quo accidens eſt in ſubiecto, ideo generatur cum ſubiecto. dubium erat de generatione ſubſtantiali, quia ſubſtantia non eſt in ſubiecto, ideo videtur generari ſine ſubiecto; tamen probauit, quòd in generatione ſubſtantiali ſit ſubiectum inductione, ſcilicet quia in planta, & animali eſt ſubiectũ: ſubiungit autem modo, fiunt autem, quæ fiunt, ſimpliciter. exponit Alexander, ꝙ omnia, quæ fiunt naturaliter, fiũt cum ſubiecto, & ita dicit, ꝙ Ariſtoteles vniuerſaliter vult probare, in omni generatione, ꝙ requiratur ſubiectũ, & inquit, ꝙ, quæ generantur, quinq; modis fiunt, vel tráſfiguratione, vel additione, vel diminutione, vel compoſitione partium, vel alteratione, per transformationem, dicit Alexander, intelligit accidens artificiale: per alterationem, intelligit generationem ſubſtantiæ, non facit autem mentionem de generatione accidentis naturalis: quia in hoc erat manifeſtum, quo ſubiectum: ideo dicit Alexáder vniuerſaliter vult probare in omni generatione tam ſubſtantiali, quàm accidẽtali, ꝙ requirat ſubiectum, quia, quæ fiunt transfiguratione, egent ſubiecto, in quo tranſmutantur, vt ęs reſpectu ſtatuę: in additione requiritur ſubiectũ, cui addat: in diminutione requiritur ſubiectum, à quo diminuatur: per compoſitionem partium etiam requiritur ſubiectum, ſcilicet partes: in alteratione autem eſt etiam ſubiectum, quia alteratio eſt alicuius mutatio: & vocauit generationem ſubſtantiæ alterationem, quia generationi annectitur alteratio; ſed hæc expoſitio non placet Simplicio, quia dicit, quæ fiunt transfiguratione, ſubſtantialiter fiũt, quia ex ære fit ſtatua ſubſtantialiter, quia forma ſtatuæ eſt forma ſubſtantialis, quia forma ſubſtantialis eſt, quæ facit aliud, accidens facit alterũ: forma autem ſtatuæ facit aliud, quia facit ſtatuam diuerſam ab ære: ideo forma ſtatuę non eſt accidens, ſed forma ſubſtantialis, ergo per transfigurationem non poteſt intelligere generationem accidentis, artificialis. & quia Alexander dicit, ꝙ per alterationem intelligit generationem ſubſtantialem, quomodo hoc eſt verum, quia in alteratione manet ſubiectum ſubſtantialiter: in generatione ſubſtantiali non remanet ſubiectũ ſubſtantialiter, quomodo ergo per alterationem non intelligit generationem ſubſtantialem Tertio quia ſupra probauit de generatione accidentali, ꝙ requiritur ſubiectũ, quia accidẽs habet eſſe in ſubiecto: ideo generatur in ſubiecto. Quarto addo, quia ratio Ariſt. eſſet imperfecta, quia cum vellet oſtendere, ꝙ in omni generatione requiratur ſubiectum, inductione hic vult probare. idem neceſsitate diuiſionis: quia inquit duplex eſt generatio, ſimplex, cum res ſimplex fit compoſita, cum generatur res compoſita, vt cũ homo muſicus generatur, & inquit, quòd generatio ſimplex, eſt bifariam, vel fit ſecundum ſuperficiem, vel ſecundum profunditatem: quæ fiunt ſecundum ſuperficiẽ, tranſpoſitione dicunt fieri, vt ex ære fit ſtatua, tranſpoſitione quadam, aut ſecundum permutationem ſubiecti, quo ad profunditatem: & hæc bifariam, vel ſecundum totum profundum, vt cum animal, & planta generatur ex ſemine: vel ſecundum partes profunditatis: & hęc bifariam vel appoſitione, vel ſubtractione. quid de alteratione dicit Simplicius, concedit cũ primo, ſcilicet transfiguratione, licet differãt, quia alteratio eſt magis, quia alteratio dicit mutationem ſimpliciter rei transfiguratæ, dicit tranſmutationem rei, & ordinis partium. Sed expoſitio Simplicij eſt valde puerilis. primo longe errat, cum dicit, transfiguratio eſt generatio ſubſtantialis, & ꝙ forma ſtatuæ ſit forma ſubſtantialis, hoc non eſt verum, quia figura eſt quantitas ſecundum rei veritatem: ſecundum modum prædicãdi eſt qualitas: quomodo ergo eſt forma ſubſtantialis, & ita quomodo transfiguratio erit generatio ſubſtantialis? etiam forma ſtatuæ non facit, quia per manet idem ſubiectum ſcilicet æs, quomodo ergo eſt tranſmutatio ſubſtantialis? quia in tranſmutatione ſubſtãtiali, ſubiectũ corrumpitur, in tráſfiguratione permanet: ergo, ſecundo ex Ariſtotelis verbis probatur, ꝙ loquatur de generatione accidentali, quia inquit, cum ex ęre fit ſtatua, talis generatio non eſt ſubſtantialis, quia fit ab arte. ars enim non poteſt facere generationem ſubſtantialem. etiam ꝙ dicit, quòd duplex generatio ſubſtantialis, vel ſecundum ſuperficiem, eſt tranſmutatio ſubſtantialis ſecũdum profunditatem: hoc eſt falſum, quia in omni generatione ſubſtantiali fit tranſmutatio ſecundũ profunditatem, quia nulla forma naturalis introducitur in materia, niſi illa ſit trinæ quantitatis. & ſi dicatur, ꝙ color ſit in ſuperficie, illud dictum intelligit apparenter, quia apparent in ſuperficie; ſecundum rei tamẽ veritatem ſunt in profunditate, etiam ratio Ariſtotelis eſſet imperfecta, quia cum vult concludere, ꝙ in omni generatione requiritur ſubiectum: ſi tantum hic loquatur de generatione ſubſtantiali, imperfecta erit ratio ſua, quia dubitatur de generatione artificiali, & de generatione accidentium. Dico ergo ꝙ longe rectior eſt expoſitio Alexãdri ad obiectionem. De primo cum dicit, ꝙ generatio transfiguratione eſt generatio ſubſtantialis, hoc eſt falſum, quia figura eſt quantitas: ideo non eſt talis generatio ſubſtantialis. De ſecundo dico, quòd per alterationem intelligit generationem, quia in generatione ſemper annectitur alteratio, ideo nomine alterationis intelligit generationem ſubſtantialem. De tertio dico, ꝙ ſupra particulariter locutus eſt de generatione accidentis: hic vero vult aliter loqui de omni generatione, ideo aſſumit generationem artificialium, & ſubſtãtiæ. De quarto Ariſtoteles iam dixit, ꝙ in relatione non eſt relatio, nec in vbi, nec in quando, quinto Phyſicorum, in relatione non poteſt eſſe generatio, quia relatio non dicit aliquid additum fundamento, ideo in ea non fit generatio. & ita quando dicit reſpectum, ita, vbi dicit reſpectum continentis, aut contenti, aut contenti, & continentis. ideo in ipſo non eſt generatio. Sed dicetis nonne vbi terminet motum, quia in vbi eſt motus ſimpliciter. Dico, ꝙ vbi terminat ſubiectum ratione ſubiecti ſcilicet, ratione loci, aut trina dimenſio, vt dicit, tamen reſpectum in ipſo non eſt generatio. Auerroes facit longam digreſsionem, quæ autem habetur in de ſubſtantia orbis, capite primo, & accepit opinionem à Simplicio infra, & Ioãne Grammatico. dicit autem, ꝙ generatio ſubſtantialis & accidentalis in hoc conueniunt, ꝙ ambæ ſunt permutatio eiuſdem rei, id eſt ſubiecti, ex vna qualitate in aliam id eſt, ex vna diſpoſitione in aliam. differunt bifariam, primo ex nomine, quia vna dicitur ſubſtantialis, & altera accidentalis. ſubſtantialis appellatur, quia in ſua permutatione perditur forma ſubſtantialis,

tialis,, & definitio rei. in permutatione accidentali ſubiectum remanet idem ſecundum formam, & ſecundum definitionem. Exemplum. quia cum ex ſemine fit planta, illa eſt generatio ſubſtantialis, quia perditur forma ſeminis, & definitio eius: cum vero corpus transfiguratur de albo in nigrum,, remanet idem ſubiectũ corpus ſecundũ formam ſubſtantialem, & ſecundum definitionem differunt. ſecundo, ex parte ſubiecti, quia ſubiectum tranſmutationis ſubſtantialis nõ eſt idem ſubiectum numero poſitiue; ſed priuatiue: ſubiectum tranſmutationis accidentalis, eſt vnum ſubiectum numero poſitiue. & declarat Auerroes, quia in tranſmutatione non perditur forma, nec definitio rei: ſed remanet ſubiectum cum forma ſubſtantiali: & à forma accipitur vnitas poſitiua. ideo in tranſmutatione accidentali remanet idem ſubiectum numero poſitiue. cum vero in ſubſtantiali tranſmutatione perdatur forma: ſubiectum vero remanet vnum numero priuatiue, & non poſitiue. & dicit Auerroes, quomodo accipiatur hoc corpus, demonſtratũ eſt. quidnã Auerroes intelligat per corpus, apud Auerroem in triplici differentia eſt corpus, aliquando accipit illud pro indiuiduo ſubſtantiæ, aliquando pro materia cum trina dimenſione, aliquãdo pro ipſa trina dimenſione. Dico, quòd intelligit indiuiduũ ſubſtantiæ: dicit ergo Auerroes, quòd materia cum trina dimenſione eſt ſubiectum generationis ſubſtantialis, quia non poteſt introduci forma ſubſtantialis, niſi materia habeat trinam dimẽſionem, quæ terna dimenſio non eſt ſubſtantialis. & hoc eſt contra Auicennam, vt dicam, quia ſi eſſet forma omnes aliæ formæ eſſent accidentia, quia aduenirent enti in actu: & quæ adueniunt enti in actu, ſunt accidentia. & dixit, quòd talis trina dimenſio eſt vna numero priuatiua, quia accidens eſt vnum vnitate ſubiecti, ſed ſubiectum eius eſt: materia prima eſt vna numero priuatiue, quia vna numero poſitiue à forma eſt. & dicit, quòd illa trina dimenſio eſt inſeparabilis à materia. & in hoc eſt contra omnes latinos. & dicit Auerroes quòd eſt in ſeparabilis à materia, qui ſi non ſequeretur, quòd forma non poſsit introduci in ſubiecto, quia omnes aliæ formæ præſupponunt quantitatem in numero: ſi ergo quãtitas ſit ſeparabilis, quomodo introducerentur aliæ formæ in ſubiecto? & ſic remanebit materia ſine formis, & contra dixit Ariſtoteli:

LECTIO LXIIII.

DIXIT nobis Auerroes, ꝙ trina dimenſio præcedit omne formã in materiã tam ſubſtantialem, quàm accidentale. Secundo dixit, quòd illa dimenſio erat forma accidentalis, non ſubſtantialis. Tertio dixit, ꝙ erat vna numero priuatiua. Quarto dixit, ꝙ erat inſeparabilis à prima materia. ideo omnis quantitas, quæ eſt in materia prima, ſemper fuit, & ſemper erit: & nulla quantitas currumpitur in materia, ſed eſt ęterna, & hęc opinio eſt verior. ex hoc intulit contra Auicennam, quia errabat Auicenna dicens corporeitatem eſſe formam ſubſtantialẽ præcedentem omnes formas ſpecificas. nam Auiccenna poſuit hunc ordinem, primo materiam primam: deinde formam corporeitatis, quæ erat ſubſtantialis: tertio quantitatem interminatam: quarto formas ſpecificas: quinto qualitates terminatas. ideo dicit, ꝙ Auicenna errauit, qui poſuit formam corporeitatis eſſe ſubſtãtiam. ideo dicit Auerroes quòd in omni generatione requiritur ſubiectum, quia duplex eſt generatio ſubſtantialis, & accidentalis: & in vna, quia requiritur ſubiectum, quia omnis productio requirit ſubiectum; omnis generatio eſt productio, ergo omnis generatio requirit ſubiectum. non facit differentiam Auerroes inter generationem, & productionem. ideo dicit, ꝙ in omni generatione eſt ſubiectum. & duplex generatio ſubſtantialis ſimpliciter, & non ſimpliciter: generatio ſimpliciter eſt, cũ fit res pręſuppoſita prima materia tanquàm ſubiectum. generatio nõ ſimpliciter ſubſtantialis eſt, cum res generatur, ſicut antiqui ponebãt, vel per alterationem, vel per congregationem, & ſegregationem: quia alteratio præſupponit ſubiectum actu, ita cõgregatio. ideo in omni generatione ſubſtantiali ſimpliciter eſt ſubiectum, & in generatione ſubſtantiali ſecundũ antiquos: ergo in omni generatione perquiritur ſubiectum. ideo inuehitur cõtra tres leges, quia ipſæ ponunt creationem, & ſecundum ipſum non poteſt poni, quia omnis productio requirit ſubiectum. ideo aliquod indiuiduum ſubiecti non poteſt acquirere totum ſuum eſſe, quoad materiam, & quoad formam, vt ipſæ leges ponunt. reprehendit in alio Auicennã, quia ponebat materiam cœli eſſe eiuſdem rationis, quia dicit, hoc non eſt verum, quia materia prima terminatur per tranſmutationẽ ſubſtantialem; ſed materia, quæ eſt in cœlo, non tranſmutatur ad formam ſubſtantialem: ergo non eſt materia prima. Ideo Ariſto. octauo Metaphyſices dixit, quòd materia cœli, & inferiorum non eſt eiuſdem rationis. dicit adhuc, errat Auicenna, qui poſuit in cœlo ſenſitiuam deductã ex potentia materiæ: hoc eſt falſum, quia forma deducta ex potentia materiæ præſupponit materiã primam; ſed in cœlo non eſt materia prima; ideo nec forma deducta ex potentia materiæ, ſcilicet forma ſubſtantialis, quia formæ accidentales, vt quantitas, quæ de potentia materiæ deducuntur. ideo forma cœli debet eſſe denudata à materia: ſed quia quis poſſet dubitare, cum dixit, ꝙ materia cœli caret potentia: ſed cœlum habet potentiam mouendi ad diuerſa ad vbi: ergo non caret potentia. reſpõdet Auerroes, quòd materia cœli nõ caret omni potentia; ſed tantum potentia tranſmutandi ſubſtantialiter caret. habet enim potentia ad vbi. eſt poſtea differentia, quia dicebat, ꝙ in tranſmutatione ſubſtantiali perditur nomen: & definitio in accidentali non perditur nec nomen, nec definitio. ſecunda differẽtia fuit ex parte ſubiecti. corpus demonſtratum eſt ſubiectum vtriuſque, vt ſubiectum tranſmutationis ſubſtantialis eſt vnum potentia, vt ſubiectum accidentalis eſt vnum numero poſitiue, quia remanet forma, per quam eſt vnum numero poſitiue in potentia. prima differentia ex parte vocis eſt difficilis, quia iſta propoſitio eſt per ſe. pater mihi Socrates eſt homo: ergo neceſſaria, ergo Socrate mortuo adhuc, Socrates erit homo, q̃a propoſitio erat neceſſaria, quia ſi non eſt verum, ergo illa propoſitio erat contingens. ſi ergo Socrate mortuo, Socrates ſit homo, in corruptione ergo illius nõ perditur nomen ſubſtantiale, nec definitio. etiam prædicata primi modi, & ſecundi abſtrahunt ab exiſtentia, quia exiſtentia cõpetit rebus ſingularibus. ſi ergo abſtrahunt ab exiſtentia, iſta propoſitio erit vera. Socrates eſt homo, Socrate mortuo, etiam de formis elementorum, quæ intenduntur, & remittuntur ſecundum Auerroem. cum intenduntur, generantur: cum remittuntur, corrumpuntur: tamen remanet ſemper ſuum nomen, & ſua definitio. Exemplum, quia cũ forma ignis remiſſa intenditur, nonne generatur ignis, & prius erat ignis: ergo non perditur nec nomen nec definitio. de ſecunda differentia ex parte ſubiecti, quia dicit, ſubiectum in ſubſtantiali tranſmutatione eſt vnum numero priuatiue. Contra, quia eadem portio materiæ remanet generato, & corrupto, & eſt ens per ſe, ergo vnum: quia vnitas

tas eſt paſsio entis:& materia eſt vno numero in omnibus generabilibus,& corruptibilibus,etiam,quia dicit,hoc corpus demonſtratum eſt ſubiectum tranſmutationis ſubſtãtialis, & accidentalis: an Auerroes intelligit per corpus demonſtratum indiuiduum ſubſtantiæ, vel materiam cum trina dimenſione, ſi intelligit indiuiduum ſubſtantiæ, hoc non eſt ſubiectum tranſmutationis ſubſtantialis, quia materia prima eſt primum ſubiectum tranſmutationis ſubſtantialis. ſi intelligit materiam cum trina dimenſione, illa non eſt ſubiectum tranſmutationis accidẽtium; ſed ſuum ſubiectum eſt ens actu compoſitum de vno oppoſito ad aliud oppoſitum. De primo dico, quòd illa propoſitio eſt per ſe,ergo neceſſaria.concedo ergo perpetuæ veritatis,nego conſequentiam, ꝙ declarat Auerroes primo poſteriorum, quòd prædicata primi modi ſunt neceſſaria vel ſimpliciter; & ſic ſunt perpetuæ veritatis, vel ſunt neceſſaria ſuppoſitione;& ſic non ſunt perpetuæ veritatis. Dicamus ergo quòd illa propoſitio eſt neceſſaria neceſsitate ſuppoſitionis,nõ ſimpliciter. De ſecundo dico,quòd falſum eſt, quòd prædicata primi modi abſtrahant ab exiſtentia,quia in libro deſtructionũ declarauit Auerroes, quòd exiſtenſia vna in intellectu, alia in re. ideo prædicata primi modi non abſtrahunt ab exiſtentia: nec ſcientiæ poſſunt abſtrahi ab exiſtentia. ideo expono illud dictum primi Poſteriorum, de ſubiecto præſupponitur, quia eſt, & quid eſt:quia eſt, id eſt quia exiſtit, quia de rebus non exiſtentibus non eſt ſcientia, niſi ex ſuppoſitione, vt dicebat Ariſtoteles de tonitruo,& pluuia, ꝙ dę ipſis habebatur ſcientia ex ſuppoſitione primo Poſteriorum. ſcientia tamen ſimpliciter eſt eorum,quæ exiſtunt: & ſic ſcientia realis non abſtrahit ab exiſtentia. De ſecundo,quia intentio,& remiſsio in elemẽtis ſunt tranſmutationes ſubſtantiales; tamen remanet idẽ ſubiectum ſecundum nomen, & definitionem. dixi alias opinio Auerrois erat purum figmentum, quia in ſubſtantia non eſt motus, & Auerroes hic faciens differentiam inter generationem ſubſtantialem. & accidentalem dixit in ſubſtantiali generatione, ſubiectum eſt ens in potentia, & perditur nomen, & definitio. in accidentali non perditur nomen ſubſtantiale, nec definitio. ſi ergo generatur ignis, cum intenditur eius forma, prius erat ignis, ſic ſubiectum in actu;& ſic non perditur nomen,nec definitio. ſecundo, quia ponit generationem elementorum ſucceſsiuam; hoc eſt leue: quia quinto Phyſicorum in hoc differt motus à mutatione,quia motus eſt ſucceſsiuus: mutatio in inſtanti erat alia differentia quæ habebat obſcura verba.& dico, quòd iſte eſt ſenſus verborũ Auerrois,qui duplex eſt vnitas naturalis potentia,ſcilicet actu,& potentia,ſicut res eſt; quia ſi eſt actu eſt vna numero actu.ideo compoſitum eſt vnum numero actu.ita forma eſt vna numero actu,aliqua eſt res potentia,& ſic eſt vna numero potentia, & ita cum materia ſit ens in potentia. ideo eſt vna numero potentia poſitiue, & ſic eſt eadem portio poſitiue in viuo, & mortuo.ſi dixit, quòd materia eſt vna numero priuatiue,intelligit, quòd ſit vna numero priuatiue actu,quia vnitas materialis actu eſt à forma. De ſecundo dico,quòd Auerroes intelligit indiuiduum ſubſtantiæ, quod ſenſui ſubijcitur, cum dicis,non poteſt eſſe ſubiectum tranſmutationis ſubſtantialis;verum eſt, quòd non eſt ſubiectum primum;ſed ſecundarium. ſed per illud circumſcribit primum ſubiectum,quod eſt materia prima, quæ eſt ſubiectũ tranſmutationis ſubſtantialis primum. Secunda eſt dubitatio,quia dicit,quòd quantitas præcedit omnes formas tam ſubſtãtiales, quàm accidentales in materia: ideo Simplicius dixit,ꝙ poſt ſubſtantiam ponitur quãtitas, quia eſt primum accidens,quod fundatur in ſubſtantia: ſed contra hanc opinionem ſunt multæ dubitationes: quia actus ſubſtantialis eſt natura prior actu accidentali;ergo prius debet præcedere forma ſubſtantialis in materia,quàm quantitas. Secundo, ens per ſe præcedit ens per accidens, & compoſitio entis per ſe præcedit compoſitionem entis per accidens; ſed compoſitio materiæ cum forma eſt ens per ſe,& compoſitio materiæ cum qualitate eſt ens per accidens: ergo forma ſubſtantialis præcedit quantitatem.etiam ex Auerroe: quia accidens fundatur in ente, actus ens actu eſt per formam: cum ergo quantitas ſit accidens debet fundari in ente, in actu, & ſic forma debet præcedere eam quantitatem. Dico,quòd opinio Auerrois eſt verior.& imaginatus eſt Auerroes, quòd quantitas ſit æterna primæ materiæ.ideo quantitas,quæ fuit ſemper, erit,& non poteſt corrumpi, nec augeri. imaginatus eſt etiam, quòd duplex eſt quantitas,terminata, & interminata: interminata pręcedit formam imaginationis,eſt etiam quòd terminata quantitas,& interminata ſit eadem,differens tãtum ratione:quia dicit interminata, vt præcedit formam generandam: dicitur terminata,vt ſequitur formam ſubſtantialem,& tãtum eſt vna quantitas,quia impoſsibile eſt, ꝙ duplex quantitas reperiatur in ſubiecto;ſed tantum variatur quantitas ſecũdum extenſionem,& intenſionem,eſt tamen eadem. Ad argumenta ergo cum dicis omne accidens fundatur in ſubiecto actu, verum eſt: ergo quantitas fundatur in ſubiecto actu,verum eſt. ergo forma ſubſtãtialis præcedit eam, verum eſt,quòd præcedit terminatam. quid de indeterminata? dico, quòd eadem eſt. ideo fundatur in ſubiecto, ꝙ non poteſt inueniri materia abſq; forma.ideo ſemper quãtitas interminata eſt in ſubiecto actu. ſi dicimus ſupponitur, quòd materia ſit ſine forma, dico, ꝙ hoc eſt imaginationum,& ita etiam imaginari poterimus, quòd illa quantitas erit in materia ſine forma. De ſecundo dico,ꝙ compoſitio entis per ſe præcedit compoſitionem entis per accidens ſimpliciter,ſicut actus præcedit potentiam.ſimpliciter tamen compoſitio per accidens præcedit compoſitionem per ſe reſpectu indiuidui termini, quòd generari debet,ſicut potentiam præcedit aliquando actum.nono Metaphyſices etiam Auerroes dicit, ꝙ quantitas eſt coęterna materię primæ.contra, quia forma, quæ deducitur ex potẽtia materiæ eſt generabilis, & corruptibilis;ſed quod eſt corruptibile,aliquando debet corrumpi,primo cæli:quomodo ergo eſt ęterna?Secundo, cuius principium eſt generabile,& corruptibile, & ipſum eſt generabile, & corruptibile:ſed principium linea,quod eſt punctum, eſt corruptibile: principiũ ſuperficiei eſt linea, & corruptibilis,principium corporis ſuperficies,quæ eſt corruptibilis,quia ponatur aqua in vaſe, & diuidatur illa aqua per medium vaſis,corrumpitur ſuperficies continuans illas partes,& generantur duæ ſuperficies alię:ergo & quantitas erit corruptibilis,ergo non coæterna primæ materiæ. Dico,ꝙ quantitas eſt coæterna primæ materię.dicis deducta eſt ex potẽtia materię,quomodo,qui ſi non eſſet deducta,eſſet intellectus,ergo generabilis & corruptibilis.Dico,quòd generatur,& corrumpitur non per ſe; ſed ratione terminorum, quia variatur ſecundum maiorem, & minorem extenſionem.ideo generatur quantitas, & corrumpitur ſecundum quid.De ſecundo dico, quòd punctum nõ eſt principium lineæ,nec linea ſuperficiei. At dixit Ariſtoteles. Dico,ꝙ loquitur imaginarie,& mathematice, quia imaginatur,ꝙ ex fluxu puncti cauſatur linea: & ex fluxu lineæ ſuperficies;ſed hoc non eſt verum ſecundum rei veritatem. cum ergo dicis cuius principiũ eſt generabile, & corruptibile,

& ipſum eſt generabile, & coruptibile, verum eſt; ſed principia quãtitatis ſunt generabilia, falſum eſt, & Ariſtoteles, vt dixi, loquitur imaginarie.

LECTIO LXV.

SATIS diximus de trina dimenſione dicebat Auerroes, quòd illa pręcedit omnes formas. ex hoc infert correllariũ contra Auicennã, qui dicebat, quòd forma corporeitatis præcedebat trinam dimenſionem, & talis forma erat coæterna materiæ, dicit Auerroes. Errat Auicenna, quia terna dimenſio præcedit omnes formas. eſt ergo dubitatio, nunquid in materia prima generabiliũ ſit ponenda corporeitatis ſubſtantialis, quæ præcedit naturam quantitatis, & videtur, quòd ſit ponenda, quia prima materia non exiſtit, niſi actu ſubſtantiali. debet ergo præcedere ipſam omnem formam accidentalem. & cum quantitas ſit coæterna primæ materiæ: ergo & illa forma corporeitatis debet eſſe æterna primæ materiæ. ſunt etiam triplicia argumenta quæ feci, quia actus ſubſtantialis pręcedit actum accidentalem: & accidens fundatur in ente in actu, ideo præſupponit formam ſubſtantialem. quantitas ipſa etiam compoſitio per ſe pręcedit compoſitionem per accidens, & ignis, qua ignis differt ab aqua, & conuenit cũ aqua: corpus ergo forma, per quam ignis eſt corpus, debet eſſe alia à forma, per quam ignis eſt: quia per eandem formam non conueniunt res, & differunt; ſed per diuerſas. & dicebat Auerroes, quòd forma corporeitatis non eſt ponenda: quia formæ ſupraucnientes illi eſſent accidentia, quia formæ aduenientes enti. in actu ſunt accidentia. ſi eſſet forma corporeitatis & eſſet ſubſtantia, tunc materia eſſet in actu: & ſi formæ aduenientes ei eſſent accidentia: ſed hoc dictum habet difficultatem, quia in duplici differentia ſunt corpora ſimplicia. & ſunt quatuor elementa, & cõpoſita generãtur ex materia prima denudata ab omni forma. compoſita autem generãtur ex materia ſecunda, quæ materia ſecunda eſt materia prima cum formis elementorum remiſsis. Eſt dubitatio quomodo forma adueniens mixto erit ſubſtantialis. Cum adueniat formis elementorum, quę ſunt in actu etiam de homine, quia ſunt duæ animæ, ſcilicet ſenſitiua; & intellectiua aduenit ſenſitiuę: ergo ipſa erit accidens. Soluat Auerroes argumenta. Auicenna habuit in hac quæſtione multos fautores, ita vt de hac re ſint tres modi dicendi. primus eſt Lincon. & Alberti Alemani, quòd datur forma corporeitatis re diſtincta à forma ſpecifica. nam prior trina dimenſione, & per quam res habet eſſe corpus. ſi arguas argumento Auerrois, quòd formæ aduenientes materiæ cum forma corporeitatis, erunt accidentia. dicunt ipſi, quòd non ſequitur, quia duplex eſt ens actu perfectum, & imperfectum forma adueniens enti in actu perfecto eſt accidens; ſed forma adueniens enti in actu imperfecto non ſunt accidens, & ita cum forma cõpoſiti adueniat materiæ formam corporeitatis habenti, nõ dicitur accidens, quia non habet eſſe imperfectum à tali forma, ſcilicet corporeitatis. ſed contra hanc opinionem ſunt multi modi dicendi, quia dicit, quòd hæc forma eſt coæterna materiæ primæ: ergo deducta ex potentia materiæ. ſi ſic ergo corruptibilis, quia forma cauſata à materia eſt diuiſibilis diuiſione eius. ideo corruptibilis. forma autem æterna non eſt cauſata à materia. ideo incorruptibilis ſi ergo corruptibilis aliquãdo corrũpitur, quia impoſsibile ꝙ forma ſubſtantialis corruptibilis fiat æterna, etiã omnis forma ſubſtantialis eſt natura. natura eſt principium motus, & quietis. ſed illa fornonma eſt principium alicuius motus: quia non magis ſurſum, quàm deorſum: ergo non datur talis forma. tertio, quia omnis forma cauſata à materia requirit diſpoſitionem eius, tum ex parte quantitatis, tum ex parte qualitatis. ex parte quantitatis, quia generatio eſt terminus alterationis, ideo omnem generationem præcedit alteratio. ad hoc vt introducatur in ipſa; ſed in forma corporeitatis nulla eſt diſpoſitio ex parte qualitatis, quia ſtat ſub contrarijs diſpoſitionibus, qui in genere ſtat ſub ſua caliditate, & ſiccitate, in aqua ſub ſua frigiditate, & humiditate: non dabitur ergo talis forma corporeitatis. quarto, quia genus non prædicabitur eſſentialiter de ſpecie, quia ex quo eſt forma generis diſtincta re à forma ſpecifica, & forma generis eſt pars formæ ſpecificæ, & pars non prædicatur de toto eſſentialiter: ergo genus non prædicabitur in ſpecie, cum ſit pars eius. oppoſitum dixit Ariſtoteles. Declaro quomodo genus ſit pars ſpeciei, quia accipio animal corpus eſt pars, quia animal habet eſſe corpus per formam corporeitatis. venit ſenſitiua, & conſtituit animal: totius ergo animalis vna pars erit materia prima cum forma corporis. ſecunda pars erit propinqua forma; ideo aliter Scotus dicit, quòd illa forma corporis non diſtinguitur à forma ſpecifica, nec eſt per ſe vna, nec coęterna primæ materiæ, nec communis omnibus corporibus. oppoſitum dicebat, alia opinio dicit, ergo quòd forma corporeitatis eſt cõmunis in omnibus tantum viuentibus, nõ ineſt ſimplicibus, nec alijs corporibus: & per talem formã corporis ſit organizatio in membris. in primo generationis, ſemota anima, remanet forma, per quam cadauer, & eſt, & dicitur cadauer, quia tendit in reſolutione elementorum. ſi dicatis, talis forma corporis in principio generationis erat vltima diſpoſitio pro anima rationali; quomodo ergo remanet in cadauere? ſemota anima, dicit, ꝙ illa forma ſolum non erat vltima diſpoſitio pro anima rationali; ſed ipſa cum tali complexione: & quia in corruptione corrumpitur talis complexio: ideo corrumpitur animal, & remanet illa forma. ſi dicas an ſit vna forma, vel plures formæ, dicit. & ſi dubius videatur, quòd non eſt vna ſimpliciter forma; ſed eſt vna forma compoſita ex pluribus formis partium, quia in partibus ſunt formæ ipſæ diſtinctæ: & ita iſta eſt ſua opinio. ſed patitur difficultatem hãc: quia ex quo forma, per quã eſt os, & forma per quam eſt caro, ſunt ſpecie diſtinctæ, & remanent etiã in oſſe corrupto, & in carne corrupta: ideo vniuoce erit caro viui, & mortui: quia eadem forma in vtraque: ergo vniuoce ſunt ex definitione vniuoci. oppoſitum dixit Ariſtoteles, quòd caro viui, & mortui eſt equiuoce. etiam ſequitur, ꝙ prunum diciſum ab arbore, & cadauer, & lignum non erunt in prædicamento ſubſtantiæ directæ: quia, quæ ponuntur in prædicamento ſubſtantiæ directæ, ſunt ipſa compoſita, & non partes. cum autẽ cadauer, lignum, pomum ſint corpora, erunt partes: quia materia cum forma cadaueris eſt pars compoſiti: ideo non ponetur in prædicamento ſubſtantiæ: & viſus eſt fateri hoc argumentum Scotus, motus eſt ipſe propter communem maximè Theologiam, ꝙ ex auctoritate ſanctorum erat idem corpus Chriſti viuũ, & mortuum; non poteſt autem eſſe idem ex parte animæ, quia non erat eadem anima: ergo ex parte formæ corporis etiam talis forma eſt terminus primus tranſubſtantiationis panis in corpore Chriſti per illa verba: per eandem tamen formam animal eſt animal, & corpus: quia per formam corporis non eſt corpus de prædicamento ſubſtantiæ ſecundum ipſum: ideo eſt tertia opinio Auerrois, qui dicit, quòdnõ datur forma corporis diſtincta à forma ſpecifica

cifica; ſed per eandem formam animal, & per eandem eſt corpus. non enim ſunt plures formæ in compoſito. Ad argumenta dico, quod duplex dimenſio, vna terminata, alia interminata. Simplicius dicit, materialis, & formalis: & nulla eſt interminata dimenſio in materia; ſed quæ eſt terminata, etiam interminata eſt; quia reſpectu formæ futurę eſt interminata, reſpectu formæ præſentis eſt terminata: & quia terminata ſequitur formam ſubſtantialē ordine naturæ, ideo interminata eſt in ſubiecto actu; præcedit tamē via originis formas ipſas, quia prius materia diſponit quātitatem, antequam introducatur forma ſubſtantialis: ideo non datur dimenſio interminata, quæ præcedat ſimpliciter omnes formas ſubſtātiales, quia ſic daretur vna quantitas interminata ſimpliciter, quod eſt falſum: quia ſicut nō datur materia abſque forma, ita etiam quātitas abſque termino aliquo. cum dicis, ex quo eſt accidens, aduenit, enti in actu, verum eſt: non ergo præcedit formam ſubſtantialem. Dico, quòd non præcedit ſimpliciter; ſed reſpectu formæ generandę: ita compoſitio per accidēs poteſt eſſe prius cōpoſitione per ſe in indiniduo generando: ideo argumentum peccabat, quia imaginator, quòd prius eſſet materia, deinde quantitas interminata. tertio, forma ſubſtantialis, hoc non eſt verum, quia ex quo interminata eſt terminata, & terminata ſequitur aliquam formam, ideo & interminata; ſed interminata dicitur præcedere formam generandam. de alio, quia nō per eandem formam ignis differt ab aqua, & conuenit diuerſimode, tamē conſiderata: quia aut conſideratur ſub ratione quadam ꝙ ignis differt ab aqua, ſi ſub ratione, qua dat eſſe eſſe corpori, cōuenit cum aqua, quia & illa aliter conſiderata dat eſſe corpori: ideo eſt eadem forma, per quā ignis eſt ignis, & eſt corpus, & eſt ſubſtantia. dicunt, quòd ideo poſuit formas eſſe remiſſas, ideo imperfectas: & ſic formæ ei aduenientes non ſunt accidētia, ſed ſubſtantiæ, quia adueniunt enti imperfecto. contra quia ibi eſt ignis, & eſt ſua forma, per quam ignis ſpecificum, quia ſi non eſſet ignis; non ergo elementa remanerēt formaliter in mixto. etiam, quia Auerroes imaginatus eſt, quòd forma ignis fiebat ſecundum vnam partem minimā: deinde intendebatur; ſed prius erat ignis. cum ergo forma adueniens elementis erit accidens, quia adueniet enti in actu, etiam, quia forma ignis remiſſa eſt perfectiorum, forma corporis cum ſit magis ſpecifica: cum ergo formæ aduenientes formæ corporeitatis eſſent accidentia; ergo & aduenientes formis elementorum à fortiori: ideo dico, ꝙ elementa tantum virtualiter remanent in mixto, ideo formæ mixti; tamen aduenit materiæ, & ſic non eſt accidens. de homine dicebat præceptor meus, quòd formæ alterius generis poſſunt ineſſe in eodē ſubiecto, quia ſenſitiua prędit intellectiuam ordiue origiuis: quia ſimul tempore adueniunt. cum omnis forma adueniens enti in actu eſt accidens, verum eſt, ſi forma ſit eiuſdem generis, ſed anima intellectiua eſt diuerſi generis, ideo non eſt accidens, ſed expoſitio friuola, quia forma adueniens enti in actu, eſt accidens; ſed cum forma intellectiua aduenait enti in actu, ideo accidens. hæc quæſtio melius declarabitur tertio de anima: ſecundum tamen Alexandrum, & Tbemiſtium, anima intellectiua non informat corpus, ſed tantum aſsiſtit: ideo Ariſtoteles quærebat, an anima intellectiua eſſet actus corporis, an ſicut nauta nauis: & dixit, ꝙ ſi animus habet proprias oppoſitiones, eſt ſeparabilis, & eſt ſicut nauta nauis: ſed anima intellectiua habet proprias operationes: ideo tantum aſsiſtit homini, quia forma ſenſitiua eſt, quę informat corpus humanum. intellectiua vero tantum aſsiſtit, & eſt principium ſuorum operum. ideo intellectiua non erit accidens, quia non adueniet corpori, vt illud informat, ſed tantū, vt ei aſsiſtat, tertio de anima.

LECTIO XVI.

QVARE manifeſtum ex dictis, &c. quia vero dixit, quòd tria erant principia: duo contraria, & vnum ſubiectum. & quòd priuatio eſt quoquo modo eadē numero materiæ primæ: ideo ſecundum rem ſunt duo principia diſtincta ſecundum rationem: tria his infert dictis, quia poſuit differentiam inter priuationem, & ſubiectum: & erat ex parte vocis, & ex parte rei, & his infert, ꝙ in omni generatione ſubſtantiali, & accidentali, artificiali, quod generatur compoſitum eſt: quia in generatione artificiali cum ex immuſico fit muſicus: tunc quod generatur eſt homo, qui fit muſicus, & appellat, quod fit forma, quod vero fit homo, appellat ſubiectum: quod duplex eſt ratione, id eſt habet duas rationes, quia ſupra dixit, quod priuatio erat eadem materia, & ita ſubiectum habet duas rationes, qua ſubiectum, & qua priuatio. manifeſtum igitur infert ſecundum, quod ſequitur, quia ex quo in generatione amittitur priuatio, ſubiectum permanet. ſequitur, quòd principia prima rerum naturalium ſint, & materia, & forma, quia quod generatur, conſtat ex materia, & forma: quod generatur, ex ſuis primis principijs generatur: ergo prima principia ſunt materia, & forma. quòd autē cōpoſitum componatur ex materia, & forma, declarat, & dicit quodam modo, quę componentia ſunt proprie corpora ſeorſum exiſtentia, quia materia, & forma non poſſunt ſeorſum exiſtere: ideo dixit, quodam modo ſubiectū componitur ex materia, & forma. quod autem ſubiectum cōponatur ex materia, & forma, probat, quia ratio ſubiecti reſoluitur in rationes vtriuſque materię, ſcilicet & formę, & non dixit, quòd ſubiectum reſoluatur in materiam, & formam, quia materia, & forma non poſſunt per ſe ſubſiſtere. dixit prima principia ſunt ex quibus per ſe. & primo conſtant quæ generantur, & dixit primo, & per ſe, quia ſi accipiamus ſubiectum, & accidentia ex illis, conſtabit res: tamen non erant prima principia: ideo dicit primo, & per ſe, poſtquam dedit duos modos, quibus poſſumus dicere, quòd prima principia ſunt duo, & ſunt tria: primus modus, ſi tantum numeremus contraria, ſi cum illis ſubiectum, erunt tria. ſecundus modus. quòd ſecundum rem duo erūt principia. hic vult ponere tertium modum, quo poſsimus fateri principia, tum duo, tum tria: & ad hoc ponit differentiā inter priuationem, & materiam: quia materia eſt per ſe ens in potentia hoc aliquid exiſtens numerabilis. priuatio vero non eſt per ſe, ens, quia eſt per accidens. ens in quātum accidit materiæ, etiam non eſt hoc aliquid, quia non eſt indiuiduum demonſtratum, nec eſt numerabilis per ſe. dicit ergo, quòd materia, & priuatio differunt ſecundnm eſſentiam, etiam differunt ſecūdum materiam. dicit, ex hoc dicemus, quòd tunc duo erunt principia, tum tria duo, ſi numeremus principia per ſe tria. ſi principia per accidens, quia dixit priuatio eſt ens per accidens, & dixit, quòd ratione differt à materia: ideo hic vult ponere differētiam inter materiam, & formam, quia materia eſt vna numero plurificata, tamē ratione. forma autem eſt vna numero & vnius rationis. priuatio vero non eſt ens per ſe, nec vna numero: ſed eſt ens per accidens ratione ſubiecti, eſt hic dubitatio ex Simplicio, & Ioanne. Primo, quia dicit, ꝙ materia eſt hoc aliquid, priuatio vero non: & quod materia per ſe eſt ens, priuatio eſt ens per accidens. Eſt du

bitatio: quia ſolo indiuiduo ſubſtantiæ competit hoc aliquid. quomodo ergo appellauit materiam hoc aliquid? ſecũdo dixit, quòd materia eſt per ſe ens; ſed eo modo, quo res eſt ita intelligibilis. cum ſit ens per ſe ergo intelligibilis per ſe. oppoſitum dicemus infra, quia ipſa non eſt intelligibilis à nobis: ſed intelligitur proportione, vt dicit, Ariſtoteles. tertio, quia dicit, priuatio eſt principium per accidens. Contra, quia priuatio eſt eodem modo principium, quatenus eſt terminus, quia alio modo priuatio non eſt principium, ſed priuatio eſt primus terminus corruptionis, quæ eſt tranſmutatio de eſſe ad non eſſe. primi enim termini generationis, & corruptionis ſunt habitus, & priuatio: ſi primo, ergo per ſe, quia primum præſupponit per ſe. quomodo ergo priuatio eſt principium per accidens? quarto, quia Ariſtoteles ſupra materiam vnam numero cum priuatione, vt priuatio accidit materiæ. & Ariſtoteles conſueuit appellare eadem numero, cum ſit in eodem ſubiecto. cum ergo forma inſit materiæ, ergo erit vna numero, cum materia ergo tantum vnum principium: oppoſitum tamen dixit Ariſtoteles. dixit enim, quòd per ſe duo erant principia, ſcilicet materia, & forma. de primo dico, quòd reuera ſolum indiuiduum ſubſtãtiæ dicitur hoc aliquid: ideo nec materia; nec forma poſſunt dici hoc aliquid. nec Ariſtoteles appellauit materiam hoc aliquid ſimpliciter; ſed dixit, quòd materia eſt magis hoc aliquid, quàm priuatio: quia ſi comparamus hæc duo adinuicem; materia magis dicitur hoc aliquid, quàm priuatio: quia magis accedit ad indiuiduum ipſa materia, quàm priuatio: quia materia & ens per ſe, & indiuiduum ſubſtantiæ: priuatio eſt ens per accidens: ſed dicetis, an magis materia debeat appellari hoc aliquid, quàm forma. ex vna parte videtur, quòd materia: quia quod magis ſubſtat, eſt magis hoc aliquid: quia indiuiduum dicitur hoc aliquid, quia ſubſiſtit. ex alia parte videtur, ꝙ forma ſit magis hoc aliquid: quia ſicut indiuiduum eſt actu ens, ita forma eſt actus: materia vero eſt potentia. Dicit Ioannes Grammaticus; quòd ſi conſideretur hoc aliquid ex per ſe ſubſiſtendo, magis materia erit hoc aliquid: quia eſt ſubiectum, vt ſubijcitur. forma ſi conſideretur reſpectu actus exiſtentis, ſic forma eſt magis hoc aliquid, quia eſt actu ens ſicut indiuiduum. materia autem eſt in potentia, quid autem ſimpliciter? dico, quòd forma ſimpliciter eſt magis hoc aliquid. de ſecundo dicam infra. ad ſecundum argumentum principale dicit Simplicius, quòd materia eſt ens per ſe, non tamen abſolute eſt per ſe ens: ideo non valet, ergo per ſe eſt intelligibilis. ſed reſponſio non tollit difficultatem: quia materia eſt ens per ſe, quia non per aliud, ergo intelligibilis per ſe. dicemus infra de tertio. Dico, quòd ſi priuatio componatur formæ generatæ, appellatur principium per accidens, vt quia non immanent rei generatę, ita appellatur principiũ per accidẽs, vt accidit materiæ: quæ eſt principiũ per ſe. ſi cõparemus ad generationẽ, & corruptionẽ, tũc priuatio eſt principiũ per ſe, & principiũ rei naturalis: ideo ſimpliciter non eſt per ſe principium rei genitæ, quia non immanet: ſed eſt per ſe principium reſpectu generationis, & corruptionis. De quarto dixi ſupra, quia forma eſt eadem numero, ſicut priuatio. cum dicis tantum erit vnum principium ſecundum rem, dico ſecundum rei veritatem. ſi volumus ita conſiderare principia, vnum erit re: & tria ſecundum rationem. verum Ariſtoteles non ita numerauit, ſed numerauit, vt immanet ſubiecto. & quia forma, & materia per ſe immanet: ideo duo ſunt principia ſecundum rem: quia forma eſt ens per ſe: quia autem priuatio erat ens per accidens, & non immanebat rei genitæ: ideo dixit, quòd ſecũdum rem tantum ſunt duo principia. infert Ariſtoteles ex dictis, quòd duo ſunt principia, ſi contraria tantum numeremus. tria vero ſi cum cõtrarijs: & reddit rationem, quia quoduis non agit in quod uis, ſed contrarium in contrarium: ideo principia debent eſſe contraria. neceſſe eſt etiã, quòd ſit ſubiectum, quòd deferat ipſa contraria, & infert, quòd principia non ſunt plura, quàm contraria. non ne diximus, quòd principia erant tria? exponatis, quod principia nõ ſunt plura, quàm contraria: quia ſicut principia per ſenſum contraria, ita principia erunt duo contraria: erit tamen ſubiectum cum eis, & ſic tria erunt. infert Ariſtoteles quòd iam numerauimus principia rerum naturalium, & dixit principia rerum naturalium, quia quæ ſiunt ab intellectu, vt compoſitio, & vniuerſale eorum, principia non ſunt materia, & forma, licet ſint aliqua ſecundum ſimilitudinem; quia in ſyllogiſmo præmiſſæ ſunt, vt materia, concluſio, vt forma: ideo concluſio non eſt de eſſentia ſyllogiſmi, ſed ſyllogiſmus eſt tantum duæ præmiſſæ, quia ex illis poſſunt inferre plures concluſiones. & dixit, principia rerum naturalium eſſe generationem, vt excluderet corpora æterna. & iſte eſt locus quem adduxi contra Simpliciũ: quia dicebat Simplicius, quòd Ariſtoteles volens inuenire principia rerũ naturalium, tantum poſuit principia ſubſtantiæ: tamen dixit, quòd Ariſtoteles non vult inuenire principia rerum naturalium abſolute: ſed principia ſubſtantiæ generabilis, & corruptibilis. hic addit quartũ modum, quo poſsimus appellare principia tria: & dico, quia erunt duo ſi priuatio reducetur ad formam, quia ſicut forma ſui præſentia eſt generatio, ita ſui abſentia facit corruptionem. erunt numero tria ſi ſeiungamus priuationem ab ipſa: & ita Ariſtoteles quatuor modos poſuit, quibus principia tum duo, tum tria appellare poſſumus. reſtant dubitationes quædam.

LECTIO LXVII.

ESIT dubitatio ſuper verbis Ariſtotelis; & hucuſque expoſuimus, quot ſint principia rerum naturalium. prima dubitatio, quia à principio intentio Ariſtotelis erat declarare principia communia, & accidentia communia omnium rerum naturalium. principia communia ſunt quatuor cauſæ, accidentia communia ſecundũ rei veritatem ſunt quatuor. quomodo ergo Ariſtoteles reſtringit ſermonẽ ſuum? quòd tãtum vult inueſtigare principia corporum citra generationem. præuertit ordinem, quia dicebat, quòd duo per ſe erant principia materia ſcilicet & forma. priuatio eſt principium per accidens, vt accidit materiæ. cur quantitas, potentia, & aptitudo non ponuntur inter principia per accidens, cum inſint materiæ? tertio, quia dixit, quòd duo erant principia, ſi reducamus priuationem in formam, quia forma ſui præſentia eſt cauſa generationis, abſentia corruptionis. pari paſſu forma debet reduci ad priuationẽ: quia abſentia priuationis eſt cauſa generationis, ſui præſentia eſt cauſa corruptionis: etiam Plato in Timæo enumerans principia rerum naturalium reliquit priuationem: quia priuatio non eſt pars rei genitę. de primo dicit Simplicius, quòd reuera tradit hic Ariſtoteles principia communia omnibus corporibus naturalibus generabilibus, & corruptibilibus. hæc principia ſunt tria, materia, & forma, & priuatio: diuerſimode tamẽ, quia corpora generabilia ex illis principijs conſtituuntur, quo ad eſſe, quia corpora ęterna habent non quo ad eſſe ſecundum ſubſtantiam; ſed quo ad motum localem, non tamen

ſimplici-

ſimpliciter:quia mouetur ſemper: ſed eſt in potētia ad motum futurum: & ſic iſta principia ſunt communia omnibus corporibus, diuerſimode tamen: ſed ſimplicio obſtat veritas: quia ſi iſta principia ſint communia omnibus corporibus cœleſtibus corruptibilibus, cur reſtrinxit ſermonem ſuum? quia dixit hucuſque inueuimus principia corporum ſecundum generationem.ſecundo, quia in cœlo nõ eſt materia,vt hic loquitur de materia,quæ eſt ad tranſmutationem.illa autem non eſt in cœlo,ſed diuerſa,vt Ariſtoteles dixit octauo Metaphyſices:ideo dico,quòd intentio Ariſtotelis eſt inuenire principia communia cum generabilibus, & corruptibilibus, & æternis: ſed hic tantum in primo libro inuenit principia communia generabilium,& corruptibilium . in octauo vero huius inueniet materiam cœli:quia ſicut ex tranſmutatione, id eſt generatione ſubſtantiali inuenit materiam,& alia principia:quia ſi Socrates generatur, oportet, vt ei ſubijciatur aliquod ſubiectũ & forma introducatur in materia: & priuatio corrumpatur: ideo triplicia ſunt principia in cœleſtibus: non quia ipſa ſunt expertia generationis . inuenit ſua principia ex motu,quia quod mouetur,ab alio mouetur,ſiue illud moueatur motu ſpirituali, ſiue reali:tamen difficultas eſt de voluntate in ſecundo huius cum ergo quod mouetur, ab alio mouetur:ideo oportet vt ſit materia,& forma.priuatio vero non inuenitur in cœlo:quia cœlum eſt expers corruptionis:ideo dico,quòd Ariſtoteles non præuertit ordinem,ꝙ in primo inuenit principia corporum generabiliũ: in octauo vero principia cœleſtium .de ſecundo dico, quòd non eſt ſimilis ratio:quia & ſi priuatio non ſit principium per ſe rei genitæ: eſt tamen principium generationis: quia eſt terminus generationis à quo,corruptionis ad quem.potẽtia autem , & quantitas reducuntur ad materiam;quia illa non habent diuerſum modum principiandi à materia, vt priuatio: ideo illa non ponẽtur in numero principiorum. de tertio dicit Simplicius,quòd priuatio non habet abſentiam, quia abſentiæ non eſt abſentia: ideo forma non poteſt reduci ad priuationem, ſicut priuatio ad formam . de quarto dicit Simplicius, quòd Plato non ignorauit priuationem eſſe principium, ſed tantum ponebat principium rei genitæ, quæ erant duo, ſcilicet materia, & forma.Ariſtoteles autem ponebat principium rei genitæ, quæ erant duo,ſcilicet materia, & forma. ponebat autem priuationẽ principium per ſe reſpectu corruptionis, & generationis. ſed dicis,ſi priuatio eſt principium per ſe; ergo per ſe cauſa. in quo ergo genere cauſarum eſt priuatio, quia in nulla videtur?dicatis,quòd nõ eſt verum, quòd omne, quod eſt principium, ſit cauſa, quia punctus eſt principium lineæ, non tamẽ cauſa, etſi Ariſtoteles aliquãdo dixit quòd principium ſit cauſa erant idem,hoc tamen non erat verum abſolute,etiam conceſſo, quòd principium ſit cauſa.Dico,ꝙ priuatio erit cauſa in generatione cauſæ formalis: ſed cauſa formalis eſt duplex.perficiens materiam, & quæ informat corpus, vt ſenſitiua, & vegetatiua. & ſic priuatio non eſt cauſa formalis generationis rerum naturalium: alia eſt forma declarans materiam rei. & hæ ſunt partes definitionis, vt ſecundo huius declarat Ariſtoteles, ita priuatio eſt cauſa formalis generationis: quia in ipſa ingreditur priuatio.proſequitur Ariſtoteles, quia exponendo primam materiam poſuit ens actu: quia dixit, ſemen erat materia: ſemen autem eſt ens actu:ideo ſe excuſat ab exemplis.dicit, quòd materia prima non eſt intelligibilis, niſi proportione ad res artificiales,& accepit hæc verba à Platone in Timæo,vbi dixit,quòd materia non cognoſcitur niſi cognitione adulterina,hanc exprimit Ariſtoteles. intelligimus materiã principia ſimilitudine ad res artificiales: quia res artificiales cum tranſmutantur ad vnam formam, eſt expers illa; ita materia cum tranſmutatur ad omnes formas: ideo erit expers omnibus:ideo quaſi excuſans ſe ab exemplis dixit,quòd materia cognoſcitur ſimilitudine ad res artificiales, & recapitulat:quia poſſumus dicere, ꝙ duo ſunt principia ſi tantum contraria numeremus. tria ſi ſubiectũ vnum erat principiũ materia ſcilicet, quæ non eſt exiſtens actu, nec hoc aliquid, id eſt indiuiduum.ſecundum principium erat ratio,id eſt forma.tertium,priuatio . Dicebat Simplicius, quia Ariſtoteles ſibi aduerſatur: quia dicit,ꝙ materia non eſt hoc aliquid,ſupra dixit,quòd erat hoc aliquid ad differentiam priuationis, ſecundo, quia cognitio materiæ eſt valde imperfecta: quia ſola negatione habetur;quia dicimus, materia eſt expers omnis formæ, ſicut de ſubſtantijs abſtractis non habemus cognitionem, niſi negatione.huius enim ſcientiæ non erit declarare perfecte naturam primæ materiæ,ſed metaphyſice.tertio, quia dicit,quòd materia caret omni forma.Contra, dicit Simplicius , quia quantitas eſt inſeparabilis à materia ; ergo non caret omni forma. quod autem quantitas ſit inſeparabilis à materia, declarat Simplicius, quia trãſmutatio prima eſt inter qualitates . qualitates autem præſupponunt ſubiectũ quantum,quia in indiuiſibili non ſit paſſio,quia quod agit præſens,contangit. contactus autem non fit in indiuiſibili : ideo quantitas eſt inſeparabilis à materia . etiam quia ſi quantitas eſſet ſeparabilis,daretur materia incorporea ſcilicet materia exiſtens : cuius oppoſitum dicunt omnes. de primo iam diximus ſupra, quòd appellauit materiam hoc aliquid improprie reſpectu priuationis.hic autem proprie loquitur.de ſecundo dicit,quòd Metaphyſica erit declarare perfecte naturam materiæ, ſicut declarat formam, vt dicit Ariſtoteles infra: quæ enim ſit forma & ergo Metaphyſici eſt,ſed hoc non caret dubitatione:quia nono Metaphyſicæ vnumquodq; intelligitur,vt eſt actus:quia producit imaginem in intellectu, vt eſt actus.cum autem materia prima ſit ens in potentia : ideo non erit intelligibilis, dicam ſtatim infra.de tertio dicit,ſi intelligas,quòd quantitas ſit inſeparabilis à materia , ita quòd non poſſit inueniri materia in re ſine quantitate ; tamen falſum eſt, quòd materia ex ſui natura ſit inſeparabilis à materia:quia eſt ſeparabilis cuius ſignum eſt,quia materia declaratur negatione . quantitas affirmatione. & materia eſt expers omni forma:ideo ſeptimo Metaphyſicæ dixit,quòd materia nõ erat nec quanta , nec qualis.etiam quantitas eſt finita , vel infinita.materia autem caret omni termino:ideo materia natura ſui eſt ſeparabilis à forma, & dicit verum,quòd duplex quantitas materialis, & intermedia formalis,intermedia formalis corrumpitur , quoad terminos, quia variantur termini materiales , tãmen eſt æterna : ideo cum dicis prima tranſmutatio eſt ſecundum qualitates, & præſupponit ſubiectum quãtum verum eſt ; ſed illud ſubiectum eſt quantum quantitate interminata.ſi dicas an vera ſit eadem quantitas materialis, & formalis: & videtur, quod omnis quantitas ſit terminata. Dico, quòd eadem eſt quantitas materialis & formalis re, differt tamen ratione;quia vocatur materialis reſpectu formæ generandę ; formalis reſpectu formæ,quam habet: & dico,ꝙ omnis quantitas eſt terminata:dicitur tñ interminata reſpectu formę generandę.

LECTIO LXVIII.

DICEBAT nobis Ariſtoteles in lectione heſterna,quòd ſubiecta materia eſt ſcibilis proportione ad res artificiales:aduertit Auerroes primo,quia dicit,

cir,φ ſubiecta materia eſt ſcibilis natura: reſtringit Auerroes, quia materia ſubiecta non eſt intelligibilis, niſi per accidens, id eſt ex proportione ad res artificiales. ſecūdo, quia Ariſtoteles dicit,φ tria ſunt principia,& dicit vnum quoddam eſt materia. aduertit, quomodo dicit vnū: quia materia non eſt vnum actu, ſed potentia; non vna poſitiue,ſed vna priuatiue,id eſt vna potentia, & non actu:ideo non habet formam determinatam, in commento.70.dicit, quòd potentia adueniens materiæ eſt accidens ipſius materiæ: non autem prędicatum eſſentiale ingrediens definitionem:& probat dupliciter,quia, ſi potentia ingrederetur definitionem materię,ſequeretur, quòd materia corrumperetur in aduentu formæ, quia corrumpitur potentia eo, quòd corruptum non poteſt reuerti vnum numero:ergo & materia: & ſic ipſa materia non remaneret;ſed corrumperetur in aduentu formæ. oppoſitum dixit Ariſtoteles, quòd ſubiectum in aduentu permanet, priuatio vero corrumpitur. & materia non eſſet in prædicamento ſubſtantiæ,ſed in prædicamento relationis, quia potentia refertur ad actum,ergo relatio.& ſic ſi potentia eſſet de eſſentia materiæ, ergo & materia eſſet relatio: quia eiuſdem generis eſt prædicatum eſſentiale:& id cuius prædicatum eſt eſſentiale: ſed potentia eſt prædicatum eſſentiale: & cū ſit in prædicamento relationis, ergo & ipſa materia. ſunt dubitationes, an materia ſit per ſe intelligibilis, quia Ariſtoteles, dicit hic, quòd eſt intelligibilis per accidens.dicit Simplicius, quòd materia eſt per ſe intelligibilis à metaphyſico, quia eius perfecta cognitio declaratur à metaphyſico:à naturali philoſopho non eſt intelligibilis per ſe, ſed per accidens,vt ſubijcitur tranſmutationi, & in eandē ſententiam venit Scotus.12.diſtin.ſecundi quæſt.prima, qui dicit, quòd materia pro ſtatu iſto non eſt intelligibilis.per ſe vero in alio ſtatu eſt intelligibilis.in ſtatu autem iſto non eſt per ſe intelligibilis, quia intellectus apprehēdit tantum ea, quæ apprehendit ſenſus. ſenſus autem apprehendit ſenſibilia communia, & propria,& materia nō eſt iſtorum; ergo in ſtatu iſto non intelligibilis per ſe; tamen eſt intelligibilis: quia eſt ens per ſe: ergo intelligibilis per ſe: quia intelligibilitas eſt paſsio entis ſecundo Metaphyſices,quia res ita ſe habent ad eſſe, vt ad cognoſci.ſecundo,compoſitum dependet ex cognitione partium,quę ſunt priores natura: ſed compoſitum eſt per ſe intelligibile;ergo & materia, quæ eſt eius pars. ſi dicetis, quòd materia eſt intelligibilis per accidēs intelligibile: ergo per accidens erit prius intelligibile per ſe: quia materia, quæ eſt per accidens intelligibilis eſt prior compoſito, quòd eſt per ſe intelligibile. oppoſitum dixit Ariſtoteles ſeptimo Metaphyſices,etiam materia eſt pars quidditatis. quidditas enim exprimitur definitione: ſi eſt pars quidditatis;ergo per ſe intelligibilis: quia partes definitionis ſunt per ſe intelligibiles.etiam quia quod per ſe ſignificatur, per ſe intelligitur: quia modus intelligendi ſumitur à modo ſignificandi; ſed materia per ſe ſignificat; ergo per ſe intelligitur.etiam materia per ſe ſcibilis:ergo & intelligibilis:quia ſcientia eſt intellectus.ſi ergo per ſe ſcibilis,ergo per ſe poteſt ad intellectu apprehendi, & intelligi.ad Auerroē, qui dicit, quòd non intelligitur materia, niſi per accidens. dicunt,quòd verum eſt,vt materia eſt tranſmutabilis per ſe, etiam intelligibilis. exemplum, homo vt mobilis ad locū per accidens intelligitur: quia reſpectu loci; per ſe tamen eſt intelligibilis: ita eſt de materia: quia vt tranſmutationi ſubijcitur per accidens, intelligitur per ſe tamen, quia eſt ens,per ſe intelligitur. ſed eſt dubitatio cōtra opinionem iſtam, quia nono Metaphyſices vnumquodque eſt intelligibile, vt eſt in actu, ſed materia eſt pura potentia; ergo non intelligibilis.& quia ſi eſſet per ſe intelligibilis,produceret;ergo ſimulachrum in intellectu:ſed materia non poteſt producere ſimulachrum in intellectu, quia ſic ageret, quod eſt falſum: quia formæ eſt agere, materiæ vero pati:quomodo ergo per ſe intelligibilis eſt? materia non eſt ſenſibilis,nec ergo intelligibilis.ſi dicatis,non in hoc ſtatu eſſe intelligibile,ſed in alio. Dico, quòd Ariſtoteles non poſuit alium ſtatum, quia hoc nec ratio, nec ſenſus oſtendebat:ideo eſt opinio communis, quòd materia intelligibilis per accidens. quomodo per accidens aliqui dicunt,φ vnica cognitione intelligitur per varias notiones formæ: quia dicunt,quòd omnis forma tam ſubſtantialis, quàm accidentalis producit tres notiones in intellectu: primo notionem ſui ſecundo compoſiti: tertio materiæ:& ita intelligitur per accidens, inquantum notio materiæ producitur à forma. ſed hoc non eſt ſecundum Ariſtotelem:quia dicit, quòd materia eſt ſcibilis proportione ad res artificiales:non autem dixit, quòd per formam cognoſcatur materia prima etiam ex omnibus prædicatis, quæ vt formæ apprehenduntur. intelligatur materia, cum omnis forma notiones materiæ perducat, licet remote. quomodo ergo materia erit difficilis cognitionis, vt dicit Ariſtoteles:ſiō Plato dicebat, quòd de materia habebatur cognitio adulterina:quia proportione vt ſupra;ſed nō erit difficilis cognitionis, cum ab omnibus prædicatis cognoſcetur. ideo aliter præceptor meus, quòd materia cognoſcebatur per accidens reſpectu termini: quia iſte terminus materia repræſentat notionem materiæ in intellectu.contra,quia terminus rei non producit nos in cognitionem, niſi prius habita notione rei. ab ipſa enim re ſumitur terminus. quomodo ergo dicitur cognoſci per accidens reſpectu termini?eſt tertius modus,quòd diſcurſu, quodam intelligatur materia hoc pacto.quia ſicut in arte, ita in natura:quia ſicut eſt ſubiectū, quod de vna forma tranſmutatur in aliā, & caret omni forma artificiali:ita in materia,& hoc videtur protendere verba Ariſtotelis: ſed habet difficultatem, quia diſcurſus non terminatur ad notitiam ſimplicem, vt eſt notitiæ primæ materiæ, quæ eſt ſimplex: ſed ad notitiā compoſitam, id eſt ad notitiam verbalem, vt ad iſta compoſita, ſcilicet homo eſt animal, Socrates eſt homo:quomodo ergo materia,cum ſit ſimplex, cognoſcitur diſcurſu?ideo dico,quòd materia intelligitur per accidens circūlocutione quadam conceptus aggregati. exemplaribus cōceptibus, ita fingimus hunc conceptum, quòd ſit ens expers omni forma ſuſceptiuū omnium, ſicut fingimus res, quas nunquam videmus,quia fingimus conceptum circūlocutione quadam,vt de Antichriſto: ideo quia fingimus conceptum apud diuerſos, diuerſe fingitur: & ita quia intellectus dum conceptu quodam ficto: ideo à diuerſis diuerſimode imaginatur.ita dico, quòd materia circumlocutione conceptus intelligitur, qui quidem conceptus ſumptus eſt à re artificiali, ſicut in re artificiali ſubiectum expers eſt omni forma artificiali; ita etiam de materia naturali:& ita à nobis intelligitur intellectus noſter:quia per accidens intellectus, cum dixit Ariſtoteles tertio de anima per conceptum quendam fingendo, quod ſit tabula raſa, quæ poſſet ſuſcipere omnes ſpecies: ideo antiqui appellabant materiam Chaos: quia omnia adinuicem miſcebantur.& ita dicebat Anaxagoras,quòd erat Chaos,& omnes formæ erant ibi ſcilicet potentia. ita ſacræ ſcripturæ fingunt,In principio creauit Deus cœlum,& terram:terra autem erat inanis,& vacua, id eſt materia erat priuata omnibus formis.ſed ſunt dubitationes: prima non debet philo-

ſophus

ſophns vti metaphora,vt dixit Anerroes primo Phyſicorum, quia eſt imitario naturæ. quomodo hic vtitur metaphora,quia dicit,ſcibilis eſt proportione ad res artificiales? dicatis,vt Auerr.3.de anima, quòd aliquando non inconuenit in ſcientijs vti metaphora,in rebus difficilibus,vt facit etiam de intellectu,quia vſus eſt metaphora,quia dixit eſt vt tabula raſa: ita quia materia difficilis cognitionis erat,vſus eſt metaphora:ſicut etiam cum dixit materia appetit formã, vt femina maſculum. ſecunda dubitatio, quia correlatiua debent eſſe ſimul nota.quomodo ergo materia cognoſcitur per formam?dico, vt correlatiua non cognoſcitur per formam,ſed abſolute cõſiderando formam, quia eſt prior materia. cognoſcitur materia per ipſam formam. tertia dubitatio ex Alexandro.2.libro quæſtionum naturalium cap.7.quia ex negatione non cognoſcitur natura rei, dicit, quòd illæ duæ negationes, ſcilicet qnòd materia ſui natura non eſt qualis, nec non habet, quod ſit qualis à forma, nõ qualis à priuatione.circumſcribunt ſubiectum, ſcilicet materiam primam: ideo declarant materiam primam,qui circumſcribũt ſubiectum in potentia.quarta dubitatio,quia non poteſt dici, quòd materia ex non ſit qualis,nec non qualis:quod tamen dixit Ariſtoteles, quia oppoſitum prædicati non poteſt competere rei,ſicut irrationalis nõ competit homini, quia eſt oppoſitum rationalis: reſpondet Alexander,quòd ex Ariſtotele primo Priorum longe differunt iſtæ propnſitiones. Socrates ex ſe eſt non albus,& Socrates ex ſe eſt albus: vtraq; enim eſr falſa.ideo dicendum, Socrates non ex ſe eſt albus, & Socrates nõ ex ſe eſt non albus: & ſic de materia debemus dicere, quòd non ex ſe eſt qualis, & quod non ex ſe. ad argumenta in oppoſitum. De primo dico negando argumentum, quia intelligibilitas per ſe, non ſequitur ens, ſed tantum per ſe ens actu, dico per ſe, quia intelligibile communiter ſumptum ſequitnr ens abſolutum, quia illud appellatnr per ſe intelligibile,quod eſt aptum producere ſimulacrum in intellectu.illud autem eſt ens actu, ſcilicer forma: ideo materia cũ ſit potentia non eſt per ſe intelligibilis.de ſecundo dico, quòd compoſitum, vt dependet à materia, ſic per ſe non eſt intelligibilis,licet abſolute ſit intelligibile:ideo nõ ſequitur,quòd ſit per accidẽs tale principio per ſe tali,quia reſpectu materiæ compoſitum non eſt per ſe intelligibile, ſicut materia nõ eſt per ſe intelligibilis: ideo argumentum nullum.de tertio dico,alia eſt quæſtio, an materia eſt pars quidditatis: contendunt de lana caprina, quia dicant mihi quid ſignificat hæc vox ignis,& tunc dicam, ſi materia ſit pars quidditatis, ſi vox ignis ſignificat tertium compoſitũ ex materia & forma,vt dicit Scotus,& diuus Thomas,materia erit pars quidditatis, quia definitio,& definirum ſunt idem, re differunt tamen, ſicut expanſum, & inuolutum: ideo ſi definitum ſignificat materiã,& definitio; nominales dixerunt, quòd homo ſignificat ſignificantia. primo, quæ quidem materiam ſignificant,ſi ſic,ergo materia erit pars quidditatis.alius eſt dicendi modus Ariſtotelis ſecũdo de anima,& Auerrois, quòd hæc vox homo primo ſignificat formam:ideo album,primo qualitatem ſignificat: ita homo, primo ſignificat humanitatem,quæ hnmaniras intellectiua, ita quidditas erir forma tantum. ſecundo tamen cõnotabit materiam, quia homo primo ſignificat formam,ſecundario materiam: ideo forma erit quidditas per ſe.ad argumẽtum. Dico, quòd materia non eſt pars quidditaris, ſed ſubiectum quidditatis; ſicur paries, eſt ſubiectum albedinis, non pars. ſed dicetis, ſicut lapis conſtat ex materia,& forma:ita etiam & homo.verum eſt,ergo materia eſt pars quidditatis.Dico,quod nõ ſequitur, quia homo primo ſignificat formam,connotat ſubiectum ſecundario,ideo forma eſt quidditas communis.materia autem eſt vt ſubiectum deſerens formam hominis, & quidditatem. De quarto,quia materia per ſe ſignificat, ergo per ſe intelligitur. dico, quòd conſequentia eſt falſa, quia diſtinctius aliquid poteſt ſignificari, quàm intelligi, ſicut apud mulros tenetur, quòd ſubiectum non intelligatur, tamen habet ſignificatum.licet ergo in modo ſignificandi ſumat eſſe intelligibilis, nõ ſequitur tamen, per ſe ſignificat;ergo per ſe intelligitur: quia aliquid diſtinctius poteſt ſignificari,quàm intelligi. De vltimo dico, quòd non ſequitur,eſt per ſe ſcibilis,ergo per ſe intelligibilis: quia ad hoc, quod ſit aliquid ſcibile, ſufficit, vt ſinr prędicata competentia ei eſſentialiter. ſic enim cauſatur ſcientia, & ita materia habet talia prædicata,& ſunt, quòd ſint vna numero, omnibus priuatiue ens in potentia,expers omni forma,& ſuſceptiuum omnis formæ. ad hoc autem quòd aliquid ſit intellectuale,requiritur, quòd producat ſimulachrum ſuum in intellectu:ex quo autem materiæ eſt pati, & non agere, quomodo poterit producere ſimulachrum in intellectu?ſi non poterit,non erit intelligibilis.& non valet,eſt ſcibilis, ergo intelligibilis per propriam ſpeciem.

LECTIO LXIX.

DIXIT Auerroes, quòd materia erat ens non actu, ſed potentia,& erat vna numero, priuatiue, & potẽtia, non poſitiue.& dixit, quòd potenria eſt accidens primę materię, non autem de eſſentia eius.& probabar dupliciter, quia ſi eſſet de eſſentia potentia, corrumperetur materia in aduẽtu formæ, quia potentia corrumpitur. etiã potentia eſt in prædicamento relationis, materia in prædicamento ſnbſtantiæ, propter hoc eſt dubitatio apud latinos,an materia ſit ſua potentia. ex vtraque parte eſt difficilis. primo videtur, quòd non quia in aduentu formæ corrumpitur potentia, non autem corrumpitur materia, ergo non ſunt idem: etiam quia materia eſt vna numero, potentiæ ſunt multiplicabiles, ergo non ſunt idem. tum quia potentiæ contrariatur actus, materiæ autem nihil contrariarur,ergo etiam porentia ſequitur materiam, materia autem non ſequitur ſeipſam,ergo. etiam quia naturalis potẽtia,ergo qualitas eſt potentia materiæ, cum ſit potentia patiendi, ſi ſit qualitas, & materia ſubſtantia: ergo non ſunt idem re.etiam argumento Ariſtotelis tertio Phyſicorum, quia ſi potentia eſt eadem ob ſanitatem, & ægritudinem, ſanitas,& ægritudo eſſer idem:ita ſi potentiæ eſſent,eędẽ; primæ materiæ & actus eſſent idem ad inuicem,& ita omnes formę eædem:quia cuius potentia eſt eadem, actus eſt idem,ergo.tamen oppoſirum ſcilicet quòd illę formę differant, ergo & potentiæ, ergo nõ ſunt eædem potentię. materiæ etiam potentia refertur ad actus, materia eſt ſubſtantia, & non refertnr, ergo potentia materiæ differt ab ipſa materia. ex alia parte,quia,vt agere eſt agentis, & pati patientis: ſed agere eſt actus agentis, quia agere primi agentis, eſt ipſummet, quia nullum accidens eſt in illis,ergo & potentia eſt eſſe patientis. cum ergo materia ſit purum patiens,potentia erit eadem cum materia, vt de primo agente.& propter hoc ſunt multiplices modi dicendi,vnus Ioãnis,quia pro fundemento eſt eadem cum materia; ideo dixit Ariſtnteles quinto Metaphyſices potẽtia eſt,qua trãſmutatur res in alterã.& ſeptimo eiuſdem dixit,quòd materia non eſt qualis,nec quanta:& ſic potentia fundamentaliter eadem eſt cum materia. alio modo ſumitur potẽtia

pro

pro naturali potentia eius,quæ eſt de ſecunda ſpecie qualitatis,& hæc eſt.accidens,& materia differunt per hanc potentiã, quia eſt propria paſsio eius:& ita loquitur in de ſubſtantia orbis Auerroes, cum dixit, materia ſubſtentatur per ſui poſſe,id eſt materia definitur per ſuam paſsionem, quæ eſt potentia. alio modo ſumitur potentia pro relatione, & ſic diſtinguitur à materia, & ita loquitur hic Auerroes,quòd in aduentu formę perditur potentia.ſic ergo potentia ſecundo, & tertio modo ſumpta differt à materia, quia ſunt accidentia. primo modo autem eſt eadem cum materia, ſed habet plures difficultates hæc reſponſio. primo, quia dicit, quòd naturales potentiæ diſtinguuntur re à ſubiecto.contra hoc in iſto,quia naturalis potentia,& naturalis impotentia, ſicut dixit Auerroes ex intentione Alexandri ſeptimo Phyſicorum, non differunt realiter à ſubiecto, cuius ſunt:ideo Ariſtoteles argumentatus, quòd tãtum in tertia ſpecie qualitatis ſit alteratio, dixit, quòd non eſt in prima nec in quarta, ergo in tertia. dixit Aelxander, nonne eſt ſecũda ſpecie qualitatis? dici idem ad hoc,quòd ſecunda ſpecies qualitatis non eſt qualitas? quia dicit res agunt per ſuas formas,& patiuntur per materias. ſi ſecunda ſpecie qualitatis eſſet qualitas, Ariſtoteles eſſet diminutus.ſecundo ſic potentia eſſet actus,quia omne accidens ſeiunctum à ſubiecto eſt actus: ſi potentia eſſet huiuſmodi; eſſet actus etiam, materia ſibi determinaret vnam formã determinatam, quia ſi potentia eſt accidens, & determinat illam paſsionem,quæ eſt forma. quarto ſi potentia naturalis ſit qualitas, & propria paſsio, ſequitur,quod materia ante omnem actum ſubſtantialem ſuſcipiat formam accidẽtalem, quòd eſt falſum: quia accidens ineſt ſobiecto per ipſam formam, tamen quia compoſitio ſubſtantiæ præcedit compoſitionem accidentalem: ſi dicas, quantitas interminata præcedit omnes formas, non eſt ergo hoc inconueniens, quòd forma accidentalis interminata præcedat omnes formas ſubſtantiales. Dixi,quòd quantitas interminata eſt eadem cum terminata, conſequitur ſemper formã ſubſtantialem. quòd autem ſequatur, quòd prius ſuſciperet formam accidentalem ante omnes formas ſubſtantiales,declaratur: quia prædicatum ſecundi modi natura præcedit materia prædicata accidentia: ſed materia recipit formas ſubſtantiales per accidens. potentia autem eſt in materia,vt propria paſsio,ergo naturalis potentia, quæ eſt accidens,præcedit omnes formas ſubſtantiales.oppoſitum dixit ex Ariſtotele;ideo aliter Scotus dicit, quòd duplex eſt potentia materiæ,vna fundamentalis,& ſic talis eſt eadem cum ipſa materia:alia eſt potentia formalis,quę eſt relatio re diſtincta à materia:& talis potentia eſt duplex,terminata, & interminata. terminata eſt reſpectu formæ ſignatę: interminata, quia non eſt reſpectu formæ ſignatæ,ſed reſpectu omnis formæ producendæ: vtraque tamen eſt relatio.differunt tamen iſtæ potentiæ,quia illa interminata eſt inſeparabilis à materia,& non perditur in aduentu formę, quia reſpicit totum genus producendum: & de hac loquitur Auerroes in de ſubſtantia orbis.terminata vero perditur in aduentu formę: ſed contra hanc ſunt dubitationes, quia illa potentia ſi ſit accidens,erit actus:quia accidẽs adueniens enti,eſt forma,& ſit actus. etiam quia materia determinabit formam ſibi propriam, quia determinabit paſſionem ſibi propriam: etiam forma accidentalis præcederet omnes formas ſubſtantiales. quid deducendum eſt vt ſupra? oppoſitum tamen dixit Ariſtoteles ſeptimo Metaphyſices etiam Auerroes in libro definitionum diſpoſitione tertia dubio 14.dicit, quòd relatio non ſeiungitur re à ſubiecto,& probat dupliciter,quia ſi relatio re ſeiungatur ſequitur, quòd album ſimile erit compoſitius,quàm albũ, quod erit compoſitũ ex albedine, & ſimilitudine illa. etiã quia in aliquid eſſet prima mutatio,cuius oppoſitum dixit Ariſtoteles quinto Phyſicorum, ꝙ autem ſequatur,quod in aliquid ſit prima mutatio, declaro, quia cum producatur albedo ſimilis alteri, fit mutatio,quæ recipi debet in relatione,cum ſit realis realiter diſtincta à ſubiecto. cuicunque enim rei debetur prima per ſe mutatio.ſi ſit diſtincta ab alijs,tum quod erit aliquod perpetuum, à parte ante,& non à parte poſt.oppoſitum dixit Ariſtoteles primo cœli. quod autem ſequatur, deducitur, quia potentia,quæ eſt relatio,ſemper inſiat matariæ:in aduentu autem formæ corrumpitur talis potentia, ergo perpetuum à parte ante corrumpetur: ideo ſemper mihi placuit opinio, quòd relatio non diſtinguatur à fundamento;ſed tantum ratione,vt dicam infra potiſsime illo argumento: quia ad aliquid eſſet prima mutatio. oppoſitum dixit Ariſtoteles: ideo eſt tertius modus Gulielmi Occhæ, & Alberti, quòd potentia duplex,fundamentalis,& eſt eadem cum materia.potentia alia eſt potentia, quæ eſt relatio, & non diſtinguitur re ab ipſa materia,quæ relatio non eſt res:quia relatio non eſt niſi comparatio facta ab intellectu rei comparatæ ad rem, cui comparatur,ſed habet difficultatem:quia,ſecluſo omni actu intellectus,adhuc materia habet potentiam;non ergo potẽtia ſolum habet eſſe ex intellectu etiam metaphyſice conſiderata prædicta, vt partes rei, & relationes conſiderat, ergo ſunt res, à logico conſiderantur prædicata, vt dicunt diuerſum modum prædicandi, vt ſubſtantia dicitur prędicari in quid: quantitas vt per modum quanti:qualitas vt per modum qualis: & ſic etiam, ſecluſo omni actu intellectus,vniuerſum eſt vnum vnitate ordinis:quia ęterna ſunt vniuerſa,& corruptibilia infra. nõ enim eſt vnum proprie,ſed vnum ordinis: quia ordo eſt relatio,ergo relatio eſt res realis. etiam Theologi habent dubitationem de relationibus in diuinis,quæ diſtinguuntur, & ſunt res, etiam vnio humanitatis cum verbo eſt realis; tamen eſt relatio,quæ relatio eſt realis res:ideo aliter dicit Thomas,& Egidius,quòd duplex potentia materiæ conſideratę, fundamentalis,& ſic non diſtinguitur à materia.poteſt conſiderari modo formaliter,& ſic eſt relatio, & non diſtinguitur à materia,quia relatio non diſtinguitur à fundamento ſed tantum differunt ratione.connotato. quomodo connotato? quia primo ſignificat ſuam albedinem. ſecundario connotat aliam ſibi ſimilem: ideo deſtructa illa materia albedini connotata,non perditur res illa, quæ eſt albedo; ſed perditur relatio, ratione termini ſignificati.ſecundario ita de materia eſt:quia materia formalis eſt realis,& nõ diſtinguitur à materia; ſed ideo ſignificat aptitudinem ad formam, quæ eſt corruptibilis,& ideo dicit, opinio,ꝙ potentia formalis eſt duplex vna interminata, quæ reſpicit genus formarum, & ſpecies formarum: & iſta non corrumpitur in aduentu formæ, quia ſemper reſpicit formas: alia eſt terminata,quæ reſpicit formam generandã, & hæc corrumpitur aduentu forma:& de hac loquitur Auerroes quomodo vero hæc corrumpatur,ſtatim dicam.ad argumenta,de primo dico,quòd materia non diſtinguitur re à potentia,licet potentia corrumpatur,& non materia;tamẽ non ſequitur,quòd materia diſtinguatur à potentia,quia illa potentia debet corrumpi ratione aptitudinis,quæ habet ad formam generandam:corrumpitur vero cum iam genita eſt talis forma in materia.non corrumpitur autẽ ſimpliciter potentia:ideo argumentum nullum,ſed eſt dubitatio: quia eadem portio materiæ infinities recipit animam intellectiuam,cũ ſit vna numero, & infinities informabit

eandem

eandem partem materiæ. quomodo ergo potentia perditur in aduētu formę? ſecundo, ſi potentia nihil eſt, quomodo corrumpitur? tum etiam eſto, quòd forma ignis adueniet huic materię, cum inducitur forma ignis, tollitur potentia generāda, cum ſit alia portione materiæ ad formam generādam, ergo poſſunt recipere illam: & ſic corruptum idem numero reuertetur, quia erit potētia ad illam formā. quarto, quia terminus non deſtruit propriam relationem, ſed perficit, vt filiatio non deſtruit paternitatem, ſed perficit. quomodo ergo potētia perditur aduentu formæ, cum forma ſit proprius terminus eius? de primo dico, quòd eadem portio infinities poteſt recipi, & forma hominis, ergo non corrumpetur potentia, verum eſt, & hoc eſt, quia, forma hominis eſt æterna. ſi autem eſſet corruptibilis eadem portio materiæ non poterit recipere infinities formas hominis, nec anima hominis poſſet infinities eandem portionem materiæ informare: ideo cum Auerroes dicit, ꝙ in aduentu formæ corrūpitur potentia, loquitur de forma corruptibili. cur hoc eſt? quia potentia corrumpitur ad illam formam, cur? quia ſemel corruptum non poteſt amplius reuerti, & ideo qui dicunt, quòd corruptum non poteſt reuerti, quia potentia corrumpitur, litem lite ſoluunt quia quæro ego, cur illa potentia non reuertitur vna numero: ideo dico, quòd corruptū non poteſt reuerti, quia corruptum dices, tu idem homo infinities poteris fieri, quia eadem materia poterit informare eandem partem materiæ. Dico, quòd in homine non deſtruitur anima, quæ poteſt reuerti, ſcilicet ſenſitiua, & complexio propria: ideo homo vnus numero non poteſt reuerti. dices in illa potentia nihil eſt, quomodo corrumpitur? dico, quòd corrumpitur, quo ad ſecundum ſignificatum, quia reſpicit formam generandam, & cum forma iam genita eſt, corrumpitur illa potentia: non quòd corrumpatur aliquid reale illius, ſed corrumpitur ipſa denominatio, quia non corrumpitur potentia, quia non eſt accidens inhærens materiæ, ſed denominans. de tertio, quia in alijs partibus materiæ remanebit potentia ad illam formam. dico, cum corrumpitur, potentia ex illa parte materiæ, cui aduenit, corrumpitur in alijs partibus, quia cum aduenit illi parti materię, quæ eſt eiuſdem rationis cum alijs partibus: ideo cum corrumpitur potentia in illa parte, ita in alijs, cum ſint omnes partes materiæ eiuſdem rationis cum alijs partibus: ideo cum corrumpitur potentia in illa parte, ita in alijs, cum ſint omnes partes materiæ eiuſdem rationis. De quarto dico, quòd potentia non eſt ordo reſpiciens formam qualitercunque; ſed reſpicit formam producibilem, cum vero iam producta eſt, non reſpicit illam: ideo forma producta non eſt terminus ille: ideo corrumpitur in aduentu formæ potentia. de ſecundo dico, quòd non eſt verum, quòd naturalis potentia agendi ſit qualitas. Heu. Ariſtoteles poſuit in prędicamento qualitatis. dico, quòd famoſè loquitur, ſicut ſeptimo Metaphyſices appellauit omnes differentias ſubſtantiales qualitates, vt habent modum prædicandi; ita hic poſuit in prędicamento qualitatis naturalem potentiam, non quod reuera eſſet qualitas; ſed vt habet modum prędicandi in quali: ideo dixit, eſt qualitas de prima ſpecie qualitatis: reuera tamen naturalis potentia, & impotentia ſunt ſubſtantię, argumento maximè Alexandri ſeptimo Phyſicorum, quia volens probare Ariſtoteles tertia ſpecie qualitatis ſit tantum alteratio, dixit non in prima, nec in quarta: ergo tantum in tertia non facit mentionem de ſecunda: quia ipſa non erat qualitas, vt Alexander, & Auerroes: ibi.

LECTIO LXX.

ERAT dubitatio, nūquid potentiæ eſſent eędem cum prima materia remanſit vltima difficultas, quia ſi eſſent eædem primæ materię, ſequeretur argumentum Ariſtotelis tertio Phyſicorum. Dico, quòd illæ potentiæ ſubiectiue, id eſt ſubiecto ſunt idem, re diſtinguūtur formaliter, tamen in quarū reſpiciunt diuerſos actus: ita potētia ad ſanitatem, & ægritudinem eſt eadem ſubiecto; differt tamē ratione: ideo non ſequitur ſanitas, & ęgritudo ſint idem. & ita Ariſtoteles, cum dixit, ſi potentia eſt eadem, actus erunt idem. ſequitur de potentia, quæ eſt eadem re, & formaliter. eſt alia dubitatio, an materia prima ſit vna numero omnium corruptibilium. primo videtur, quòd nō: quia Auerroes in de ſubſtantia orbis dicit, quòd vnius materiæ eſt vna forma; ſed plures ſunt formæ numero: ergo materia non eſt vna numero. etiam quia diuerſæ portiones materiæ ſunt in elementis, & in mixtis; ergo nō eſt vna numero. vnitas numeralis non poteſt communicari pluribus. materia prima eſt communis pluribus, ergo etiam vnitas numeralis. ſeptimo Metaphyſices ſumitur à forma, cum materia ſit expers omni forma. quomodo ergo erit vna numero? oppoſitum tamen hic Auerroes in textu ſeptimo & in 12. 14. Metaphyſices dixit, ꝙ materia eſt vna numero cōmunis omnibus generabilibus, & corruptibilibus. dico ad dubitationem, quòd poteſt conſiderari materia dupliciter ſecundum rem, & ſecundum intellectum. ſecundum intellectum, id eſt ſecundum ſui definitionem, vt eſt ens in potentia, ſic eſt vna numero priuatiue, quia ſic caret omni diſtinctione, quia diſtinctio eſt ab actu: quia ſi ens eſt potentia, caret multitudine formæ: & ſic priuata eſt omni forma: & ſic ſecūdum intellectum eſt vna numero priuatiue in omnibus. alio modo conſideratur materia ſecundum rem, & ſic non eſt vna numero: quia diſtincta eſt à materia vnius elemēti materia alterius elementi; ſed quælibet tamen portio eſt vna numero poſitiue potētia ſcilicet, & non eſt vna numero actu, niſi per accidens ſcilicet à forma: ideo expono dictum in primo de generatione, ꝙ eadem eſt portio materiæ in viuo & mortuo. verum erat poſitiue, ſed in potentia erat vna numero poſitiue: & ſic ſecundum intellectum eſt vna numero priuatiue. ſecundum rem non eſt vna numero, ſed diuerſi numeri: quia quælibet portio materiæ eſt vna numero: & hoc dupliciter vel per ſe, & ſic eſt vna numero potētia poſitiue: vel eſt vna numero per accidens: & ſic eſt à forma. ex his autem colligit tria: primum, quæ ſit differentia contrariorum contraria, vt dixi, ſunt habitus, & priuatio: quia forma eſt id, quod fit. priuatio ex quo fit. tum forma eſt pars rei. priuatio non patet. ſecundo, quomodo principia ſe habent adinuicem: quia duo materia ſcilicet, & forma, ſunt per ſe principia, & pars rei genitæ. priuatio vero eſt principiū per accidens, & nō pars geniti. tertio, patet quid ſit ſubiectum: quia dixit, quòd ſubiecta natura proportione ſcibilis eſt ad res artificiales: quia ſicut in artificialibus eſt ſubiectum, quod transfertur de priuatione ad formam, & eſt expers omni forma artificiali, ita & in naturalibus eſt ſubiectum, quod trāſfertur de priuatione ad habitum, & omni forma caret. poſſet quis dubitare, quænam magis ſit ſubſtantia, an materia, an forma, an compoſitum cum ſubſtantia, in hæc tria diuidatur, dicit Ariſtoteles, ꝙ præſens quæſtio non eſt præſentis loci: ſatis eſt nobis, ꝙ oſtendimus, quæ ſunt principia qualia, & quiſnam modus eorū, quia dixit, quòd erunt duo contraria, & vera illa, vniuerſa

ſubſtantia natura, & quòd duo erant principia per ſe ma-
teria, forma vnum per accidens, id eſt priuatio, quia nō eſt
principium rei genitæ: ideo Plato nō poluit priuationem
in numero principiorū, etſi eam cognouerit, vt dicit Sim
plicius: ſed dices quid de ea quæſtione, quæ nam ſit magis
ſubſtantia: dicit Simplicius, quòd debet octauo Metaphy
ſices, quia ſi conſideratur ſubſtantia ratione ſubſiſtentiæ,
compoſitū eſt magis ſubſtantia, quia magis ſubſtat, quàm
partes: ſi conſideratur ſubſtantia ratione ſubiecti, ſic ma-
teria eſt magis ſubſtantia: quia magis ſubiectum. poteſt cō
ſiderari ſubſtantia ratione nobilitatis, & actualitatis: & ſic
forma eſt magis ſubſtātia: quia nobilior, vt dat eſſe actua-
le. dicit Simplicius, cur in prædicamentis facit aliam diui
ſionem, quia diuiſit in primam, id eſt iu indiuidua, & in
ſecundam, id eſt in ſpeciem, & genera. Simplicius non ſol-
uit. Dicatis, quòd ibi diuiſit ſubſtantiam compoſitam, nō
ſimplicem: ideo tantum in indiuidua, & ſpecies, & genera
diuiſit ſubſtantia, & non in materiam, & formam, & com
poſitam: quia hæc diuiſio, quàm hic facit, eſt ſimplicis ſub
ſtantiæ. & dicit Ariſtoteles, quòd antiqui & primi philo-
ſophi ex inſcitia priuationis errarūt: quia à medio ſubſtu
lerunt generationem, & per primos philoſophos intelli-
git nedū tempore, ſed doctrina, & dignitate: & dixit, ſub-
ſtulerūt generationem, quia aliqui poſuerunt principium
eſſe ens vnum, & immutabile: ideo iſti ſubſtulerunt gene
rationem. Alij dixerunt principia eſſe plura; ſed dicebant
generationem fieri diſgregatione, & congregatione: alij
vero dicebant generationem eſſe mixtionem atomorum,
ex hac ratione negarunt generationem; & ideo ratio eo-
rum erat hæc, aut generatio erit ex ente, aut ex non ente,
illud ex, dicit circunſtantiam ſubiecti: quia dixerunt, aut
generatio eſt ex ente: ſic ergo prius eſſet res, quàm eſſet, ſi
ex non ente, hoc eſt falſum, quia ex nihilo nihil fit: & ſic
ex inſcitia priuationis ſubſtulerunt generationē. vult Ari-
ſtoteles ſoluere dubitationem, & dupliciter ſoluit. primo,
ex priuatione inuenta, cum dicit, ſi generatur ens, aut ex
ente, aut ex non ente. dicit Ariſtoteles ex neutro, ſed par-
tim ex ente, & partim ex non ente generatur. ex ente per
accidens, id eſt generatur ex materia, vt accidit ei priua-
tio, quia non generantur ex materia, vt ens, ſed vt ſubiecta
priuationi. generatur ex non ente non ſimpliciter, ſed ex
non ente, id eſt ex priuatione, non quatenus priuatio eſt
priuatio, & non ens; ſed quatenus priuatio accidit materię
ideo illud ex, nō dicit terminum à quo, quia ſic à priuatio
ne generaretur; ſed illud ens, ex, dicit circunſtantiam ſu-
biecti, ampliat ſolutionem, quia cum dicimus, ens genera
tur ex non ente, id eſt dictu, quòd ens fit ens, aut non ens
fit ens, qua ſupra dixit, ꝙ priuationi attribuitur vtrunque,
& quòd hoc fit hoc, & ex hoc fit hoc medicū facere, aut
pati. hæc verba habent duplicem ſenſum. primo, quia me
dicus, qua medicus per ſe aliquid facit, quia ſanat, qua me-
dicus: vel quòd medicus per accidens aliquid facit, vt cum
medicus ædificat, quia per accidens ædificat, vt ædifica-
tor. ita hæc verba habent duplicem ſenſum, ꝙ ens genera
tur ex ente per ſe, & nō ex ente per ſe, vel quòd generatur
ex ente per accidens, vel ex non ente per accidens. & ſic di
cimus, quòd ens generatur ex non ente per accidens, quia
ex priuatione: & tamen accidit materiæ, fit ex ente per ac
cidens, quia ex materia, vt priuationi ſubiecta: & ſic dici-
mus, ꝙ ens fit ex non ente per accidens ex ente per acci-
dens: & declarat magis ſolutionem, & dicit, quòd ens non
generatur ex ente ſimpliciter, ſed ex ente per accidens nō
generatur ex ente per ſe, quia ſic eſſet ens, antequam eſſet.
generatur ex ente per accidens, vt generatur ex materia,
quæ eſt ens per accidens, tamen vt materia priuationi ſu-
bijcitur, ita dicimus, quòd ens non poteſt generari ex non
ente ſimpliciter: quia ſic priuatio eſſet ſubiectum genera
tionis. generatur tamen ex non ente per accidens ſcilicet
ex priuatione, vt accidit materiæ. dicit etiā quòd ens, qua
ens vniuerſale, nō generatur ex ente, nec ex non ente, quia
primo Metaphyſices, quia generatio eſt ſingularium. vni
uerſalia autem non generantur: ideo primum ens non ge-
neratur ex ente, nec ex non ente. exemplo oſtendit, ꝙ di-
xit, qui dixit, quod ens non generatur ex ente ſimpliciter,
ſed ex ente per accidens. dixit quod primum ens, qua ens
non generatur nec ex ente, nec ex non ente, & dicit, quòd
animal, qua animal, non generatur ex animalibus, quia ſin
gularium tantum eſt generatio: ſi tamen dicamus, quòd
quoddam animal ex quoddam animali, dicemus, ꝙ per
accidens generatur, vt hic canis ex hoc equo generatur. di
cit Simplicius, quòd debet ſumi hoc, vt exemplum, quòd
canis generetur ex equo: ſed melius poterat dicere, ꝙ apes
generantur ex boue, & tunc generantur per accidens ex
tabe: quia per ſe generantur ex illa materia corrupta.

LECTIO LXXI.

DISSOLVEBAT Atiſtoteles dubi-
tationem, qua victi antiqui ſubſtulerunt
veram generationem, ſed dicebant gene-
rationem eſſe alterationem, vel exitum
rei, quæ prius exiſtebat. hæc autem erat
dubitatio. vel ens generatur ex ente vel ens generatur non
ente. Ariſtoteles ſoluit dupliciter, & dixit quòd ens vni-
uerſaliter non generatur, ſed ſingularia tantum, & dicit ad
dubitationem, quòd ens generatur ex ente, & non ex non
ente; led per accidens, non per ſe, generatur. ex ente per ac
cidens, in quantum generatur ex materia, vt materiæ acci
dit. priuatio generatur ex non ente per accidens: quia ex
priuatione, quæ eſt per ſe non ens, eſt; tamen per accidens
non ens, vt materiæ accidit.

AMPLIVS autē eſſe omne.} iſte terminus eſt ob-
ſcurus, eſt remotio dubitationis, quæ dupliciter formari
poteſt, ſecundum quòd ſunt duæ primę dignitates. prima
eſt. de quolibet vera eſt affirmatio, vel negatio. ſecūda du
bitatio nullo ambo ſimul. dicit Ariſtoteles, ſi aliquid gene
ratur, debet generari ex ente vel ex non ente: quia non po
teſt generari ex parte ente & ex parte nō ente: quia ſic cō
traria eſſent in eodē. poteſt formari dubitatio ſupra ſecū-
dam dignitatem, quod de nullo ambo ſimul. ſi ergo am-
bo contraria non verificantur de nullo, ergo nō poteſt di-
ci, quòd ex ente partim fiat generatio, partim ex non en-
te. reſpondet Ariſtoteles ad hoc, quia cum dicimus non
ens, non tollimus eſſe ens: & ita cum dicimus ens, non tol-
limus eſſe non ens. quid ad dubitationem? quia de quoli-
bet debet eſſe affirmatio, vel negatio: ideo res debent ge-
nerari vel ex ente, vel ex nō ente. Dico, quòd aliqua ſunt
contraria abſolute, aliqua vero non abſolute, ſed cum cō-
trarietate & iſta poſſunt verificari de eodem. exemplum,
album & non album ſunt contraria. ſi dicamus tamen So-
crates albus eſt per ſe, non eſt contraria illi: Socrates per
ſe non eſt albus, & ita hic generari aliquid ex non ente per
accidens, & ex ente per accidens, non ſunt contraria, licet
ens & non ens abſolute ſint contraria. ſi accipiatur tamen
cum hac cōditione per accidens non ſunt contradictoria.
& dicit Ariſtoteles iſte eſt vnus modus ſoluendi ſcilicet
per ſe, & per accidens. eſt alius modus ex potētia, & actu,
ſumptis. itaque cum res, quæ generatur, ſit actu, quod ge-

neratu

neratur, ex ente generatur, ſcilicet in potentia generatur ex non ente actu, & vt dicit Alexander primo quæſt. naturalium cap. 24. differt prima ſolutio à ſecunda, quia prima ſumitur ex parte priuationis, ſecunda, quæ eſt ex potentia, & actu ſumitur. à materia fluit potentia, à forma actus ita dicimus, quòd generatur ex ente per ſe ſcilicet in potẽtia. & quia hæc diſtinctio requirebat maiorem declarationem, ideo remittit ſe ad alium locum Metaphyſices, & dicit Ariſtoteles quòd ex hac duplici diſtinctione diſſoluimus dubitationes aliquorum, quibus victi negarunt quædam prędictorum, ſcilicet principiorum, quia auferebant priuationes, & materiam: & non ponebant illam in numero principiorum, quia ſi poſuiſſent naturam priuationis, & materiæ, & generationẽ poſuiſſent. alio modo poſſunt intelligi hæc verba, quòd negarunt quædam prædictorũ, quia negarunt formæ naturam, & generationem, & corruptionem, quia quæ generantur, prius exiſtebant: ideo formæ naturã tollebant, & ſic generationem, & corruptionẽ.

HAEC enim viſa natura. } hæc verba dupliciter exponuntur. Alexander dicit hæc viſa natura, ſcilicet priuationis, ſoluit omnem dubitationem, & dicit de priuatione propter Platonẽ, quia ignorauit eam, vt dicetur infra alio modo. exponit Simplicius hæc enim viſa natura, ſcilicet dupliciter, priuationis, & materiæ, quia ex duplici diſtinctione ſua illa dubitatio vna ſoluebatur ex parte priuationis ſcilicet prima, quæ erat per ſe, & per accidens. alia ex parte materiæ, quæ eſt in potentia, & actu. dupliciter exponuntur iſta verba. Alexander exponit tantum de priuatione, quia ex quo Plato ignorauit priuationem, lapſus eſt in errorem. Simplicius vero exponit, & de priuatione & de materia, ſicut illa ſuperiora, & dicit, quòd imperfecte Plato tetigit naturam materiæ, quia Plato dicebat, ꝙ ens erat vnũ, & dicebat, quicquid generatur ex non ente ſimpliciter generatur: ideo nõ ponebat naturam priuationis; ſed ponebat negationem, quę eſt non ens ſimpliciter. priuatio autem non ens ſimpliciter; ſed ponit ſubiectum: dicit ergo Ariſt. in quantum conſenſit Parmenidi, qui ponebat ens eſſe vnum, & alia non erat entia ſimpliciter: ideo dicebat, quæ fiunt ex non ente, fiunt ſimpliciter: & ſic tollebat naturam priuationis. ſed Alexandro obijcit Simplicius quia dicit quomodo Plato non cognouit perfecte naturam primæ materiæ, & priuationis, cum in Timęo exactiſsime perſecutus eſt naturam primæ materiæ dicens, quod natura eſt informis, & ſuſceptiua omnium formarum. & Eudemus dicit, quòd Plato ponit has ternas diſtinctiones, quòd ens aliud eſt per ſe, aliud per accidens, quæ diſtinctio ſumitur à priuatione. poſuit aliam, quæ eſt ex actu, & potentia, quæ diſtinctio ſumitur ex materia, ꝙ dicit, quòd erat partim ens, partim non ens. quomodo ergo Plato ingnorauit naturam primæ materiæ? dicit Simplicius, reſpondens quòd etſi Plato perſecutus ſit naturam primæ materiæ in Timæo, in quantum tamen conſentit Parmenidi, quòd ens ſit vnum: debet tollere è medio priuationem, & per conſequens ignorare naturam primę materiæ. obijcit adhuc Simplicius, quia Plato in Sophiſta cõtradicit Parmenidi, qui ponebat ens eſſe vnum. quomodo ergo Ariſtoteles dicit, quòd Plato conſentit Parmenidi? dicit Simplicius, quòd Plato in Parmenide conſentit Parmenidi, & dicit, quòd ſententia Parmenidis habet profundum ſenſum, & ita ex hoc Ariſtoteles contradicit Platoni. ſecundo reprehendit Platonem, & dupliciter [illegible] Simplicius vero dicit, ꝙ hæc verba intelliguntur de priuatione, & prima materia, quia meminit de vtraque diſtinctione, quæ ſumuntur, vna ex materiam, alia ex priuatione. ad id, quod dicit Alexander ꝙ ex verbis ſequentibus contempſit priuationem, dicit, ꝙ non contempſit ſimpliciter, ſed quo ad hoc, quia non ſeiungebat materiam à priuatione, & non ponebat priuationem in numero principiorum. ſi exponamus ſecũdum Alexandrum, dicit, ꝙ reprehendendus eſt Plato, quia poſuit vnam numero naturam, & vnam potentiã. dicit Alexander, potentiæ materiæ ſunt multiplicabiles, aliter ſecundum Simplicium, quod in hoc reprehẽdendus eſt Plato, quia dicit, ꝙ materia eſt vna numero cum priuatione, & ratione eadem: ſed dicit Simplicius, Plato non dicit hoc, ſed bene dicit priuationem non eſſe principium, ſcilicet rei genitæ, ſicut nos etiam dicimus eſſe principium, tamen generationis: quia eſt terminus à quo, licet non ſit ens per ſe. Ariſtoteles modo vltimo vult oſtẽdere, quòd materia ſeiungatur à priuatione ratione dupliciter, tum quia materia eſt per ſe ens, priuatio non eſt per ſe ens, materia eſt proprie ſubſtantia, quia pars ſubſtantiæ: priuatio non eſt proprie ſubſtantia. differt in alio à Platone, ſcilicet in nomine materiæ: quia Plato appellauit materiam nomine magni, & parui. nos autem appellamus materiam tum ens, vt eſt capax omnis formæ, licet Plato vniuerſaliter intelligat nomine magni materiã, vel nomine parui, vel ex vtroque circumſcribit materiam. tertio differt a Platone, quia Plato ponebat tria principia, ſed duo ex parte materiæ, ſcilicet magnum, & paruum paruũ vnum ex parte formæ. Ariſtoteles autem oppoſitum dicebat, quia dicebat ex parte formæ ſunt duo principia, ſcilicet forma, & priuatio, ex parte materiæ vnum principipiũ ſcilicet materiam. & hucuſque pręceſſerunt antiqui ponẽtes vnum habitum. dixi, cur Plato appellauit primam materiam magnum, & paruũ, quia ex quo materia eſt inordinata: ideo aliquando determinatur ad paruum, aliquando ad magnũ: quia ſemper materia eſt in continuo motu: ideo, vt circumſcribunt, habet determinationem. appellauit materiam ſecundarij nomine.

LECTIO LXXII.

PERMANENS enim cũ forma. } Aſſignauit Ariſtoteles duplicem differentiã inter materiam & priuationem, in hoc reprehẽdens Platonem. hic vult tertiam differentiam aſsignare inter materiam, & priuationem. & dicit, materia per ſe eſt cauſa eſſendi, & immanet rei genitæ: at priuatio non eſt cauſa eſſendi, quia corrumpitur in aduentu formæ. quod autem priuatio nõ ſit cauſa eſſendi. dicit Ariſtoteles, patet, ſi inſpiciamus intellectum priuationis, videbimus ipſam eſſe quoddã maleficium. & dicit Ioannes. dixit priuationem maleficium, quia priuatio eſt cauſa corruptionis. priuatio enim, quia ducit ad non eſſe, vocatur maleficium, quia quod eſt rationem boni participiat, cum ergo priuatio ducat ad non eſſe, habet rationem maleficij. dubitat hic Simplicius, quia videtur aſcribere omnem malitiam priuationi, quia dicit eſt cauſa corruptionis. oppoſitũ dixit Ariſtoteles primo Metaphyſices, quia dicit, materia ſui potẽtia eſt cauſa corruptionis, & omnis malitię: ideo dicit, quę ſunt liberata à materia, nulla eſt malitia, & nullus error: ideo Auerroes re

eſt terminus à quo: quomodo ergo eſt cauſa corruptio-
nis,& omnis malitiæ, cum ſit cauſa generationis?de pri-
mo dicit Simplicius. ſi octauo Metaphyſices dixit, quòd
materia in potentia erat cauſa omnis malitiæ, dicit Simpli
cius, materia eſt in potentia ratione priuationis: ideo eſt
cauſa omnis malitię ratione priuationis:& ſic priuatio per
ſe eſt cauſa malitiæ. de ſecundo dico, ꝙ priuatio per acci-
dens eſt cauſa generationis, quia omni corruptioni anne-
ctitur generatio: ideo ex corruptione ſequitur generatio;
ſed priuatio eſt per accidens cauſa generationis, qui termi
nus mutationis non differt ab ipſa mutatione: vnde nihil
aliud eſt generatio, quàm forma generata: & corruptio, ꝗ
priuatio formæ, ideo per ſe priuatio eſt cauſa corruptio-
nis. dubitatur hic, quia dicit Ariſtoteles, ſicut mater cum
patre eſt cauſa prolis, ita materia cum forma eſt cauſa om
nium, quæ fiũt. dubitatur, quomodo materia cum forma
ſit cauſa omnium accidentium tam communium, quàm
particularium: & ratio dubitationis, quia potentia mere
paſsiua eſt ad contradictionem, ſi ergo compoſitum eſſet
in genere cauſæ materialis proprij accidentis: poſſet ergo
ſubiectum ſine propria paſsione eſſe. ſi vero ſit cauſa acci
dentium in genere cauſæ efficientis, & cum ſubiectum
compoſitum recipiat illa, ſimul concurret cauſa materia-
lis cum cauſa effectiua. oppoſitum dixit Ariſtoteles ſecũ-
do Phyſicorum: quomodo ergo verum eſt, ꝙ materia cũ
forma eſt cauſa omnium? Dico, ꝙ quæſtio aliena eſt à pro
poſito, quia Ariſtoteles per omnia, quę fiũt, intelligit om-
nia corpora naturalia: & non loquitur de accidentibus; ad
dubitationem tamen dico, ꝙ ſubiectum ſe habet ad acci-
dentia communia paſsiue, ita ad propriam paſsionem: &
habet eſſe paſsiue, quia ab eodem generatur homo & ri-
ſibilis, quia cauſa materialis, & efficiens non coincidunt,
ſecundo Phyſicorum. ꝙ autem dicit omnis potentia me-
re paſsiua eſt ad contradictionem: ſubiectum ergo erit ſi-
ne propria paſsione. Dico, ꝙ ſenſus Ariſtotelis eſt iſte, ꝙ
potentia mere paſsiua, quæ non determinet aliquem actũ
ſibi à natura, eſt ad contradictionem in propoſito, com-
poſitum nõ eſt potentia mere paſsiua, in reſpectu proprie
paſsionis, quia determinat ſibi accidens proprium. exem-
pli gratia, homo determinat riſibilem; ideo etſi ſit cauſa
potiſsima, propter hoc non ſequitur, ꝙ homo poſsit eſſe
ſine riſibilitate, quia ab eiſdem principijs effectiue depen
det homo, & ſua paſsio. Auerroes commento 79. digredi
tur hic, & determinat, quia etiam ꝙ habeat materiam pri
mam, vel tanquam partem, vel tanquam cauſam eius. il-
lud eſt generabile, & corruptibile, & ideo eſt, quia cũ ma-
teria prima ſit in formis, habet priuationem: & cum priua
tio ſit cauſa corruptionis, cum includat potentiam ad aliã
formam, illa potentia debet aliquando exire in actũ, quia
ſi non eſſet ocioſa, ideo debet corrumpi forma: quia, ſi nõ
corrumpatur illa forma, potentia eſſet fruſtra. non poteſt
induci alia forma, niſi illa corrumpatur: & infert corrella
rium, ex quo ſequitur, ꝙ cęlum caret materia prima, quia
caret generatione, & corruptione, quia caret cõtrario: vt
patet de accidentibus eius, quæ nõ habent contraria, quia
motui circulari nihil eſt contrarium, primo cœli Ariſto-
teles; ſed in eius dictis ſunt dubitationes. primo, vbi dicit
quod habet materiam tanquam partem, vel cauſam, eſt
corruptibile, quod de vniuerſo cum habeat partes, quæ ha
bent naturam: ideo erit corruptibile. dicatis, quod vniuer
ſum eſt corruptibile ratione partium, quæ habent mate-
riam: eſt tamen æternum reſpectu corporum cœleſtium.
vnde vniuerſum ratione ignis, qui eſt ignis corruptibilis,
quia non eſt idẽ numero ignis, qui erat ante, nec poſt erit
idem ignis numero, qui nunc eſt. ſemper enim corrumpi-
tur: & ita ratione iſtarum partium corruptibilium dici-
tur corruptibile ratione cœleſtium æternum. ſecundo du
bitatur, quia dicit, ꝙ in cœlo non eſt materia, videtur, ꝙ
in cœlo ſit materia, quia quod mouetur, habet materiam.
quia quod mouetur habet duplicem naturam, ſcilicet ma
teriam, & formam 7. Phyſicorum, cum ergo cœlum mo-
ueatur, habet ergo materiam. etiam eſt quãtus, quantitas
enim pręſupponit materiam. etiam cœlum. ſecundo cœli,
eſt animal, ſi ſic, ergo habet materiam, & formã. quid er
go dicit Auerroes? Dico, ꝙ reuera in cœlo eſt materia,
ſed non materia prima, quæ eſt cauſa corruptionis, quia
permixta eſt cum priuatione; ſed dicetis, qualis eſt mate-
ria, quę eſt in cœlo? triplex eſt modus dicendi Auicennæ,
& Scoti quarto ſententiarum, & Egidij. & dicunt, quòd
materia cœli eſt eiuſdem ſpeciei cum materia corrupti-
bilium, iuxta illud. in principio creauit Deus cœlum, &
terram, id eſt materia ex qua facta ſunt corpora cœleſtia,
& corruptibilia. ſi dicatis contra, quia, ſi materia ſit in cœ
lo, ergo corruptibilis, quia erit in potentia ad aliam for-
mam. eſt duplex modus reſpondendi. Egidius dicit, ꝙ illi
materię non eſt coniuncta priuatio: ideo non eſt in potẽ-
tia ad aliam formam, & hoc eſt propter nobilitatem eius
formæ: ideo non ſequitur, ꝙ cœlum ſit generabile: in no-
bis autem quia forma eſt imperfecta: ideo potentia eſt ad
alias formas. ſed iſte modus patitur difficultatem, quia il-
la materia eſt in potentia ad illas formas formaliter habẽ
das: ideo non contentatur, ſi illas tantum habeat virtuali-
ter; ſed appetitus eſt ad illas formaliter habendas: accipio
materiam lunę, cum eius forma non contineat formaliter
formam ſaturni, cum forma ſaturni ſit nobilior forma lu
nę: materia lunę erit in potentia ad formam ſaturni, & ſic,
ne potentia fruſtetur debet reduci aliquando in actũ; ſed
non poteſt exire in actum, niſi deponat formam lunæ; er-
go lunæ cœlum erit corruptibile. ideo aliter Scotus, quòd
cœlum eſt generabile, & corruptibile, ſed ſit perpetuum
ad omnia voluntate. ſed contra hoc ſunt rationes Ariſto-
telis primo cœli, quia omnis ſubſtantia generabilis, & cor
ruptibilis non poteſt perpetuari ab aliquo, quia fruſtrare-
tur potentia. Deus autem ſecundum philoſophos non po
teſt facere, ad violentum eſt: ideo aliter diuus Thomas, ꝙ
materia cœli, & iſtorum inferiorum ſunt eiuſdem gene-
ris: & accipit dictum Ariſtotelis, ſecundo de generatione
ſi quia dicit principia corporum cœleſtium, & corrupti-
bilium ſunt duo numero, & eiuſdem generis: & ſic dicit,
ꝙ illæ materiæ ſunt eiuſdem generis; ſed huic obſtat di-
ctum Ariſtotelis 10. 24. Metaphyſices, quia ęternum &
corruptibile differunt genere vniuoco: neceſſe ergo eſt, ꝙ
corpora corruptibilia, & ęterna differant genere vniuoco:
ergo & ſua principia debẽt differre genere vniuoco. ideo
aliter dixit Auerroes, ꝙ illa materia cœli non eſt eiuſdem
generis vniuoci, nec ſpeciei: ideo Auerroes appellat mate
riam inferiorum potentia, quia eſt in potẽtia ad formam:
illa cœli dicitur materia in actu, non ꝙ ſit in actu reuera,
quia illa non includit formam; ſed dicitur in actu negati-
ue, id eſt non in potentia: ideo Themiſtius primo Phyſi-
corum dicit, ꝙ rectius materia, cœli debet appellari ſubie-
ctum, & non materia, quia materia dicit potentiã ad alias
formas. ſubiectum vero dicit tantum reſpectu formæ ha
bitæ: ideo dico cum Ariſtotele 8. Metaphyſices, ꝙ illæ ma
teriæ non ſunt eiſdem rationis; ſed dicetis actus, eiuſdem
ſpeciei requirunt potentiam eiuſdem rationis: ſed quanti
tates cœli, & iſtorum inferiorum ſunt eiuſdem rationis:
ergo habent potentiam eandẽ, & ſic materiam eandem.

Dico, ꝙ actus eiuſdē ſpeciei requirunt eādem potentiam, verum eſt;ſed quantitas cœli,& iſtorū inferiorum eſt eadem. Dico, ꝙ quantitas dupliciter conſiderari poteſt mathematice, & ſic eadem eſt,ſecundum definitionem, mathematicus enim abſtrahit à materia. poteſt conſiderari illa quantitas naturaliter,& ſic non eſt eiuſdē ſpeciei,quia quantitas cœli definitur per corpus cœleſte:quantitas inferiorum per ſua corpora, & ſic negatur, ꝙ illæ quantitates ſint eiuſdem ſpeciei. an autem materiæ cœleſtium corporum ſint eiuſdem rationis, ex vna parte videtur, ꝙ ſic, quia accidentia in omnibus corporibus cœleſtibus ſunt eiuſdem rationis,quia eadē figura cæleſtis eſt in omnibus cœleſtibus, & ita motus corporis,& lux. Dico,ꝙ ſunt diuerſæ rationis.& ratio;quia ſi ſunt eiuſdem ſpeciei, corpora cœleſtia eſſent corruptibilia,quia ſi materię eſſent eiuſdem rationis, haberent ergo eaſdem potentias,quia ſicut in iſtis inferioribus materia aquæ, & ignis, ex quo ſicut eiuſdē rationis, habent eaſdem potentias: ſi ergo materia lunæ,& ſaturni eſſent eiusdem rationis, materia lunæ haberet eandem potentiā, quia habet materia ſaturni, & cū illa ſaturni ſit ad formam ſuam,ergo & potentia lunæ habebit potentiā ad formam Saturni, & cum nulla potentia poſſit fruſtari, neceſſe erit, ꝙ cœlum corrumpatur aliquādo,& ſic non erit idem motus circularis ſpecie,qui eſt in Luna, & Saturno,& Ioue: ita nec eadem figura,nec eadē lux,immo talia accidentia ſunt differentia ſpecie,ſicut homo ab aſino & ſic includitur,ꝙ materia corporū cœleſtiū non eſt eadē ſpecie vniuoca,immo differt ſpecie; eſt tamē eiuſdē ſpeciei analogice, vt dixit Auerroes ſecundo cœli.

LECTIO LXXIII.

EXISTENT enim quodā diuino.} hic textus varias recipit expoſitiones. Themiſtius dicit,ꝙ vult ſoluere,cur materia cōtinuo tranſmutatur de forma in formam, cum materia in ſui natura ſit informis, & ita inquit, quòd ita perpetuo trāſmutatur de forma in formā,quia forma eſt perfectio materię.aliter exponit Auerroes, ꝙ Ariſtoteles vult demonſtrare, ꝙ priuatio debet enumerari inter principia rerum naturalium, quia Plato non enumerauit:& probat, ꝙ priuatio ſit principiū, quia dicit materia non eſt principium, niſi per priuationē, ergo priuatio eſt magis principium, quia propter quod vnūquodque tale, ſcilicet ꝙ materia non ſit principium, niſi ratione priuationis,probat, quia materia non eſſet principium, niſi tranſmutaretur de forma in formā, non ſic trāſmutatur, niſi vt acquirat eſſe aptum, & perfectū, propter quod omnia agunt:non acquirit oppoſitū, niſi habeat appetitum ad formam, & eam acquirere: & cum appetitus ſit rei abſentis,ſequitur aptatio ad vltimum,ꝙ materia nō eſſet principium,niſi priuatio eſſet. Ioānes Grammaticus, & Simplicius aliter,& melius dicunt, quia Ariſtoteles po ſuit ... differentiam inter priuationem, & materiam, hic

tes:adhuc viri ex naturali temperamento ſunt calidiores, & maximè quoad temperaturā cordis, ideo dixit Galenus,ꝙ natura fecit vaſa,& organa generationis in viro ad extra, in muliere intra, quia, ex quo ſunt frigidiores, non poſſunt recte concoquere: ideo generatur multa ſuperfluitas ſanguinis,quę intus ſuſcipitur,deinde expurgatur: vnde diſtinctio maris eſt ex membro principali. ſecundario ex organo generationis: & ita turpe appetit eſſe pulchrū, & dicit Ariſtoteles, ꝙ femina non appetit eſſe marem per ſe,ſed per acidens, quia nihil appetit deſtructionē ſuimet: ideo femina non appetit marem,quia appeteret ſui deſtructionem;ſed per accidens appetit, vt eſt perfectior eius.& ſenſus huius,quòd femina appetat marem,eſt,ꝙ ſubiectū quod ſubijcitur formæ, appetit ſubijci maris formæ non ratione,qua ſubijcitur feminę, ſed ratione ſubiecti ſui,vt priuatus forma maris, & ſic turpe appetit eſſe pulchrum, id eſt ſubiectum,cui accidit turpitudo appetit ſubijci pulchritudini: dixit Ariſtoteles, ꝙ materia appetit formam, ceu quoddam diuinum, quia à Deo eſt tanquam ab actu puro,quia forma principaliter eſt ab actu primo, licet etſi ab agente particulari:appellatur bonū, quia ipſe eſt cauſa eſſendi, & generationis rei, & dixit appetibili, quia ex ratione boni requiritur ipſam appetibilem eſſe, quia bonum eſt, quod omnia appetunt,quia hęc verba videbantur conuenire primæ ſubſtantiæ, & primo bono, vt dixit 10. Ethicorum,ideo dixit, aliud autem eſt contrarium,vt illa verba intelligantur de forma materiali,& non de primo bono. quibuſdam accidit contrarium, retorquet ſermonem contra Platonem,quia ſi priuatio non diſtinguatur à materia: ſicut ergo materia per ſe appetit formam, ita & priuatio appetit,& ſic contrarium appetit contrariū, & ſic ſui deſtructionem, quod eſt abſurdum:ideo priuatio ſequitur à materia aduertit Ariſtoteles ex hac ratione quòd nedum diſtingnitur materia à priuatione,ſed etiam materia à forma,quia dicit, materia per ſe appetit formā: forma autem nō appetit ſeipſam, quia appetitus eſt rei abſentis,amor præſentis:ideo nihil ſe appetit,quia ſeipſo nō indiget:ideo forma non ſe appetit;ideo diſtinguitur à materia. Auerroes in commento exponens verba Ariſtotelis,quia dixit,ꝙ materia per ſe appetit formam,ita femina marē. Auerroes declarat, quomodo materia appetat formam,& dicit, ꝙ duplex eſt appetitus naturalis, & animalis, naturalis eſt ſine cognitione, & eſt rei naturalis quædam inclinatio ad aliquid conſequendum,& talis inclinatio non eſt niſi res ipſa, vnde naturalis inclinatio non diſtinguitur ab eo,cuius eſt naturalis appetitus, vt deorſum tendere eſt naturalis appetitus grauitatis, & eſt ipſa grauitas. Auerroes dicit, quidem eſt appetitus naturalis, quidā cum ſenſu,ſed quid de appetitu rationali? quia non eſt naturalis,nec ſenſitiuus. etiam quid de appetitu ſubſtantiarum abſtractarum,quia in ipſis eſt appetitus, quia cognitio: ideo Auerroes non comprehēdit omnem appetitum. Dico, ꝙ Auerroes comprehēdit appetitum hominis ſub ſenſu, quia intellectus hominis non intelligit ſine ſenſu:

in illis non eſt voluntas, nec error: & ita dixit Ariſtoteles in libello de libero arbitrio, quia dicit, in cuius potẽtia eſt bene agere, eſt etiam male agere: ideo cum in diuinis non poſsit eſſe malum, nec erit recte agere. vnde laus competit homini, non diuinis qnia laus debetur recte agenti, cum autem diuina non recte agant: ideo eis non debetur laus. recte enim agere non ſumitur ex ipſa re, ſed ex facultate ipſa. quia illud dicitur recte factum, quod pendet ex libertate, & libertas non eſt in diuinis, qnia in eis nõ eſt diſcurſus. ideo ſecundũ Ariſto. ſolus homo habet libertatem: & ratio eſt, quia intellectus hominis eſt indifferens ad hoc faciendum, & non faciendũ: ideo cum potentia ſubſtantię ſupremę ſint ſine actu intellectus non potentia, vt noſter vnico actu intelligunt ſine diſcurſu, & ſunt determinatæ: ideo libertas non eſt in illis; ſed his eſt triplex dubitatio. primo, quia dicit, ꝙ materia per ſe appetit formam: deinde dicit, ꝙ materia appetit formam per accidens, quia ratione priuationis, priuatio antem accidit materiæ: quia dicit, materia appetit cauſa indigentiæ: indigentia non eſt niſi cauſa priuationis. Dico ſi conſideratur, vt priuatio, accidit materiæ, ſic per accidens materia appetit formã. appetit vero per ſe formã, quia priuatio ſequitur materiam, tanquam ſecundum prædicatũ ſecundi, quia ex ſui natura eſt expers omni forma: ideo per ſe appetit formã ratione priuationis. in ſecundo modo dicendi, non in primo eſt alia dubitatio, diuus Thomas ex Auicena, quia Ariſtoteles dicit, ꝙ materia appetit formam, & inquit, videtur, ꝙ non ſit appetitus, quia non naturalis, quia omnis naturalis inclinatio eſt à forma: ergo materia non appetit formã naturali appetitu: nec autem poteſt eſſe ſenſitiuus, quia materia caret ſenſu: etiã appetit formã, vel quia forma, quã habet, faſtidit; vel quia appetit duas formas ſimul. non enim poteſt appetere formã, quia aliam faſtidiat, quia faſtidiũ eſt cum cognitione. nulla autem cognitio eſt in materia: nec potes appetere duas, qnia impoſsibile eſt, ꝙ duæ formæ ſint in eodem ſubiecto: appetitus antem naturalis non eſt ad impoſsibile, immo rectus eſt ſecundũ Ariſtotelem. tertio, quia Ariſtoteles vtitur metaphora, quia dicit, ſicut ſemina appetit marẽ. nõ licet autem philoſopho naturali vti metaphora. De primo, cum dicis, omnis naturalis inclinatio ſequitur formam, falſum eſt, quia eſt inclinatio naturalis, quæ ſequitur materiam. De ſecundo dico, ꝙ neutro modo appetit formam, ſed appetit formam abſentem tanquam ſui perfectionem, quia ex quo eſt in potentia ad formam, ideo appetit formã tanquam ſui perfectionem, non ꝙ habeat faſtidio formam, quam habet. Cum dicis, nõ licet vti metaphora. dico, ꝙ cum res, quæ tractatur difficilis eſt, licet aliquando gratia maioris intellectus. ſicut facit etiam Ariſtoteles de intellectu potẽtia aſsimilans eum tabulæ pictori, in qua nihil eſt pictũ. Tertia dubitatio, quia dicit, ꝙ priuatio eſt cauſa materiæ, cur appetat formam. contra, quia nullum contrarium appetit ſui contrarium, quomodo poteſt eſſe ratio alteri, ꝙ appetat formam, quæ eſt ſui contraria? ſecundo, quia hæc portio materiæ priuatur; forma ergo appetit ipſam, & ita iſte appetitus naturalis erit ad impoſsibile: appetit formam corruptam, quæ non poteſt reuerti, cum dicis, ſicut contrarium non appetit ſui contrarium, verum eſt; ergo non poteſt eſſe ratio alteri, ꝙ contrarium ſui appetat. Dico, ꝙ verum eſt hoc de contrarijs poſitiuis, non autem de priuatiuis. & ita priuatio poteſt eſſe cauſa materiæ, ꝙ ipſa appetat formam. vel dicatis, ſecundo, ꝙ priuatio eſt cauſa per accidens, ꝙ materia appetat formam, quia priuatio accidit materiæ. de ſecundo dico, ꝙ priuatio non eſt cauſa totalis appetitus, quia ſi eſſet totalis, cauſa appeteret formam corruptã, quod eſt impoſſibile: ſed totalis cauſa eſt ipſa priuatio cum potẽtia ad formam: & quia corrumpitur, talis potentia non poteſt reuerti: ideo non remanet appetitus; etſi remaneat eadem priuatio materiæ. vltima dubitatio, quia dicit femina appetit eſſe marem, ſed hoc eſt impoſsibile, ꝙ femina, ſit mas. Dico, vt Ariſtoteles, ꝙ femina, qua femina per accidens, appetit eſſe marẽ, quatenus eſt homo. & caret ſexu maſculino, appetit eſſe marẽ: & hoc non eſt impoſsibile, ꝙ femina qua homo efficiatur mas, licet, qua femina ſit impoſsibile. vel dicatis, ꝙ femina per accidens appetat eſſe marem, in quantum appetit perfectionem.

LECTIO LXXIIII.

CORRVMPITVR antẽ & cetera. assignauit Ariſtoteles multas differentias inter priuationem, & habitum: his ſubdit quintam differãtiam inter priuationem, & materiam, cito longo ſermone perſequerentur Platonem: & ponens differentiam dicit, priuatio per ſe corrumpitur, materia nõ per ſe corrumpitur, nec per ſe generatur: ſed corrumpitur per accidens ratione priuationis, vt priuatio accidit ei, quæ per ſe corrumpitur, ſicut corrumpitur amphora, vini per accidens, quia corrũpitur vinum: ideo materia ſeiungitur à priuatione. minorem probat, quod materia non corrumpitur, nec generatur: & ad hoc accipit ſcilicet ſuppoſitionem, quæ ad tertias poſſunt reduci. prima eſt, omne quod generatur per ſe, ex aliquo primo ſubiecto generatur: & omne quod corrumpitur, in illud primum ſubiectũ corrumpitur. ſecunda ſuppoſitio eſt, omne, quod generatur per ſe, dum generatur, non eſt ratione, quod corrumpitur, dum corrumpitur, nõ eſt: & hæc ſuppoſitio partim vera, partim falſa eſt. verra eſt ſi accipiatur generatio, quod alteratione præcedenti: ſic omne, quod generatur, dũ generatur pro alteratione præcedenti non eſt, ſi accipiatur generatio pro ſubita mutatione, ſic quod generatur, dum generatur, eſt, vt dixit Ariſtoteles quinto Phyſicorũ. tertia ſuppoſitio eſt definitio primę materię, & dixit, materia prima eſt ſubiectũ primum, cuiuslibet formæ, ex quo fit aliquid cũ inſit, dixit ſubiectũ primũ, quia duplex eſt materia prima cũ qualitatibus diſpoſitis. Auerroes dicit, ꝙ materia ſecunda ſunt elementa, retracta tamen, ſed dixi, ꝙ opinio Auerrois nõ erat vera, dixit, cuiuslibet formæ ſcilicet generabilis, & corruptibilis, quia formæ æternæ non fundantur in materia, & dixit, ex quo fit aliquid cum inſit, dixit Alexander, ponitur ad excludendam prinationem, & accidentia communia, quia ex priuatione fit res, ſed per accidens. ex accidentibus communibus non fiunt res, & ſi rebus inſint: ideo dixit ex quo fit aliquid, cum inſit, non ſecundum accidens. & dicit Simplicius, quòd hæ tres ſuppoſitiones habent veritatem. ex illa ſuppoſitione nihil generatur ex non ente ſimpliciter, nihil corrumpitur in nõ ens ſimpliciter. ex his dignitatibus oſtendit, ꝙ materia ſit æterna, quia ſi ipſa generatur ex prima ſuppoſitione, ex aliquo primo ſubiecto generatur, ſed ipſa eſt primum ſubiectum; ergo ipſa eſt antequam ſit, ſi generatur, quia quod generatur nõ eſt eadẽ ratione: demonſtratur, ꝙ materia prima per ſe non corrũpitur, quia quod corrũpitur in aliquo primo ſubiecto corrumpitur, ſed ipſa eſt ipſum primum ſubiectum, & corrumpitur: ergo erit prius corrupta, quàm corrũpatur: ſed hoc eſt impoſsibile, relinquitur ergo ꝙ materia per ſe ſit incorruptibilis, & ingenerabilis. ſed hic ſunt multæ dubitatione;

tationes: prima eſt in maiori propoſitione, quia dicit, priuatio per ſe corrumpitur. contra, nõ ens non corrũpitur, priuatio eſt nõ ens: quomodo corrũpitur, quia corruptio eſt trãſitus de eſſe ad non eſſe? ſecunda dicit, ꝙ materia generatur ratione priuationis, cum priuatio non poſsit generari, cũ ſit non ens: ideo melius dixiſſet, quod materia corrumpitur ratione formæ corruptæ, & generatur ratione formæ aduenientis. tertia, cur non magis dicit corrumpitur ratione potentiæ, quàm ratione priuationis, quia ſicut priuatio corrũpitur, aduentante forma, ita potentia etiam corrumpitur, & tamen potentia eſt ens, priuatio non ens. quarta dubitatio, quia hic portio materiæ genitæ & corruptæ eſt æterna ſecundum numerũ, vel ſpeciem, vel genus. ſi ſecundũ ſpeciẽ, & genus eſt æterna, ſic priuatio eſt ęterna ſecundum ſpeciẽ: ſi ſit æterna vna numero, ergo perfectior erit, q̃ forma, quia forma vna numero eſt corruptibilis: ſi materia eſt incorruptibilis vna numero, & incorruptibile eſt nobilius corruptibili; ergo materia erit nobilior forma. oppoſitum dixit Ariſtoteles ſeptimo Metaphyſices, & duo eſſent prima principia in natura. oppoſitum dixit Ariſtoteles 12. Metaphyſices, ꝙ entia nolunt male diſponi: ideo vnus princeps, quod eſſent duo prima principia, deducitur, quia ſi materia prima ſit æterna, ita & prima forma: erunt ergo duo prima æterna: & ſic duo prima principia contra totam rationẽ. tertia dubitatio, quia Ariſtoteles non eſt vſus ratione Platonis, quia ille probat materiam eſſe æternã, quia dicit in omni genere ſunt tria, ꝙ generatur, & eſt forma, in quo recipitur generatio, & eſt materia, & examplar idea ipſa. cũ ergo materia ſit in quo ſuſcipitur generatio: ſi generaretur, eſſet antequam eſſet: & Ariſtoteles non probat, quòd ſit ingenerabilis ſimpliciter; ſed tãtum probat, ꝙ ſit ingenerabilis ſecundũ motum: non autem probat, ꝙ non fuerit creata, quia Deus creauit illam ex nihilo. ratio autem Ariſtotelis probat tantum, ꝙ ſit ingenita ſecuduum mutationẽ: non autem ꝙ ſit ingenita ſimpliciter. de primo dico, ꝙ priuatio reuera proprie non corrũpitur, ſed improprie, ſcilicet quo ad denominationem, quia modo denominat materiã, modo non: & ſic priuatio per ſe corrumpitur quantum ad denominationẽ. de ſecundo dico, ꝙ Ariſtoteles non dixit materiam generari ratione priuationis, ſed ratione formæ, & corrumpi ratione priuationis potius q̃ ratione potentiæ. dicit Simplicius, ſi materia debet dici, corrumpi, & generari per accidens, debet dici per aliquid, quod corrumpatur, & accidat ei, & ſic cum priuatio accidit ei, dicitur corrumpi ratione priuationis, non autem ratione formæ, quia forma non accidit materiæ, quia de natura ſubſtantię non eſt eſſe in ſubiecto. & ſi dicatis, quòd forma inſit ſubiecto improprie intelligitur, quia in eſt ſubiecto tanquam perficiens ipſum ideo dixit, materia per accidens corrumpitur ratione priuationis, quia priuatio eſt accidens ipſi materiæ. de quarto dicit Auerroes, ꝙ Ariſtoteles non dixit ratione potẽtiæ, quia potentia non corrumpitur reuera, ſed dices ita priuatio non corrumpitur per ſe, ſi dicas corrũpitur ſecun-ciens hanc generationem dixit, ꝙ materia corrumpitur per accidens ratione priuationis, & non dixit ratione potentiæ, quia potentia non ingreditur generationẽ, quia nõ eſt terminus à quo, nec terminus ad quẽ. ex quo autem priuatio eſt terminus à quo ipſius gñerationis: ideo dixit Ariſtoteles corrũpitur materia ratione priuationis reſpiciens generationem, & non dixit potentiæ. de alio dicit Simplicius, ꝙ hæc portio materiæ, vt vna non eſt generabilis, & corruptibilis, quia, inquit, non eſt vna numero, niſi per accidentia ſingularia: & quia accidentia corrumpũtur: ideo materia vna numero corrumpitur: ideo non ſequitur, ꝙ materia ſit nobilior forma. ſed quod dicit Simplicius non eſt verum, quia Ariſtoteles primo de generatione dixit, ꝙ eadem eſt portio materiæ geniti, & corrupti, & non tamẽ ſemper ſunt eadem accidẽtia geniti, & corrupti. vt ſi aqua tranſeat in ignem, corrumpuntur accidentia aquæ, & tamen remanet eadem portio materiæ, & non eadem accidentia etiam accidentia omnia ſunt ſingularia, & requirũt ſubiectum particulare. antequam ergo accidentia ſingularia ſint, eſt materia, materia debet eſſe ſingularis & vna numero, ergo etiam ſtat ratio, quia ſi portio materiæ eſt æterna ſecundum ſpeciẽ, ita eſt de priuatione, quæ eſt ęterna ſecundum ſpeciem, & nulla eſſet differentia inter materiam, & priuationem: ideo dico, ꝙ duplex eſt vnitas naturalis vna actu, alia potẽtia. materia eſt vna actu à ſua forma, quia habet eſſe actu à forma. eſt vnitas naturalis potẽtia, & ſic materia eſt vna numero, potentia ex ſua natura, & ſic non omnis vnitas naturalis eſt à forma; ſed etiam à materia, quia ſicut res eſt, ita vna eſt, quia ens & vnum cõuertuntur quinto Metaphyſices, & ſic eadem portio materiæ remanet in genito, & corrupto. vnde materia ignis ſit materia aquæ, & eſt eadem potentia, & æterna: & quę libet portio materiæ eſt æterna, quia eadẽ eſt ratio de vna parte, & de alia: ideo ſemper fuerunt eędem portiones materię, & erunt. ideo dico, ꝙ materia eſt æterna, & ſecundũ numerum, & ſecundum ſpeciem. ad argumentum, cum dicis, ſequeretur, ꝙ portio materiæ eſſet perfectior forma, quia eſt æterna, forma vero corruptibilis. Dico, ꝙ ſi cõſideretur materia, vt æterna, forma vt corruptibilis, ſic materia eſt nobilior. ſimpliciter tamẽ forma eſt nobilior materia, quia forma dicit actus, omnis perfectio ſumitur ab actu, quia perfectiones penes ſuum gradum, & non penes receſſum à gradu, vt ſingunt Calculiſtæ, & cum ſuum ens ſit purus actus, ens ergo quanto magis participabit actu, tãto erit perfectius, & ſic forma ſimpliciter erit perfectior materia. exemplum ignis, vt agit in hominem, eſt perfectior homine; ſimpliciter tamen homo eſt perfectior: & ſic muſca eſt perfectior cœlo, vt dicit Auguſtinus ſecluſa intellectiua, quia muſca eſt animata: cœlum inanimatum. animatũ autem eſt nobilius inanimato, tamen muſca eſt corruptibilis: cœlũ: incorruptibile. de alio, quia ſi duo erũt principia prima dicit Simplicius, eſto, ꝙ ambo ſint æterna, tamẽ nõ ſequitur ꝙ duo ſint prima principia, quia materia dependet à primo opifice in genere cauſæ finis: ideo

nionis, ꝙ multa eſſent improducta, vt omnes ſubſtantiæ abſtractę, anima intellectiua, & materia prima. ſi dicas ex quo ergo ſunt æterna. Dico, ex ſui natura, & propria non ſequitur, quòd ſint plura principia, ſed tantum eſt vnum, à quo alia dependent in genere cauſæ finalis efficientis, non efficientis proprie, ſed efficientis, id eſt conſeruantis: & ſic, etſi plura ſunt æterna; tamen non ſunt plura principia, De tertio dico, quòd non accipit rationem Platonis, quia Ariſtoteles non expreſſit illam demonſtrationem, eo ꝙ non poſuit cauſam exemplarem: ideo primo Poſter. dicit, valeant ideæ Platonis; ſed dicam ſecundo huius an notiones ſint in mente diuina ſecundum Ariſtotelem. Ad aliud, quòd Ariſtoteles non probat ſimpliciter, ꝙ materia ſit ingenerabilis, quia non probat, quæ fiunt creata. Dico, quòd Ariſtoteles non poſuit aliam generationē, quàm illam permutationem. negauit enim priuationē, quia non ſubijcitur ſenſui. principia autem naturalia fundantur in ſenſu, vnde, ꝙ cœlum fuerit creatum, nullus ſenſus demōſtrat. & ſi daretur talis creatio, diminutus eſſet Ariſtoteles quinto Phyſicorum, cum meminerit de generatione, & non de creatione: ideo dico, ꝙ Ariſtoteles probauit materiam eſſe generabilē ſimpliciter, quia nullū alium modū generationis poſuit, quàm ille qui eſt per mutationē.

LECTIO LXXV.

DE PRINCIPIO autem ſecundū ſpeciem.} Demonſtrauit hucuſque Ariſtoteles tria eſſe principia naturalium corruptibilium: & quia de priuatione exacte locutus eſt dicens, quòd eſt non ens, & quòd diſtinguitur à materia. & etiam exacte de materia prima dicens, quòd eſt ſubiectum commune ex quo fit aliquid, cum inſit, & quòd ſunt ingenita, & vna numero: per conſequens debebat tractare de alio principio, quod eſt forma: & quia forma duplex, vna abſtracta, alia corruptibilis de abſtracta tractare non eſt ſermo naturalis philoſophi, ſed metaphyſici quærere, an ſit vna, an plures, an æterna, vel non: & declarauit 12. Metaphyſices ꝙ ex æternitate motus motor eſt abſtractus, qui dixit, tempus eſt æternū, ergo motus ęternus: ergo & motor; ſi æternus, ergo intelligit, ſeipſum vnico actu ſine compoſitione, & diuiſione. deinde quærit an ſit vera talis forma abſtracta, vel plures. & dicit, ꝙ ſunt plures, ſecundum quod multiplicata ſunt corpora cœleſtia: numerus corporum cœleſtium ſumitur à motu: & hoc ſumit philoſophus à metaphyſico, & tum vna ſubſtantia abſtracta ſimpliciter, quia entia nolunt male diſponi, ergo. De iſto ergo principio formali non eſt naturalis philoſophi diſſerere. eſt alia & eſt forma cōiuncta, materiæ, de qua dicit philoſophus. dicemus ſecūdo huius, & tripliciter dicet de ea. primo, cum definit naturam, quæ eſt principium motus. per naturam intelligit etiam formā ſecundo, tractat de tali forma, cum dixit, forma coniuncta materiæ. etſi re non ſeparetur à materia, ratione tamen ſeparatur. tertio, habet ſermonem de forma, cum diſtinguit genera cauſarum in quatuor, cum declarat formalem cauſam: deinde facit epilogum. dicens, dictum eſt quæ ſint principia, & ꝙ non ſint: deinde continuat hunc primum librum, an ſecundum, dicens, rurſus alio ſumpto primo dicamus. ſed hic eſt dubitatio ex Simplicio, ꝙ illa verba de principio ſecundū ſpeciem, nedū intelligenda de forma abſtracta à materia, ſed etiam de coniuncta materię, & ſic cum forma coniuncta materiæ ſint primum principium, ea declarare ęrit metaphyſici, quia metaphyſicus declarat principia omnium ſcientiarū, & hic forma coniuncta materiæ, vt principium eſt metaphyſici. vt vero obnoxia corruptioni eſt philoſophi naturalis cōſideratio. ſecundo, dubitat Simplicius, quia quærit an illud primū principium metaphyſici ſit cauſa efficiens ceterorum, vel nō. & illud primum ſecundū ſpeciem intellexit totum genus ſubſtantiarum abſtractarū, non tamen illud primum principium ſimpliciter. tertio, dubitatio Simplicij, quia Ariſtoteles dixit, declarauimus quot ſint principia, hoc eſt falſum, quia ea ſuppoſuit eſſe. quomodo ergo demonſtrauit ea? hoc enim eſt munus metaphyſici: ideo dixit Simplicius, quòd principia materiam eſſe declarare eſt munus metaphyſici. de primo dicit Simplicius; ꝙ poſſunt illa verba exponi reuera de vtraque forma, vt diximus; ſed quod dicit Simplicius non eſt verum, quia forma coniuncta materiæ, vt principiū rerum corruptibiliū, pertinet ad philoſophum naturalem, quia non eſt alia via ad probandū principia eſſe tria, niſi per generationem, ſed generatio eſt conſiderationis philoſophi naturalis: ergo declarare formam coniunctam materię eſſe principium primū eſt philoſophi naturalis. ꝙ autem generatio ſit via ad probandum tria principia, declaratur, quia fiat aer ex aqua. hic cum generatur aer, de nouo acquirit formam: ideo forma eſt principium rei naturalis. & quia corruptio eſt à contrario: ideo priuatio in ſubiecto. & quia contrarium non agit niſi in ſubiectum: ideo oportet, ꝙ ſit principium, ꝙ ſit ſubiectū principiorum contrariorum, ſcilicet formæ, & priuationis, & ſic forma coniuncta materiæ, vt principium eſt naturalis philoſophi. ad ſecundum, an tale principium efficiens, vt cauſa cæterorum. Simplicius dicit, ꝙ ſic, & dicit, quòd ex Alexādro, ſed, vt dixi heri, ſic daretur creatio, quia ex aliquo nō poſſunt fieri, quia ante materia eſſet materia: ideo dico, ꝙ multa ſunt improducta apud Ariſtotelem, vt intelligentiæ: materia prima, & anima intellectiua, & non ſequitur, quod principium non ſit vnum, quia eſt vnū principium, à quo alia dependent in genere cauſæ finalis & efficientis, conſeruantis: non autem efficientis ſimpliciter, vt dicit Simplicius. de tertio dicit Simplicius cōcedendo, ꝙ Ariſtoteles ſuppoſuit, ꝙ principia ſint contraria: quomodo ergo dicit? hic quod demonſtrauit: etiam quia nulla eſt alia via ad declarandum tria principia eſſe, quàm generatio: ergo hoc non eſt munus metaphyſici, ſed philoſophi naturalis. ideo dico, ꝙ eadem demonſtratione, qua demōſtrauit quot ſint principia, eadē demonſtrat principia naturalia eſſe, quia non eſt alia via, quàm generatio ad probandum principia eſſe, vt dixi. Auerroes hic facit digreſſionem, & dicit, conſideratio formæ ſeparatæ poteſt eſſe duplex vel quoad quid eſt, vel quoad ſi eſt, & inquit conſiderando formam abſtractam, quo ad quid eſt, eſt metaphyſici. quoad ſi eſt, eſt naturalis philoſophi. & ex hoc inquit Auerroes, quòd Auicenna errauit, quia dicebat ille, ꝙ hæc quæſtio an ſit forma abſtractæ. etſi ſoluatur à philoſopho, poteſt tamē ſolui à metaphyſico. & Auicenna adducit rationem, & Auerroes inquit, ſcientia præſupponit de ſubiecto, quia eſt quid eſt, quia eſt, id eſt exiſtētię: quia exiſtentium eſt tantum ſcientia, non exiſtentium autem, niſi habetur ſcientia, niſi ex ſuppoſitione quicquid dicant alij, quia dicunt, ꝙ de ſubiecto præſupponitur, quia eſt, id eſt exiſtentia; ſed exiſtentia ab eſſentia non differt re, ſed ſubſtātia abſtracta eſt ſubiectum metaphyſici. de ea enim 12. Metaphyſices habetur longus ſermo, ergo ſubſtantia abſtracta non poteſt probari eſſe à metaphyſica: & dicit ꝙ rationes, quas adducit Auicenna, non tranſeunt ordinē probabilem: & eas hic non adduxit, quia alibi adducit, ſed

vbi

vbi aliqui dicunt, quod in de ſubſtantia orbis & 8.Phyſicorum;ſed hoc non eſt verum, quia de hoc ibi non habetur verbum:ideo alibi, ſcilicet in deſtructionibus deſtructionum diſputatione quinta, dubio quarto contra Algazelem, & appellatur deſtructio deſtructionum, quia Algazeles deſtruxit principia naturalia, & ipſe deſtruxit opinionem Algazelis. Dicit ſecundo, ꝙ adhuc magis errauit Auicenna,quia dicit,ꝙ metaphyſicus probat materiã primam eſſe, & compoſitum naturale ex materia, & forma: ſed hoc eſt falſum,quia nulla eſt alia via, ꝙ̃ motus ad probandam materiam,& compoſitum: ideo via motus demõſtrauit duplicem naturam in cœlo, quia cœlum mouetur: ideo ab aliquo mouetur. niſi enim ſeipſum mouet, vt demonſtrauit ſeptimo & octauo Phyſicorum : ideo errauit quod materia poteſt probari eſſe à metaphyſico,& ita cõpoſitum naturale:& dicit contra Auicennam,quia inquit, ſi à philoſopho naturali non probatur ſubſtantias abſtractas eſſe,ſed à metaphyſico tantũ,duæ eſſent ſcientię;ſexto tamẽ Metaphyſices in principio dixit,ꝙ ſunt tres:quia ſi à metaphyſico probaretur ſubſtãtias abſtractas eſſe, cũ non ſit alia via:qua via motus includeret, ergo motu metaphyſices, & ſic naturalis phyloſophia eſſet fruſtra, quia tantũ conſiderat ea,quæ mouentur. ſed hic eſt triplex dubitio, quia dicit,tantum philoſophus naturalis probat materiam eſſe, non autem metaphyſicus loquitur hic de materia prima, hoc nõ videtur verũ,quia omnis demonſtratio eſt ex natura prioribus primo poſter. ſed prima materia nihil eſt prius in genere cauſæ materialis,ergo neceſſe eſt, ꝙ demonſtratio huius ſit altioris ſcientiæ. etiam in ſecundo Metaphyſices probat, ꝙ in omni genere cauſæ datur ſtatus, ſi in genere cauſæ materialis datur ſtatus,ergo eſt materia prima,quia datur ſtatus: etiam ita ſe habet ſcientia naturalis circa materiam,ſicut artifex circa materiam artificialem:ſed nulla ars eſt circa omnia artificialia, ergo nulla ſcientia eſt circa omnem materiam : ergo ſicut nulla ars probat materiam omnium artificialium,ita ſcientia animalis non poterit probare materiam eſſe.De primo dico,ꝙ demonſtrat primam materiam eſſe demonſtratione,quia,id eſt per effectus,quia ex tranſmutatione.De ſecundo dico,ꝙ metaphyſicus probat materiam primã eſſe in ſecundo Metaphyſices. verum eſt, ſed probat demonſtratione naturali,quia probat generatione,quæ eſt via naturalis.De tertio dico negãdo argumentum, ꝙ non datur vna ars communis : ideo nulla ars poteſt probare materiã eſſe ſimpliciter.ſcientia vero naturalis,quia communis eſt particularibus libris,qui conſiderant res particulares:ideo philoſophus naturalis poteſt probare materiam eſſe. Secũda dubitatio, quia dicit, ꝙ de ſubiecto præſupponitur,ꝙa eſt,& quid eſt:ideo manifeſtum eſt in ſcientia.Cõtra,quia expoſitores contendunt de ſubiecto philoſophiæ naturalis,quid natura ſit.alius enim dicit, quod eſt corpus mobile:alius ens mobile, quomodo ergo eſt manifeſtum : imo vnuſquique probat ſuum ſubiectum eſſe ex definitio

transfert dictum Ariſtotelis ad omne ſubiectum, cũ tantum de ſubiecto particularis demonſtrationis loquitur, etiam? quia potiſsimum mediũ ad demonſtrandam rem eſſe eſt definitio rei, ſecundo poſteriorũ; ſed definitio ſubiecti eſt eiuſdẽ artificis,cuius eſt ſubiectum,ergo artifex poterit probare ſuum ſubiectũ eſſe ex definitiõe ſubiecti.

LECTIO LXXVI.

ERAT dubitatio ſimplicij, an aliqua facultas poſſet probare ſuum ſubiectũ eſſe. hoc diximus propter Auerroem,qui dicebat, ꝙ ſubſtantiæ abſtractæ non poterant probari à metaphyſico, qui erant eius ſubiectum.& dicebamus, ꝙ expoſitores in principio contẽdebant, quid nam eſſet ſubiectum: ergo ſubiectum nõ eſt per ſe manifeſtum,quia de per ſe manifeſto non eſt dubitatio.Dico,;licet ſit altercatio, quid natura ſit ſubiectum; tamen apud omnes pręſupponitur ſubiectum eſſe, ſiue illud ſit corpus mobile,ſiue ens mobile:& ſic aliud eſt probare corpus naturale eſſe ſubiectum;aliud probare tale ſubiectum eſſe.erat alia difficultas, quia in hoc libro probãtur principia,& accidentia communia,quæ ſunt ſubiectũ huius libri.Dico,ꝙ reuera omnis ſcientia præſupponit ſubiectum ſuum eſſe : non inconuenit tamen, ꝙ probet aliquid ipſius ſubiecti eſſe, ſicut in philoſophia naturali ſubiectum eſt corpus naturale, & tamen probatur aliquod corpus naturale eſſe,vt quarto cœli probat ignem.ita in libro de anima.anima eſt ſubiectum;tamen probat intellectum agentem eſſe, & ſenſum communem, quæ ſunt partes animæ.ita hic liber non demonſtrat principia, & accidentia communia eſſe,ſed bene demonſtrat aliqua prima principia eſſe,ſcilicet materia, forma. ſed non demonſtrat priuationem eſſe,nec accidentia communia. ita ergo non probat iſte liber ſuum ſubiectũ,ſed aliquam partem. De tertio dico,cum Ariſtoteles dicit, de ſubiecto præſupponitur,quid eſt,& quia eſt,loquitur reuera de demonſtratione particulari,non autẽ de ſcientia totali: tamen in eodem primo inferius dicit,de ſubiecto omnis ſcientię præſupponitur eſſe:ideo ampliauit illud ad omnes ſcientias & particulares,& totales. Quarta dubitatio,quia potiſsimũ mediũ ad demonſtrandam rẽ eſſe eſt definitio ſecũdo poſteriorum. verum eſt, quando eſſe rei fuerit ignotum,ſi tamen erit notũ,definitio non demonſtrabit eſſe:quia præſupponebamus illud eſſe, ſed demonſtrat cauſam per quã res eſt,ideo dicit Ariſtoteles ſecũdo poſteriorum, ſcimus rẽ eſſe per accidentalia:deinde quærimus,quid eſt res:deinde propter quid eſt, vnde in demonſtratione,qua demõſtratur riſibilitas de homine, non quæritur, an homo ſit; ſed præſupponitur eſſe:quæritur autẽ propter quid eſt homo.Eſt tertia dubitatio Ioannis Grammatici, quia dicit, ꝙ materia prima eſt ingenita,& innitebatur huic dignitati, ex nihilo nihil fit. & alteri dignitati, quæ eſt definitio

teria cum qualitatibus eſt cauſa formæ elementi? ideo illa dignitas eſt ſalſa, nedum ſecundum leges, ſed etiam ſecundum Ariſtotelem. Secundo, quia dixit, non poſſe nos comprehendere materiam niſi per analogiam ad ſubiectũ rerum arrificialium: hic tamen definitur materia, ergo intelligitur per ſui naturam, & proprie. De primo Ioannes cõcedit, ꝙ illa propoſitio eſt ſalſa, nedum ſecũdum leges, ſed etiam ſecundum principia Ariſtotelis, quia inquit, omnis forma exttinſecus venit à ſummo opifice. ſed quid dicit Ariſtoteles, quòd ex nihilo nihil fit, & Linconienſis ſecundo Poſteriorum, & Scotus in prologo tertium ſententiarum? & ad hoc ſunt multæ dubitationes. primo, quia ſicut ſcientia præſupponit ſuum ſubiectum eſſe, ita præſupponit principia ſui ſubiecti eſſe, quia, ſi nõ præſupponeret, probaret ergo illa: & ſic probaret per alia priora, quod implicat, quia illa ſunt prima. damõſtrario enim eſt ex priori, & ſi probarent, tranſirent metas ſuas, ſed corpus naturale, cum ſit ſubiectum philoſophiæ naturalis, principiũ eius eſt ſubſtantia abſtracta, quia ab ipſa dependet, ergo philoſophus non poteſt probare ſubſtantias abſtractas eſſe, quia ipſæ ſunt principiũ corporis naturalis. ſecunda ratio, in quam faciunt maximam vim iſti Scotiſtæ: & eſt ratio Auicennæ in primo, & octauo ſuæ Metaphyſices, & eſt ex diuiſione entis, quia ens aliud eſt dependens, aliud independens, & aliud cauſatũ à materia, aliud in cauſatum: ita ens aliud neceſſarium, aliud contingens. eſt enim triplex diuiſio entis. aſſumunt aliam dignitatem Ariſtotelis ſecundo cœli, texto 18. duorum oppoſitorũ, ſi vilius eſt in natura & perfectius erit: & ita probauit dari leuiſſimum corpus, quia datur grauiſſimum: ex iſtis ergo argumentis datur ens dependens, ergo independens ex illa dignitate, ſi vnũ contrariorũ imperfectius eſt in natura, ſi ergo dependens datur in rerum natura, & eſt perfectius independente, dabit ergo ens omnino independens, & tale erit abſtractum & ſic hæc ratio non includit motum. etiam ita poteſt argumentari, datur eſt cauſatum à materia, ergo & incauſatũ, ergo erit ens abſtractum; & tamen non includitur motus in hac ratione. ita etiam de tertia diuiſione poteſt dici. datur ens ſimpliciter cõtingens. ergo & ſimpliciter neceſſarium, & tale eſt abſtractum. Scotiſtæ iſti adiuuant rationes, quia motus non cõtinet ſubſtantias abſtractas, nec ſecundum eſſe, nec ſecundum caliditatẽ, quia motus eſt imperfectior ſubſtantia abſtracta, ergo nec ſecundum cognitionem dependet ſubſtantia abſtracta à motu ex Ariſtotele ſecundo Metaphyſices: quia eadẽ principia ſunt eſſe cognitionis. tertio, quia ſeparat à materia ſeparatũ, & non ſeparatum ſunt primæ differentiæ entis, quia conuertuntur cum ente: ſi ergo ſunt primæ differentiæ entis pertinẽt ad metaphyſicum, quia ſubiectũ, & differantiæ ſunt eiuſdem ſcientiæ, ergo metaphyſice poteſt probare ſubſtantias abſtractas eſſe. & etiam naturales ſubalternarent ſibi metaphyſicum, quia probarent principia entis, quæ ſunt ſubſtantiæ abſtractæ. etiam. & eſt argumentum Linconienſis, omnis quæſtio quærens eſſe rei eſt metaphyſici, quia eſſe rei, & ens ſunt idem: differunt ſolum grammaticaliter, vt dicebat Auerroes libro deſtructionum, qui dicebat, ꝙ eadem eſt propoſitio. Socrates eſt ens, & Socrates exiſtit, & erat, in primo modo dicendi per ſe. ſi ergo eſſe, & ens, ſunt idem, & ens pertinet ad metaphyſicum, ergo quæſtio quærens eſſe ſubſtantiarũ abſtractarũ erit metaphyſici. quinto, quia, vt dixi potiſſimũ medium ad demonſtrandam rem eſſe eſt definitio, ſecundo Poſter. ſed ſubſtantiæ ſeparatæ definitio eſt metaphyſici, ergo demõſtrare ſubſtãtiam ſeparatam eſſe. eſt metaphyſici. ſed habeo vnicum argumentum aduerſus opinionem, quia Ariſtoteles. 12. Metaphyſices volens probare ſubſtantiã abſtractã eſſe, reaſſumpſit demonſtrationẽ, quam fecit octauo Phyſicorũ, ſi ergo eſſet alia via, ille eam 12. Metaphyſices tetigiſſet: ideo eſt duplex modus dicendi diui Thomæ, ꝙ metaphyſicus poteſt probare ſubſtãtias abſtractas eſſe; ſed tamen præſupponit demonſtrationem naturalem ſed poſitio non eſt intelligibilis, quia ego quæro, an ſit alia via, quam æternitas, motus, ſi ſic, ergo nõ præſupponit demonſtrationem naturalem volens probare, ſubſtãtias abſtractas, ſi non, ergo ſolus naturalis poterit probare illas eſſe, quia æternitas motus eſt tãtum naturalis philoſophi: ideo eſt triplex modus Auerrois, ꝙ ſolus philoſophus probare poteſt ſubſtantias abſtractas eſſe, & probabat Auerroes duplici ratione, quia nulla ſcientia probat ſuum ſubiectum eſſe; ſed ſubſtantia abſtracta eſt ſubiectum metaphyſici, ergo non poteſt probari ab illo. Secunda ratio, quia ſola æternitas motus demonſtrat ſubſtantiam abſtractam eſſe, & illa eſt philoſophi naturalis tantum. Tertio, & primo dicto eſt difficultas, quia verum eſt, ꝙ nulla ſciẽtia probat ſuum ſubiectum adæquatũ; probat tamen partem illius, quia naturalis, vt dixi probat ignem, & intellectum agentem eſſe: ſed ſubſtantia abſtracta non eſt ſubiectum adæquatũ metaphyſici; ſed ens, vt ens 4. Metaphyſices, vt dicit Ariſt. ſed eſt pars ſubiecti; ideo poteſt probari ſubſtantia abſtracta eſſe à metaphyſico, & in. 2. ſuo dicit, eſt difficultas, quia dicit, ꝙ ſola æternitas motus demonſtrat ſubſtantias abſtractas eſſe. Contra, quia Ariſtoteles tertio de anima, textu quinto demonſtrat intellectũ eſſe, ſeparatũ à materia, quia omnia intelligit, quia, inquit, eſſe recipiens debet eſſe denudatum à materia recepti: vnde tactus non ſentit ſuam humiditatem, nec viſus calores ſed intellectus noſter intelligit omnia materialia; ergo eſt ſeparatus à materialibus, ergo abſtractus: tamen hæc ratio non includit motum. & quia alia ratione probat intellectum eſſe ſeparatum, quia dicit, cuius opinio eſt ſeparata; & ipſum eſt ſeparatum, quia mobilius eſt ſubiectum à quo fluit opinio, quã ipſa opinio: ſed opinio intellectus noſtri, quæ eſt intelligere eſt ſeparata à materia, quia nõ educta de potentia materiæ, & intelligit in alia, ergo intellectus eſt materialis, & abſtractus, & ratio non includit motum. ſeptimo, quia valet intellectus noſter, eſt ſeparatus, ergo & cœlum eſt ſeparatum à materia, quia intelligentia cœli eſt nobilior noſtro intellectu: ſed noſter intellectus eſt immaterialis, ergo & intelligentia, ꝙ cœli, quia ſi non eſſet immaterialis, & abſtracta, nõ ergo eſſet perfectior intellectu noſtro, quia, vt dicit Auguſtinus, immateriale eſt nobilius materiali, & intelligens natura intelligẽtia, & viuens, nõ viuente: deinde probatur, quod æternitas motus non ſit ſufficiẽs ad probandã ſubſtantiam abſtractã eſſe, quia nõ valet. intellectiua mouet cœlũ tempore infinito, ergo abſtracta eſt à materia, quia lux ſolis tempore perpetuo partẽ ſibi circunſtantẽ diſponit ad lucẽ; & illi attamen nõ valet: ergo lux eſt abſtracta, & æterna, quia lux eſt corruptibilis. habet enim conditionem materiæ, extenditur ad extenſionem ſubiecti, & diuiditur ad diuiſionẽ eius.

LECTIO LXXVII.

ERAT dubitatio, num philoſophus naturalis ſolus poſſit probare ſubſtantias abſtractas eſſe, dixi, ꝙ ſolus philoſophus potiſſimum hac ratione, quia 12. Metaphyſices vſus eſt tantum Ariſtotelis ratione facta in octauo Phyſicorum, quæ eſt ex æternitate motus. & probabam

babã duplici ratione, quod metaphyſicus non poſſit probare ſubſtantias abſtractas eſſe. primo, quia ſubſtantiæ illæ ſunt ſubiectum metaphyſici. ſecundo, quia ſola æternitas motus pertinet ad naturalem. adducebam dubitationẽ contra vtraſque rationes. & primo contra primã, quia ſubſtantiæ abſtractæ non ſunt ſubiectum adæquatũ; ſed ens, vt ens; ſed ſunt tamen partes ſubiecti, quæ poſſunt probari in ſcientia. non enim repugnat metaphyſico probare illas eſſe. Dico ꝙ reuera illa propoſitio de ſubiecto præſupponitur; qnia eſt: & quid eſt, intelligitur de ſubiecto totali: & concedimus, ꝙ ſubſtantia ſeparata ſit pars ſubiecti, cũ dicis, pars ſubiecti poteſt probari. dico, ſi eſt pars principalis, per quam conſtituatur ſcientia non poteſt probari, & ſic ſubſtantia abſtracta eſt. pars conſtituens primo habitum Metaphyſices: vnde per ipſam ſeparatur metaphyſicus à naturali: vnde ſi non eſſent ſubſtantiæ abſtractæ, metaphyſica eſſet naturalis philoſophia: ideo dico, ꝙ nõ omnis pars poteſt probari in ſciẽtia, quia non pars principalis. & ſic intelligitur dictum Auerrois. Erant dubitationes contra ſecundam rationem, quæ dicit, ꝙ ſola æternitas motus poteſt demonſtrare ſubſtantias abſtractas. ad rationes factas, dico, quòd duplex eſt ſeparatum à materia vnum per ſe: aliud per accidens. formæ ſeparatæ à materia per accidens ſunt, vt formæ naturales, quæ ſeparantur, à materia opere intellectus tantum, vt ſunt formæ vniuerſales, vt dixit Auerroes tertio de anima. alia eſt forma ſeparata à materia per ſe, & de hac loquimur: & hæc eſt duplex, vna ſimpliciter, alia ſecundum quid ſeparata à materia. ſimpliciter eſt, quæ eſt ſeparata à materia, & non vtitur nec in eſſendo, nec in intelligendo corpore, & non eſt coniuncta virtuti coniunctæ materiæ. forma ſeparata ſecundum quid eſt illa, quæ etſi ſui natura eſt ſeparata à materia, vtitur tamen corporali organo: quia colligata virtuti coniunctæ materiæ, & ſecundum eſſe, & ſecundum intelligere. Dico ergo, ꝙ ſola æternitas motus demonſtrat ſubſtantiam abſtractam eſſe ſimpliciter, quia ſi eſt æternus motus, ergo æternum mobile, ergo & motor: quia ſi non eſſet æternus, non poteſt infinito tempore mouere: vnde anima hominis non poteſt mouere hominem in indiuiduo æterno tempore: quia homo eſt corruptibilis ratione formæ ſenſitiuæ, cui coniuncta eſt intellectiua: ideo non poteſt mouere tempore perpetuo, ex hoc ſoluuntur argumenta, quia per intelligere Ariſtoteles probat animã intellectiuam eſſe ſeparatam à materia, quia omnia intelligit. Dico, ꝙ non probat animam intellectiuam ſeparatã eſſe ſimpliciter; ſed tantum ſecundum, quid quia declarat eſſe ſeparatam à materia ſecundum ſui ſubſtantiam: in operatione tamen vtitur ſenſitiua coniuncta materiæ: ita argumentum de opere, quæ eſt apprehendere vniuerſalia, quæ ſunt ſine materia, procedit: quia probat tantum animã intellectiuam eſſe ſeparatam ſecundum quid. ita procedit argumentum de cœlo, quia cũ dicis, cauſa æquiuoca eſt perfectior cauſato, verum eſt, ſed cœlum eſt cauſa æquiuoca animæ intellectiuæ, ergo perfectius anima intellectiua, ſi

uet partes circunſtantes motu alterationis, ideo non probatur, ꝙ lux ſit ſeparata à materia. ſed dices, cur æternitas motus localis probat ſubſtantiam ſeparatam eſſe, & non æternitas aliorũ motuum? Dico, quòd motus localis prouenit à forma: ideo Ariſtoteles dicit, quòd natura eſt principium motus, & quietis: ſi ergo motus localis prouenit à forma, quæ eſt ſubſtantia, neceſſe eſt, ſi motus localis ſit æternus, quod forma etiam ſit æterna, quia ſubſtantia non poteſt perpetuari ab alio, licet accidens corrruptibile poſſit perpetuari ab alio. & 12. Metaphyſices dixit Auerroes de motu. dico ergo ex quo motus localis prouenit à ſubſtantia, neceſſe eſt, ſi motus ſit æternus, ꝙ etiam motor ſit æternus: alij autem motus ex quo non proueniunt à ſubſtantia, ſed ab accidentibus, vt alterario immediate prouenit à qualitate: ideo nõ eſt neceſſe, ꝙ ſi illi motus ſunt æterni, ꝙ motor ſit æternus, quia motor, ex quo eſt accidens, poteſt perpetuari ab alio: & ita, ſi lux perpetuo illuminet, tamen non ſequitur, ꝙ ſit ſeparata, quia lux ſolis non habet eſſe, vt perpetuo illuminet, ſed à ſubiecto, quia per ſe eſt corruptibilis. erant argumenta Alexandri. de primo dico, ꝙ duplex demonſtratio, vna à priori, alia à poſteriori: & ſic dico, quòd ars poteſt probare principia ſui ſubiecti eſſe non demonſtratione à priori, vt concludit argumentum; ſed à poſteriori, ſcilicet ex effectu, & ſic vſus eſt effectu ſubſtantiæ abſtractæ ad probandum illas eſſe ſcilicet motu, quia dicit motus, eſt æternus, ergo ſubſtantia mouens eſt æterna, ergo eſt etiã ſeparata à materia. erat aliud argumentum Scoti, & Auicennæ, quia duorum contrariorum ſi vilius eſt in rerum natura, ergo & nobilius; ſed ens diuiditur per dependens, & independens: ita datur cauſatum à materia, ergo & non cauſatum. ſed mihi videtur, ꝙ argumentũ ſit friuolum, quia ſupponis in diuiſione, quod ens diuidatur per ſimpliciter dependens, ſcilicet à cauſis, & per ſimpliciter independens à materia, & à cauſis: & petis, ꝙ debes probare, quia debebas probare, ꝙ detur ens ſimpliciter independens; & aſſumis in diuiſione: ita debes probare, ꝙ ens diuidatur in neceſſariũ ſimpliciter, & contingens: & ſic in alia diuiſione petis, ꝙ vis probare, quòd datur ens in cauſatum à materia, & aſſumis hoc in diuiſione. ad argumenta poſterum, quia dicunt, ꝙ motus non cõtinet ſubſtantias abſtractas, nec ſecundum eſſe, nec ſecundum cauſalitatem, ergo nec ſecundum cognitionẽ motus facit ad ſubſtantiam abſtractã eſſe: ſed argumentũ eſt leue, quia ſic non daretur demonſtratio à poſteriori, quia effectus non continet eſſentiam cauſæ, nec eſt cauſa cauſæ, ergo non ſecundũ cognitionem: & ſic non dabitur demõſtratio, ideo argumentũ ſophiſticum. cum ergo dicis motus non continet ſubſtantias abſtractas eſſe, nec ſecũdum cauſam, nec ſecundum ſubſtantiam, ergo nec ſecundũ cognitionem. nego argumentũ. probas, quia eadẽ ſunt principia eſſendi, & cognoſcendi ſecũdo Metaphyſices, dico quòd propoſitio illa debet ita exponi, eadem ſunt principia eſſendi & cognoſcendi, vera eſt à priori, ſed motus nõ declarat ſubſtantias abſtractas eſſe à priori, ſed à poſteriori

tur ad ſubalternationem ſcientia vna, ꝙ ſcientia ſuperior contineat ſebiectum inferioris; & ſubiectũ inferioris addat ad conditionẽ accidentalem ſuperiori. ſecunda conditio, ꝙ ſcientia ſubalternans demonſtret principia inferioris ſcientiæ à priori: ſed naturalis non habet aliquam iſtarum conditionũ, quia non addit conditionem accidentalẽ, quia ſunt ſcientię diſtinctæ, vt dixit Ariſtoteles 6. Metaphyſices, nec naturales probat principia metaphyſices à priori, & per cauſam: ideo non ſequitur, ꝙ ſubalternet metaphyſicã. erat quarta ratio Linconiẽſis, quia omnis quęſtio quærens eſſe rei eſt metaphyſici, quia eſſe, & ens ſunt idem; & confirmauit ens eſt prædicatu primi motus: ita etiam & eſſe. iſta propoſitio Socrates eſt ens eſt primi modi, ita & iſta, Socrates exiſtit, ita ergo naturalis conſiderabit ſubſtantias abſtractas vt metaphyſicus, quia conſiderat illas. quo ad prædicta quidditatiua, quia quærit ad eſſe ſubſtãtias abſtractas. oppoſitum clamant omnes. Dico, ꝙ omnis queſtio quærẽs eſſe rei eſt metaphyſici quo ad terminos; ſed quo ad diſſolutionem eſt alterius ſcientiæ. exẽplum, omne cõtinuum eſt diuiſibile in infinitum, quo ad terminos eſt metaphyſici; quo tamen ad diſſolutionẽ eſt naturalis, cum confirmas, quia ens, & eſſe ſunt idem ſecũdum Auerroem; differunt tamen grammaticè, quia ſcientia in ſe præſcindit ab eſſe: vnde rerum, quę in ſe ſunt, non habetur ſcientia, niſi ex ſuppoſitione. dicant ipſi, quid velint, quia dicunt, ꝙ exiſtentia eſt prædicatum accidẽtale; ſed hoc eſt falſum: ſi ſic, ergo naturalis cõſiderabit ſubſtãtias abſtractas quidditatiue, quia quo ad prædicata quidditatiua, quia quo ad eſſe eas conſiderat, & eſſe eſt prædicatum quidditatiuum, ergo dico, ſubſtantiæ abſtractæ duplicia ſunt prædicata quidditatiua abſolute, & non abſolute. prædicata eſſentialia abſolute ſunt, vt intelligẽtia eſt actus, & ſui intellectio: & hæc prædicata conſiderat metaphyſicus, quia non includit motum. alia ſunt prædicata quidditatiua, vt eam adinuenire eſſe per motum, & hæc pertinent ad naturalem. conſiderat ergo philoſophus naturalis illa prędicata quidditatiua ſubſtãtiæ abſtractæ, vt per motum inueniuntur.

F I N I S.

SERIES CHARTARVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q.

Omnes ſunt Duerniones, præter Q, Ternionem.



V E N E T I I S,
APVD HIERONYMVM SCOTVM.
M D L X X.